ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben
von
Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XLVI.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder
des
Mittelalters.

Siebente Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1905.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Siebente Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1905.

VORWORT.

Der Inhalt dieses Bandes der Analecta schliefst sich an die sechste Folge mittelalterlicher Reimgebete an, die in Band XXXIII in Druck gelegt wurde. Diese neue Folge bietet, was seit dem März 1899 an Reimgebeten und Leseliedern des weiteren weniger gesammelt als gefunden wurde. Trotz der grofsen Masse des bereits publizierten Materials wird es keine Gattung religiöser mittelalterlicher Dichtung geben, in der es schwieriger wäre, absoluter Vollständigkeit nahezukommen, als diese. Denn diese Lieder sind nicht wie die liturgische Dichtung im wesentlichen auf gewisse Gattungen von Handschriften beschränkt, sondern finden sich vereinzelt in allen Arten von Codices eingetragen, wo sie, falls nicht sehr detaillierte Handschriftenverzeichnisse zu Hilfe kommen, wohl gefunden, nicht aber gesucht werden können. Es kommt ferner hinzu, dafs die Linie, welche diese Dichtungsart von andern Gattungen, z. B. der erzählenden oder didaktischen, trennt, eine so flüssige ist, dafs es nicht selten schwer fällt, zu bestimmen, ob ein Stück dieser oder jener zuzuweisen sei.

Im übrigen ist zu dem Inhalte dieser Sammlung nichts weiteres zu bemerken. Nur auf das eine möchte ich aufmerksam machen, dafs die sieben Cod. Arundel 201 entnommenen Lieder von e i n e m, allerdings unbekannten englischen Verfasser herrühren. Ich stelle deshalb die Anfänge dieser Lieder hier zusammen:

Florens virgo caeli rore.
Gloriose rex Oswine.
Lux illucens illustravit.
O Maria quae stetisti.
Christi virgo Katharina.
Mitis Agnes quae nupsisti.
Virgo prudens Margarita

Ebenso sind von einem Verfasser die drei Cod. Bernen. 414. entnommenen Lieder auf die Heiligen Matthäus, Stephan und Maria Magdalena, die auch durch die gemeinsame Bezeichnung als „Salus de beato Matthaeo“ usw. auffallen. Es folgt in der Hs. noch ein weiteres, leider stark beschädigtes Lied weltlichen Inhaltes mit der Aufschrift „Salus de vindemia“. Man vgl. denselben Ausdruck Anal. XLV b, S. 86.

Ich darf dieses Vorwort nicht schliefsen ohne ein Wort des wärmsten Dankes für unsern verehrten Freund und Mitarbeiter Rev. H. M. Bannister, dem ich, wie der Leser sehen wird, so viele wertvolle Beiträge auch zu diesem Bande verdanke.

München, den 17. Oktober 1904.

Guido Maria Dreves.

DE DEO.

Ad Horas Diurnas.

1. Hymnus Vespertinus.

Cursum mundi sol vergentis pariterque hominis
Designans et metas orbis ac sphaeras volubilis
Circumlustrans mutat acta conficit et tempora
Annorum nec non immensa peragit curricula,
Momenta volvens aeterna per aetatum milia.
Vectus aureo figmento et curru quadriiugo,
Lucidus in poli centro corporali radio
Via regia libratum per menses duodecim
Horas fingit, dies agit, oritur et occidit
Bisque secat zodiacum, binis aequinoctium
Tangens punctis quadruplatum reddit hemisphaerium.
Hominis sunt ista, Deus, ordinata dotibus,
Qui fungit vita diebus pariter et noctibus,
Iussus, quattuor ditatus te duce virtutibus,
Bina pulsat caelum luce: intellectu, opere.
Ergo, creator aeterne, pater potentissime,
Qui per filium tam magnam construxisti machinam
Atque hominem qui tuam condis ad imaginem
Quique nobis pignus sanctum dedisti paraclitum,
Miseris in nostra morte sis volens succurrere,
Quam occasu solis huius anxie recolimus;
Sed in solis magni morte plurimum confidimus.
Da nobis te invenire placatum, piissime,
Cum tibi reddemus flatum singulari vespere,
Qui tempus ad vespertinum post actum diluvium
Oleae misisti ramum homini praesagium.
Nam, quando misisti tuum filium carissimum,
Tale tunc nobis et tantum contulisti oleum,
Quod omnes praeoccuparet balsamorum guttulas
Et aromatum fraglaret super omnes virgulas.

Ad cuius iam pedes iacet devicta mortalitas,
Cuiusque dono sanatur nostra nunc infirmitas,
Et a quo prostrata morte regnat immortalitas.
Gloria sit Deo patri, prolique spiritui,
Deo trino nec non uni, paci, vitae, lumini,
Nomini nimirum dulci divinoque numini.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — 11 redit emisterium. — 18 homine. — Dieses und die folgenden, derselben Quelle entnommenen Lieder, die selbstredend einen und denselben Verfasser haben, habe ich nicht unter die liturgischen Hymnen, sondern unter die Reimgebete eingereiht, da sie trotz der angehängten Doxologie nicht zu liturgischem Gebrauche, sondern für die Privatandacht bestimmt scheinen. Diese Vermutung gründet sich vor allem darauf, dafs über die Hälfte derselben, auch bei allem Enjambement, sich nicht in Strophen abteilen lassen, während doch die Doxologien drei-(beziehungsweise sechs-)zeilige Strophen zu fordern scheinen. Die Lieder waren also schwerlich für den Gesang berechnet. Vgl. auch Nr. 7 und Nr. 8 Vers 20. — Die Überschriften sind mit Ausnahme dieses ersten Hymnus, dessen Aufschrift ausradiert ist, der Quelle entlehnt.

2. Completorius.

Fluxit ille labor magnus, quem diurnum dicimus,
Et redit quietis tempus, quam nocturnam pangimus,
Esto nunc, dies aeterne, custos nobis intimus,
Qui nescis oriri certe, nescis et occumbere.
Tu vita, salus et quies, tu sine labe dies,
Tu lux perennis piorum, fons, origo mentium,
Qui noctem quietis almam tribuis mortalibus,
Noctem, inquam, tenebrarum signatricem providis.
Eo ductu monuisti spatiando noviter,
Illam quod divisionem disceremus graviter,
Principalem quam tulisti luce atque tenebris,
Lucem probans esse bonam cunctisque perutilem,
Providenter tenebrarum dirempta caligine
Ubi lancem posuisti geminam iudicii,
Cum lex coepit exarari Moysi temporibus,
Exsistens tuis deductor ad promissam patriam
Die nubis sub columna, nocte sub flammivoma.
Ergo, Christe, tenebrosa tolle nobis opera
Sisque nobis nube mitis, non igne terribilis,
Ut in te nunc aeternumque possimus quiescere.
Gloria, laus, honor patri, proli ac spiritui
Ex ambobus procedenti ante orsa saeculi,
Trinitati laus perenni, unitati perpeti.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — 23 lux perenni.

3. Mediae Noctis ad nocturnos videlicet hymnos.

Galli cantu mediante noctis iam caliginem
Et profundae noctis atram levante formidinem
Te, Deus alme, rogamus supplicesque poscimus,
Ut a nobis tollas pie chaos confusibile
Erebique chasma pellas, mortis antra conteras.
Ad hoc nam venisti clemens a paternis sedibus,
Vigil, potens, lux perennis atque custos maximus,
Dum tenerent simul cuncta medium silentium
Redderent nec non mortalem mortui effigiem,
Quo nos excitares, Christe, de somno malitiae
Redderesque nobis lucem vitae semper comitem
Atque gratis liberares nocturno de carcere.
Namque nox signat adversa mortis et pericula
Tartarique phlegetonta pingit, antra tristia.
Contra quae venisti tandem, qui formasti hominem,
Lux aeterna, lumen potens, dies indeficiens,
Debellator atrae noctis, reparator luminis
Destructorque tenebrarum, illustrator mentium,
Quo nascente suscitamur, quo vocante surgimus,
Quo a morte liberati, quo sumus perlucidi,
Quo mortis victores facti, noctis atque saeculi,
Faciente quo beati, quo linquente miseri.
Ergo nobis, rex aeterne, lucem illam tribue,
Quae nulla fuscatur nocte, solo gaudens lumine.
Gloria sit Deo patri, prolique spiritui,
Deo trino nec non uni, paci, vitae, lumini,
Nomini nimirum dulci divinoque numini.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — Dieser und die beiden folgenden Hymnen sind in der Handschrift entstellt überliefert, indem eine ganze Anzahl Zeilen des ersten und des zweiten in den dritten geraten sind. Ich teile daher statt aller Lesarten unter dem hergestellten Texte mit, wie derselbe in der Quelle vorliegt.

Galli cantu mediante noctis iam caliginem
Et profundae noctis atram levante formidinem
Te, Deus alme, rogamus supplicesque poscimus,
Ut a nobis tollas pie chaos confusibile
Erebique chasma pellas, mortis antra proconteras.
Ad hoc nam venisti clemens a paternis sedibus,
Vigil, potens lux perennis atque custos maximus,
Dum tenerent simul cuncta medium silentium
Redderent nec non mortalem meritis effigie,
Quo nos excitares, Christe, de somno malitiae
Atque gratis liberares nocturno de carcere.
Namque nox signat adversa mortis et pericula,
Contra quae venisti tandem, qui formasti hominem,
Debellator atrae noctis, reparator luminis,

Quo nascente suscitamus, quo vocante surgimus,
Quo a morte liberati, quo sumus perlucidi.
Ergo nobis, rex aeterne, lucem illam tribue.
Gloria sit Deo patri, prolique spiritui,
Deo trino nec non uni, paci, vitae, lumini,
Nomini nimirum dulci divinoque numini.

4. Rhythmus Matutinus.

Adest tempus matutinum, dulce gallinicium,
Quo morte perempta redit salvator ab inferis,
Ille blandus et tremendus, mitis et terribilis,
Qui crucis in ara pie nostrum flevit vespere
Et patri conciliavit toto fissus corpore,
Se pro nobis offerendo hostiam placabilem,
Holocaustum singulare, victimam mirabilem,
Mire multum, libra pensum, dulce sacrificium.
Hinc manarunt sacramenta, quis constat ecclesia,
Sanguis, aqua, vita nostra, mystica redemptio,
Pax enormis et dulcedo, lucida purgatio,
Quam providit et quadrato protulit senario.
Hinc ita surrexit Christus, blandus et fulgoreus,
Qualis est electis Christus, qualis peccatoribus,
Sicque restat sepultura, qua quiescunt mortui,
Lux aeterna, mane nostrum lumenque perpetuum,
Hoc currens nobis per simplum et proturbans geminum,
Quod docebat ad sepulcrum iuste sedens angelus.
Ergo te precamur, Deus fortis et omnipotens,
Vota nostra matutina digneris suscipere,
Nostros dies tua pace placeat disponere,
Dimittas peccata nostra, parcas facinoribus,
Salvans nos, vigil aeternus, a mortis operibus,
Facias nos crucifixos vitiosis actibus
Atque tibi consepultos quadratis muneribus,
Ut cum dies repentina tremendi iudicii
Coeperit clarere cunctis, specie terribilis,
Et tubae clangor audiri, qua resurgunt mortui,
Nos cognoscere digneris tuos esse proprios,
Immutatos, incorruptos pariterque lucidos,
Ac tales digneris parti deputare dexterae.
Atque ista modo primis ostendens auspiciis
Hunc diem sine peccato tribuas transigere
Hisque votis simul iunge, Deus clementissime,
Opem miseris instanter, da misericorditer,
Quo tibi possimus, Deus, adhaerere iugiter
Et tibi placere semper concede salubriter.
Gloria sit Deo nostro, patri potentissimo,
Proli magnae atque sancto flamini paraclito,
Quorum est una maiestas per aeterna saecula.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — In der Hs. lautet dieser Hymnus:

Adest tempus matutinum, dulce gallinicium,
Ille blandus et tremendus, mitis et terribilis
Et patri conciliavit, toto fisus corpore,
Holocaustum singulare, victimam mirabilem.
Hinc manarunt sacramenta, quis constat ecclesia,
Pax inormis et dulcedo, lucida purgatio,
Quam providit et quadrato protulit senario.
His ita surrexit Christus, blandus et fulgoreus,
Qualis est electis Christi, qualis peccatoribus,
Lux aeterna, mane nostrum lumenque perpetuum,
Nostros dies tua pace placeat disponere,
Dimittas peccata nostra, parcas facinoribus
Atque tibi consepultas quadratis muneribus,
Coeperit clarere cunctis specie terribilis,
Nos cognoscere digneris tuos esse proprios
Ac tales digneris parti deputare dexterae.
Hunc diem sine peccato tribuas transigere,
Quo tibi possimus, Deus, adhaerere iugiter.
Gloria sit Deo nostro, patri potentissimo.

5. Horae Primae.

Audi laudes horae primae, Deus clementissime,
Quas tibi fundit devote nec non fidelissime
Grex pusillus ac misellus, humilis et modicus.
Namque tu es magnus sator, vitis et agricola,
Non confuse nec divise, tu pater familias,
Operarios conducens in electam vineam.
Quo existi primo mane Abel sacrificio,
Tertia progressus inde Noe arcam velitans,
Sextae pronotans et nonae Abraham et Moysen.
Hunc primum vivendi modum docens naturaliter,
Alterum per datam legem statuis legaliter,
Sicque gradibus ascensis iubes spiritaliter
Vivere, sic operari mystica in vinea,
Donec tandem tu venisti consecrans undecimam.
Spiritalis namque vita animalem iudicat
Et procedens aequa lance iam carnalem reprobat.
Inde fiunt iure primi, qui erant novissimi.
Ergo, Deus pie, clemens rexque praestantissime,
Nostram vineam moralem digneris excolere
Atque vitam puerilem misertus attollere
Ac primaevae iuventutis flosculos erigere,
Totum robur iuvenile miseranter regere
Ac corpus et cor senile pie iam invisere
Et facta divisione corporis et animae
In tuas sedes beatas dignanter recipere
Et, donec te videamus, hos dies disponere.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — Diesem Hymnus fehlt die Doxologie. Der Text lautet in der Quelle:

Audi laudis horae primae, Deus clementissime,
Grex pusillus ac misellus, humilis et modicus,
Non confuse nec divise tu pater familias,
Tertia progressus inde Noe arcam velitans,
Donec tandem tu venisti consecrans undecimam.
Alterum per datam legem statuis legaliter
Vivere sic operari mystica in vinea,
Spiritalis namque vita animalem iudicat.
Ergo, Deus pie, clemens rexque praestantissime,
Redderesque nobis lucem vitae semper comitem.
Tartarique phlegetonta pingit contra tristia.
Lux aeterna, lumen potens, dies indeficiens
Destructorque tenebrarum, inlustrator mentium,
Faciente quod beati, quo liquente miseri,
Quo mortis victores facti, noctis atque saeculi,
Quae nulla fuscatur nocte solo gaudens lumine,
Quo morte perempta redit salvator ab inferis,
Qui crucis in ara pie nostrum flevit vespere
Se pro nobis offerendo hostiam placabilem
Mire vel multum, libra pensum, dulce sacrificium,
Sanguis, aqua, vitam nostram, mystica redemptio.
Sitque restat sepultura, qua quiescunt mortui.
Hoc currens nobis per simplum et proturbans geminum,
Quod docebat ad sepulcrum iuste sedens angelus.
Ergo te precamur, Deus fortis et omnipotens,
Vota nostri matutina digneris respicere,
Salvens nos, vigil aeternus, a noctis operibus,
Facias nos crucifixos vitiosis actibus,
Ut cum dies repentina tremendi iudicii,
Et tubae clangor audiri, qua resurgent mortui,
Immutatos, incorrupos pariterque lucidos.
Hisque votis simul iunge, Deus clementissime,
Opem miseris instanter da misericorditer
Et tibi placere semper concede salubriter.
Proli magnae atque sancto flamini paraclito,
Quorum est una maiestas per aeterna saecula.
Quas tibi fundit devote nec non fidelissime,
Namque tu es magnus sator, vitis et agricola,
Operarior conducens electam in vineam,
Quo existi primo mane Abel sacrificio,
Sexta pronotans et nonae Abraham et Moysen,
Hunc primum vivendi modum docens naturaliter,
Sicque gradibus ascensis iubes spiritaliter.
Inde fiunt iure primi, qui erant novissimi,
Et procedens aequa lance iam carnalem reprobat.
Nostram vineam moralem digneris excolere
Atque vitam puerilem misertus attollere
Ac primaevae iuventutis flosculos erigere,
Totum robur iuvenile miseranter regere
Ac corpus et cor senile pie iam invisere,
Et facta divisione corporis et animae
In tua sedes beatas dignanter recipere
Atque ista modo primis austendas aspitiis
Hunc dem sine peccato dona nos transigere
Et, donec te videamus, hos dies disponere.

6. Horae Tertiae.

Hora tertia qui missus advenisti caelitus,
Nunc, Deus, ad nos benignus veni, sancte spiritus,
Qui paraliter es pius ut pater et filius.
Exue nos universis, precor, a flagitiis
Facinoribus et cunctis omnibusque vitiis
Indueque te nos gratis indignos, ut perspicis.
Nam fovebas universam mundi novi fabricam
Animabas atque cunctam creaturae machinam,
Ostendens multiplicandam septiformem gratiam.
Unde te rogamus, alme spiritus paraclite,
Quatenus digneris ope famulos invisere
Nosque tuos, benedicte, servulos efficere,
Ut possimus in aeternum habere propitium
Te et patrem sempiternum filiumque maximum,
Quorum est una potestas et communis caritas,
Ineffabilis maiestas, infinita bonitas,
Admirabilis facultas et invicta pietas,
Inexplebilis voluptas, perpes immortalitas,
Honor, virtus atque regnum, decus et imperium,
Iuge sceptrum et tropaeum simulque tripudium.
Gloria sit Deo patri prolique spiritui,
Deo trino nec non uni, paci, vitae, lumini,
Nomini nimirum dulci divinoque numini.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — 2 a nos. — 4 precor adfligitiis. — 9 septiformam. — 21 proli quin.

7. Sextae.

Hora sexta crucifixus, summi patris unicus,
Qui tuis aeterna salus, perpetim propitius
Nostros deleas excessus et peccata, quaesumus,
Et a nobis pelle taetras, lux aeterna, tenebras,
Quas Iudaei perpendendas non sensere mysticas
Neque suas tenebrosas agnoverunt maculas,
Caecati profunda nocte corde, ore, opere.
Unde sunt gavisi multum tanto de facinore,
Accensi nefanda nece facibus invidiae.
Sed tu splendor, alme Deus, tuis sis fidelibus,
Multum clemens et benignus atque praestantissimus.
Nostra semper dona nobis peccata deplangere
Maculasque iuventutis lacrimis diluere,
Bonis iugiter instare, mala vero fugere
Gratia semperque tua caelibes exsistere,
Quo perennes tibi laudes valeamus dicere.
Ex te, per te, in te quoque hinc possimus vivere

Teque vitam sempiternam flamine cognoscere
Nec non ipso debriante te semper diligere.
Hic Amen subdo libenter dulci modulamine.
Gloria, laus, honor patri, proli ac spiritui
Ex ambobus procedenti ante orsa saeculi,
Trinitati laus perenni, unitati perpeti.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — 4 pelle- erras. — 15 tuo.

8. Nonae.

Hora nona qui potenter emisisti spiritum
Et nobis vitae perennis contulisti praemium
Providaque pensum libra consecrasti pretium,
Nostrae mortis infernale penetrando barathrum
Lux ad inferos cessisti diem fundens tenebris,
Ubi tuis assignasti vestimenta nivea,
Reprobos multasti poena, inclite, fulgorea.
Hinc timentes et sperantes te precamur plurima,
A nobis aeternae mortis depellas formidinem
Et tuis profundae noctis auferas caliginem
Atque eos tuam transfer vitae ad dulcedinem.
Tu es veste candidatus, aspectu fulmineus,
Tu es blandus et amandus, mitis et terribilis,
Tu es pulcher et dilectus ac desiderabilis,
Solus vere immortalis et incommutabilis,
Tu sanctus et admirandus, idem rex et dominus.
Purga nos multum squalentes et peccatis sordidos,
Fac nos mente luminosos, corpore perlucidos,
Ut tandem corpus exutos recognoscas candidos.
Sic fiat, Amenque subdo votis iungens modulos.
Gloria sit Deo patri, prolique spiritui,
Deo trino nec non uni, paci, vitae, lumini,
Nomini nimirum dulci divinoque numini.

Collect. ms. incertae orig. saec. 10. Cod. Bernen. 584. — 6 tuos. — 7 Reprobis . . . medito furgorea. — 8 timente. — 10 adfores caliginem. — 11 transfert vita. — 20 Hic fiat.

9. De Deo.

Incipe, lingua senum, carmen cantare iucundum,
Cum pueris, iuvenes, laudis depromite voces,
Ex quibus A l l e sonet, confestim l u i a resultet.
Conlaudate Deum, populi gentesque, benignum,
Cuius inundantem miseratio sustinet orbem
Et faculae validum mensura et pondere mundum

Per diversa movet, cum per se immobilis exstet.
Tempora cuncta ligat, solus sine tempore regnat,
Acta regit regum, semper sibi constat idipsum.
Expedit, ut trinum benedicat machina trina,
Terra, polus, pelagus nec non, quod constat in illis,
Credat, adoret, amet, timeat, colat, ornet, honoret.

Collect. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 18628.

10. Ad Deum et Sanctos Commendatio.

1. Parce, pater piissime,
Quidquid peccavi hoc die,
Cordeque et corpore mundo,
Fac, cras exsurgam a lecto.

2. O Iesu Christe Domine,
Qui me servasti hoc die,
In hac nocte me protegas
Et a malo custodias.

3. Adveni, sancte spiritus,
Meis illapsus sensibus,
Ut, cum corpus obdormiet,
Cor in te semper vigilet.

4. Maria, virgo et mater,
Tu me custodi iugiter,
Ne hostis me deterreat,
Aut corpus sorde polluat.

5. Adeste, cives caelici,
Et tu, angele, custos mi,
Munite me signo crucis,
Ne noceat ullus hostis.

Devotae Orationes (Fontrebaldenses) imp. Parisiis 1546.

11. De sanctissima Trinitate.

Ad Matutinum.

1. Pater, fili, paraclite,
Mala vitae praeteritae
Dimitte nobis, quaesumus,
Nam sine te nil possumus.

2. Peccando nos polluimus,
Ut expies, deposcimus,
Ne tuum domicilium
Sit unquam cibus ignium.

3. Trinitas ineffabilis
Et lux inaccessibilis,
Ure per ignem geminum
Nostrarum sordes mentium.

4. Verum lumen ac splendidum,
Cor tepens redde fervidum,
Caecas mentes illuminans
Et mortis umbras terminans.

5. Trinitati sit gloria,
Laus, decus et potentia,
Qui sua nobis gratia
Concedat vitae gaudia.

Ad Laudes.

1. O sancta Deus trinitas,
De qua sanctorum sanctitas,
Te laudamus, sanctifica
Donando nobis caelica.

2. Trinitas ineffabilis
Unitasque laudabilis,
Instantes tuis laudibus
Veris dita muneribus.

3. Cuius in nobis munera
Conservet illa dextera,
Quae benedicet credulos,
Reprobabit incredulos.

4. Trinitas individua,
Nos tua lux perpetua
Et a damnatis segreget
Et cum beatis adgreget.

5. Sit tibi, sancta trinitas,
Decus, honor, sublimitas,
Potestas, dominatio,
Maiestas, collaudatio.

Ad Primam.

1. Pater, creator omnium,
Cuncta creans per filium,
Accepta nostros gemitus
Per donum sancti spiritus.

2. O trinitatis unitas
Et unitatis trinitas,
Pro tuo sancto nomine
Emunda nos a crimine.

3. Nudatos a criminibus
Orna virtutum floribus
Et in polorum sedibus
Fac iungi cum felicibus.

4. Sit laus patri per saecula
Agnoque sine macula,
Sit laus sancto spiritui,
Quo mereamur perfrui.

Ad Tertiam.

1. Caelestium rex agminum,
Fili redemptor hominum,
Consolator maerentium,
Fer miseris solacium.

2. O veneranda trinitas,
Tua nobis benignitas
Succurrat, ne fragilitas
Nos trahat ad res vetitas.

3. Caventes a prohibitis
Utamur bene licitis,
Ut gaudeamus gaudio,
Quo caeli gaudet contio.

4. Trinitati, quam credimus,
Adoramus et colimus,
Sit gratiarum actio,
Salus et benedictio.

Ad Sextam.

1. Genitor ineffabilis,
Ipsius proles parilis,
Paraclite consimilis,
Memento vitae fragilis.

2. Proni sumus et fragiles
Ad peccandum et habiles,
Tua misericordia
Nos levet a miseria.

3. Ex te vitae principium,
Per te vitae remedium,
In te vitae solacium,
Da nobis vitae praemium.

4. Patri cum unigenito
Et spiritu paraclito
Sit maiestas et gloria,
Potestas et victoria.

Ad Nonam.

1. A patre prodit genitus,
Ab utroque paraclitus,
In his est una deitas,
Quam laudat universitas.

2. Ex quo nostra conditio,
Per quem nostra redemptio,
In quo nostra remissio,
Cum hoc fruamur gaudio.

3. Vitam sanctis repositam
Ob artam vitae semitam
Praestet nobis gratuito,
Quam non debet ex merito.

4. Genitori sit gloria,
Redemptori victoria,
Consolatori gratia,
Nobisque per hunc venia.

Ad Vesperas.

1. Deus de nullo veniens,
Deus de Deo prodiens,
Deus ab his progrediens,
In nos veni subveniens.

2. Tu nostrum desiderium,
Tu sis amor et gaudium,
In te nostra cupiditas
Et in te sit iucunditas.

3. Pater, cunctorum Domine,
Cum genito de virgine
Intus et in circuitu
Nos rege sancto spiritu.

4. Regendo clemens corrige
Et corrigendo dirige,
Diligendo nos eligas
Et cum electis colligas.

5. Memento, sancta trinitas,
Quod tua fecit bonitas
Creando prius hominem,
Recreando per sanguinem.

6. Nam quos creavit unitas,
Redemit Christi caritas,
Patiendo tunc diligens
Nunc diligat nos eligens.

7. Trinitati sit gaudium,
Pax, virtus et imperium,
Decus, omnipotentia,
Laus, honor, reverentia.

Ad Completorium.

1. Trinitas, lumen luminum,
Illumina cor hominum,
Tuam similitudinem
Reformans et imaginem.

2. Ex te mens nostra fulgeat
Et in te vota compleat,
Ad te per te se dirigat,
Credens, sperans te diligat.

3. Trinitas, salus omnium,
Cor sana male saucium,
Concedens noxis veniam
Per septiformem gratiam.

4. Fac nos ex fide vivere
Et per spem sursum tendere
Et caritatis geminae
Fac nos vestiri tegmine.

5. Patri sit benedictio
Cum coaeterno filio,
Benedictus sit spiritus
Et nos in ipso caelitus.

Collect. ms. S. Trinitatis in Belliloco saec. 10—12. Cod. Vatican. Reg. 243. add. saec. 12. A. — Orat. ms. Franciscan. Germ. saec. 14. in. (Privatbesitz) B.

Ad Matut. fehlt B. — Ad Laudes. 1, 1 trinitas Deus. B. — 2, 1 immutabilis B. — 3, 4 Reprobatis scelestibus B. — 5, 1 sancta fehlt. — Ad Primam. 2, 1 O fehlt B. — 2, 4 nos fehlt A. — 3, 1 Munda nos a B. — 3, 4 cum caelestibus B. — Doxol. in B:

Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus.

Ad Tertiam. Str. 1 fehlt B. — 2, 1 O fehlt B. — 2, 4 res miseras B. — 3, 4 gaudet caeli B. — 4, 1 colimus. B. — 4, 2 credimus B. — Ad Nonam. 1, 1 De patre B. — 1, 2 utrisque B. — 2, 2 remissio B. — 2, 3 redemptio B. — Ad Vesperas. 2, 4 Et vitae sit B. — 3, 3 Intus et exterius B. — 3, 4 sancte spiritus B. — 4, 2 dilige B. — 4, 3 elige B. — 4, 4 collige B. — 5, 2 bonitas fecit B. — 5, 3 Ad tuam nos imaginem B. — 6, 1 Nam quod B. — 6, 3 Tunc patienter B. — Ad Completorium. 1, 2 Illuminator hominum. B. — 2, 2 In te vota percompleat B. — 3, 1 salus hominum A. — 3, 2 male sana B. — 3, 3 nobis veniam. B. — 3, 4 septiformis B. —

Dieser Cursus steht aus jüngeren Handschriften in kürzerer Fassung und anderer Anordnung schon Anal. XXX, 11ff. Die Bedeutung der Quelle A liefs eine Wiederholung notwendig erscheinen.

12. Cursus de sancta Trinitate.

Ad Matutinum.

1. In matutinis, Domine,
Dum tibi ore canimus,
Caelestium pinguedine
Mox repleatur animus.

2. Ad te de luce vigilet
Cor nostrum desideriis,
In te mens nostra iubilet,
Dum te laudamus labiis.

3. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Ad Laudes.

1. Precamur, sancta trinitas,
Te elevatis manibus,
Veraque simplex deitas,
Nostris intende precibus.

2. O lux inacessibilis,
Illustra nos perspicue,
Solus invariabilis,
Conforta nos assidue.

3. Voluntas nostra cupiat,
Mens meditetur iugiter,
Te summum bonum sapiat
Synderesis veraciter.

4. O Deus, decus gloriae,
O Deus exercituum,
Nos benedicas hodie,
Nos salva in perpetuum.

5. Uni trinoque Domino.

Ad Primam.

1. Te vere, summa trinitas,
Spes nostra, fides, caritas,
Unum fatemur Dominum
Personas trium nominum,

2. Aequalis esse gloriae
Eiusdemque substantiae
Cum patre unigenitum
Ac utriusque spiritum.

3. Honor patri, laus genito,
Sit gloria paraclito,
Qui frui nobis omnibus
Se donet in caelestibus.

Ad Tertiam.

1. Nunc omnes gentes, populi,
Tribus et linguae singuli,
Senes cum iunioribus,
Pusilli cum maioribus,

2. Cuncti laudemus inclitum
Patrem, natum, paraclitum,
Eius misericordia
Ut firmet nos in gratia.

3. Honor patri, laus genito.

Ad Sextam.

1. O Adonai Domine,
Regnans in caeli culmine,
Per tuum admirabile
Nomen et ineffabile

2. Tuam similitudinem
In nobis et imaginem,
Infectam culpa, repara,
Ad te fruendum praepara.

3. Honor patri, laus genito.

Ad Nonam.

1. In psalmis, hymnis, canticis
Te iubilantes melicis
Deum laudamus pariter,
Unum trinum alacriter.

2. Conserva nos in gratia
Et semper cum laetitia
Tibi servire tribue
Cunctamque noxam dilue.

3. Honor patri, laus genito.

Ad Vesperas.

1. O filii ecclesiae,
Deum laudemus iugiter,
Ut verae pacis requie
Fruamur aeternaliter.

2. Emitte verbum, Domine,
Ut corda liquefaciat
Et flante sacro flamine
Fletum amoris pariat.

3. O summa vere trinitas,
Verbum, pater, paraclite,
O vere summa bonitas,
Remunerator inclite,

4. Post spem da rem percipere,
Post fidem frui specie,
Perfecteque diligere
Fac nos te regem gloriae.

5. Uni trinoque Domino.

Ad Completorium.

1. O pater, nate, spiritus,
Nostros exaudi gemitus,
Propitius accelera
Et nos ab hoste libera.

2. A peccatorum foveis,
Ab inimici laqueis
Educ nos, une Domine,
In trinitatis nomine.

3. Honor patri, laus genito.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — Ad Tertiam. 1, 2 singulae. — Ad Sextam. 1, 1 O fehlt.

13. De sanctissima Trinitate.

O qualem, quantum, quam magnum, quam venerandum,
O quam formosum, quam pulchrum, quam decorosum,
Regem regnantem, media de sede tonantem,
Altithronum Dominum, sub personis tribus unum,
Omnia complentem, caelos terrasque tenentem!
Ex, per et in quo sunt, vivunt simul omnia, quae sunt,
Cui sedes caelum, cui terra profunda scabellum,
Cui nemo mundus, non iustificabitur ullus,
Quem grex sanctorum, virtus praecelsa polorum,
Quem vicenorum plebs quattuor et seniorum
Semper glorificat, semper collaudat, honorat,
Semper adorando, venerando, colendo, tremendo,
Semper cernentes, quod semper erant cupientes,
Semper captantes, quod semper erant adamantes,
Saepius optatam vitam sine fine beatam.

Collect. ms. Carth. Montis S. Beati saec. 13. [14. 15.] Cod. Vindobonen. 898.

14. De sanctissima Trinitate.

Ad Patrem.

Fons, Deus pater, omnium,
Tam finis quam principium,
Cuius omnipotentia
Cuncta creavit entia,
Istud scio verum esse
Dei non habens necesse
Nec ullius creaturae,
Cuiuscumque sit figurae,
Sed, quod omnes sunt creatae,
Est a tua bonitate.
Grates ergo nunc devotas
Ago per mis vires totas
Tibi creatori meo
Omniumque vero Deo.
Ut me dignatus plasmare,
Voluisti mihi dare
Animam et intellectum,
Sana membra, corpus rectum,
Incorruptos sensus quinos,
Victum et vestitum binos;
Bona rursum infinita
Mihi sunt a te largita,
Quarumcunque tu es dator
Pius sis et gubernator
Dans, pater, hic deservire
Et abhinc ad te redire.

Ad Filium.

Fili Dei et Mariae,
Purae virginis et piae,
Tibi grates, Iesu bone,
Reddo cum devotione,
Quod tu pro me sponte laesus,
Virgis et flagellis caesus,
Caput spinis coronatus,
Palmis, pugnis verberatus,
Fers, ad mortem lassus, pronus
Grave tuae crucis onus,
In qua tractus et extensus,
Cum latronibus suspensus
Manus, pedes laceraris,
Cor et latus perforaris,
Quo sic aquae fontes vivi
Effluunt, cruoris rivi,
Qui nos lavent a peccatis
Cunctis, precor, perpetratis.

Ad Spiritum Sanctum.

Spiritus sancte te laudo,
Benedicens tibi plaudo,
Infudisti mihi planam
Veram fidem Christianam,
Non gentilem indirectam
Nec Iudaeam imperfectam;
Sacramenta quoque Christi
In medelam condidisti,
Quae quod sumam, dato, digne,
Ut sim malo liber igne
Et intrare queam thronum,
Ubi regnat summum bonum,
Pater, natus, sacrum flamen,
Unus semper Deus. Amen.

Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. — Ad Patrem, 9 omnes fehlt. — 12 meas vires. — 25 Dans me paterhoc. — Ad Filium, 13 Manus et pedes. — 15 aqua fontis. — Ad Spiritum, 1 te collaudo. — 13 nate.

15. „Oratio de sanctissima Trinitate et omnibus sanctis.“

a. De sanctissima Trinitate.

1. O trinitas sempiterna
Unitasque sanctissima,
Deus omnium creator,
Rector atque conservator.

2. Visita et illumina
Ab omnique labe munda
Horrenda et tenebrosa
Cordis nostri latibula.

3. Laudibus tuis mancipa
Nos totaliter et nostra
Caritateque fecunda,
Mentes nostras in te firma.

4. Ut tibi soli, Domine,
Timeamus displicere
Et studeamus placere
Corde, ore et opere.

5. Quare nos tua opera,
In te solum sperantia,
Ab omni malo libera
Bonisque omnibus dita.

b. Oratio de beata Virgine.

1. O triclinium nobile
Trinitatis sanctissimae,
Hera caelestis patriae,
Nos exsules consolare.

2. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Semper ab hoste protege
Et in morte nos suscipe.

3. Et sic nos tui servuli,
Quamvis simus multum rei,
Propter te fiamus salvi,
Propter quos es mater Dei,

4. Quia Deus omnipotens
Factus homo oboediens,
Pro nobis fuso sanguine
Plexus est crudeli morte.

5. Quare in omnibus suum
Agamus beneplacitum,
Ne frustretur eius mortis
Efficacia in nobis.

c. De sancto Benedicto.

1. O gloriose domine,
Sanctissime Benedicte,
Cor, verba et opus nostrum
Fac Deo beneplacitum.

2. Ipse te intercedente,
Qui vult omnes salvos esse,
Firmet iustos, sanet reos,
Ad se trahat extraneos.

3. Sint omnes rectores nostri
Sancti, gnari, pii, iusti,
Nos humiles et subiecti
Omnesque Deo dilecti.

4. Et nunc taliter vivamus,
Cum vitam hanc exeamus,
Sua misericordia
Nos in caeli ducat regna.

5. Quare nunc clamemus ad te,
Noli nos tunc relinquere,
Festina, ne tardaveris,
Succurre nobis miseris.

d. De Angelis.

1. O milites angelici,
Robusti custodes nostri,
A ruina praeservati
Et in dono confirmati,

2. Nobis semper assistite
Nunc in vita et in morte,
Ut abiciamus malum
Et perficiamus bonum.

3. Hostesque nostros crudeles,
Carnem, mundum et daemones
Vincamus semper fortiter,
Ne ruamus letaliter.

4. Corda nostra et corpora
Vestra servate tutela
In Deo semper tranquilla
Et proximis utilia.

5. Quare nulla nos prospera
Inflent nec frangant adversa,
Sed ad Deum et homines
Sancte simus conversantes.

e. De Omnibus Sanctis.

1. Omnes sancti, dirigite
Nunc cursum [hunc] vitae nostrae,
Sicut nostis velle Deum,
Ad salutem animarum.

2. Omnia interiora
Nostra et exteriora
Deum collaudent de cunctis,
Tam prosperis quam adversis.

3. Ut nunc omnibus mundanis
Nobisque ipsis relictis
Miti corde et humili
Sectemur filium Dei.

4. Observemusque mandata
Sua perfecta opera
Usque in finem non ficte
Fide, spe et caritate.

5. Quare nunc luantur culpae
Digna sanctificatione,
Ut contriti et confessi
Semper apti simus mori.

f. De sancta Trinitate.

1. O regum rex altissime,
Pacifica orbem terrae,
Ecclesiam coaduna,
Corda nostra inhabita.

2. Unum pater, flamen, nate,
In nobis sis et nos in te,
Ut tibi laudes debite
Reddamus omni tempore.

3. Te unum desideremus,
In quo solum gaudeamus
De nulloque doleamus
Nisi, quia peccavimus.

4. Nostrasque fac voluntates
Tuae omnino conformes,
Ut simus, quia vocati,
Etiam tui electi.

5. Quare exstirpa vitia,
Virtutibus nos adorna,
In hora mortis ultima
Miserrimos nos adiuva.

g. De Deo et Omnibus Sanctis eius.

1. Omnipotens, miserere,
Maria, semper assiste,
Ne deseras, Benedicte,
Angeli, nos custodite.

2. Omnes sancti, succurrite
Nunc semper atque ubique,
Ut nos crimen non inquinet,
Ne Deus aeterne damnet.

3. Sed in caritate sancta
Nunc nostra fiant omnia,
Ut victis culpa et hoste
Hanc vitam claudamus pie.

4. Quare tunc nobis dicere
Audiamus Christi voce:
Venite vos, benedicti,
Possidete regnum caeli.

5. Gloria aeterno Deo,
Mariae et Benedicto,
Angelis et sanctis cunctis,
Quies sit aeva defunctis.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV, 39. — Nr. 15b. 4, 1 O via Deus. — 4, 4 Plexus es. — Nr. 15e. 4, 4 In fide, spe. — Nr. 15g. 2, 2 et ubique. — Nr. 15a bis 15g sind natürlich von ein und demselben Verfasser und, da sie in der Quelle mit einer gemeinsamen Aufschrift als ein Ganzes auftreten, hier als solches belassen.

16. Oratio ad sanctum Spiritum Paraclitum.

1. Consolator miserorum,
solamen maerentium,
Lux piorum, spes reorum
unctioque mentium,
Creatoris hominumque
amor atque vinculum,

2. Boni fons, doctrinae fomes,
veritatis spiritus,
Hostiles frangens conatus,
dextrae Dei digitus
Et dolore desperati
animi paraclitus,

3. Tu patris promissum atque
septiformis gratia,
Verbo, linguis et sermone
puro ditans guttura
Et divino urens igne
paenitentum crimina,

4. Quamvis subditum peccatis
corpus suetus fugere,
Veni tamen et obscoena
peccatorum decoque;
Veni, bone, veni, pie,
veni, potentissime.

5. Tu purgare, quaeque voles,
aspirando praevales,
Tu bruta stultaque corda
sic mutare assoles
Ut indoctos eruditis
protinus aequipares.

6. Ergo meam caecam mentem,
doctor alme, visita
Putridumque in peccati
luto corpus suscita
Et utrumque ad amorem
Christi tui subleva.

Collectan. ms. S. Sergii Andegaven. saec. 10/11. Cod. Andegaven. 283 (274).

17. Ad Deum Oratio.

O princeps pacis ac principium pietatis,
O verum lumen, retinens par cum patre numen,
Spiritus o sancte, quo constant cuncta volente,
His quoque personis unus semper specularis,
Ordine qui miro finis constas et origo
Leges aeternas ac solus iure gubernas,
Qui genus humanum miseratus mortificatum
Vivere fecisti pretioso sanguine Christi,
Cuius iudicio statuentur cuncta sub aequo,
Da sentire fidem, qua felix fert sibi finem,
Ut credam recte, nec sint aliae mihi sectae,
Atque sciam plane, quod iustum sit vel inane.
Spem concede mihi, qua possit vita videri;
Virtus in his prima restat dilectio bina,
Quam, Deus, infunde sub viscera cordis abunde.
Aures adverte, rogo, sint mihi semper apertae,
Ne reminiscaris delicta mei puerilis,
Sed pius ignosce factis veniamque repende.
Non mea mens, quaeso, laedatur more superbo,
Adveniat rite custos patientia vitae,

Mors et perditio discedat, caeca libido,
Nunquam deliciis confundar crimine ventris,
Ne polluta caro somno turbetur amaro.
Obsecro, me frenas, cum videro res alienas,
Sint procul invidia, iactantia, lis, sed et ira,
Nec rebus vanis me laus seducat inanis.
Fructificaque, mihi quaecunque talenta dedisti,
Sicque meos mores, Deus, immutato decores,
Ut mea sit cura, quod gestat vita futura,
Ac regis veri merear sodalis haberi,
Qui sancto tecum cum flamine regnat in aevum.

Collat. ms. Cassiani saec. 8/9. Clm. Monacen. 4549. add. saec. 11. — 24 frenas (st. frenes) schützt der Reim. — 23 sono turbetur. — 28 Deus fehlt; inmetate. — 30 merear sic tales.

18. De Spiritu Sancto.

1. Veni, persona tertia,
   De sede trinitatis,
   Gratifica nos gratia,
   Largire dona gratis;
   Nostra mala submoveas,
   Nostrae defectum suppleas
   Internae paupertatis.

2. Patris, nati concordia,
   Fac nos tibi concordes
   Et Deo reconcilia
   Per peccata discordes;
   Dator verae munditiae,
   Manu misericordiae
   Nostras emunda sordes.

3. Tu spiritus paraclitus,
   Tu verus consolator,
   Mentis lustrator subitus
   Et dulcis inflammator;
   Tu increata caritas,
   Tu dapsilis benignitas,
   Mundi sanctificator.

4. Tu donum donans omnia,
   Tu amor, fons amorum,
   Tu celebris laetitia,
   Thesaurus gaudiorum,
   Audacia, facundia,
   Virtus et eloquentia,
   Magister saeculorum.

5. Per te prophetae praesciunt
   Et nuntiant ventura,
   Apostoli subiciunt
   Orbem et orbis iura;
   Tu virgines sanctificas,
   Tu martyres fortificas
   In corporum pressura.

6. Tu pascis in pastoribus
   Greges fideli cura
   Et doces in doctoribus,
   Quaecunque sunt obscura,
   Tu solis te consocias,
   Desertum in delicias
   Vertis et mollis dura.

7. Per te nati renascimur,
   Renati consummamur,
   Perenni cibo pascimur,
   Charactere signamur,
   A vinculis absolvimur,
   Aeterno sponso iungimur,
   Verissime sanamur.

8. Tu das gustum dulcedinis,
   Intellectum, splendorem,
   Consultae fortitudinis
   Tu tribuis vigorem,
   Tu clausum librum aperis
   Et pietatem suggeris
   Et ingeris timorem.

9. Ergo, caelestis unctio,
Nos ungere dignare,
Da sacro septenario
Devotos abundare,
Jacentes in exsilio
Frequenti beneficio
Sis memor visitare.

10. O benigne paraclite
Lugentes consolare,
Te mereamur hospite
Post fletum exsultare,
Per te de carne, saeculo
Atque salutis aemulo
Possimus triumphare.

Collect. ms. Italicum saec. 14. Cod. Rossian. IX, 43. — 5,3 tibi fehlt. — 3, 3 illustrator. — 9, 2 Nos unge dignare, — 10, 6 Absque salutis.

19. De Spiritu Sancto.

1. Alme Dei digite,
Spiritus amoris,
Dulcis o paraclite,
Vera spes maeroris,
Consolator optime,
Imbrem tui roris
Funde, dans laudare te
Omnibus in horis.

2. Pax insuperabilis,
Caritas divina,
Mens invariabilis,
Hora matutina
Donum sapientiae
Miseris propina
Et aures clementiae
Super nos inclina.

3. Tu clemens illabere
Nobis *hora prima*
Ut possimus capere
Intellectus ima,
Recta doce sapere,
Vetus purga zima
Et peccati scoriam
Dulciter elima.

4. H*ora* quondam *tertia*
Qui discipulorum
Inflammasti pectora,
Doce vias morum,
Recta da consilia,
Opera iustorum,
Sancta desideria
Dona, lux polorum.

5. Estatis temperies,
Flatus aurae lenis,
Virtutum congeries,
Sis in *horis senis*
Dono fortitudinis
Roborans in poenis,
Tuae ros dulcedinis
Nostris natet venis.

6. Rivus omnis gratiae,
Nobis *hora nona*
Xenium scientiae
Dulciter condona,
Christi mens et passio
Sit in mente prona,
Ut fruamur inclita
Regnantis corona.

7. Tuis caris iugiter
Hora vesperorum
Subveni celeriter,
Pater orphanorum,
Pietatem colere
Da, merces laborum,
Ut ad alta scandere
Possimus caelorum.

8. Noctis in crepusculo
Hora iam *completa,*
Sacrum neuma, tempora
Per te sint quieta,
Fac nos ita petere
Lectuli secreta,
Timor tuus super nos
Sit ut sine meta.

9. Eia, sancte spiritus,
Qui Sebastianum
Inflammasti penitus
Nec non Fabianum,
Superaddens tertium
Sanctum Adrianum,
Quos fecisti spernere
Spiritum profanum.

10. Illos, inquam, spernere
Vana docuisti,
Quibus et Achatium
Iungi voluisti,
Dorotheam nobilem
Illis addidisti,
Quos tuis igniculis
Ad mortem ignisti.

11. Dignis horum precibus,
Sacrum o spiramen,
Nos a mortis faecibus
Munda dans solamen,
Ut, cum apparuerit
Ultimum examen,
Venite praedulciter
Audiamus. Amen.

Offic. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a VI, 52. A. — Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. ex. Cod. Petrin. a V, 50. B. — 1, 6 Imbre. — 8, 3 pneuma B. — 8, 3 sq. per te sint tempora B. — 9, 6 Inclitum Albanum B. — Akrostichon: Apt Hertheid. Welcher Hertnidus gemeint ist, vermag ich nicht zu sagen.

20. Paraphrasis Orationis Dominicae.

Sancte pater, summa caeli qui sedes in aula,
Sanctificetur honore tuum venerabile nomen,
Nobis adveniat regnum, tua magna potestas,
Quondam qui tenuit regnum, nunc hoste depulso
Filius ut regnet semper per tempora pacis.
In caelis velut colitur tua cara voluntas,
Sic dignos faciant fructus tibi corpora nostra,
Impleat et sanctus nostri praecordia flatus.
Pauperibus potum nobis panemque ministra,
Semper ut esuriem superes aestusque laborem
Atque tuos pascat panis victoribus aptus.
Te, genitor, petimus, dimittas crimina nostra,
Fratribus ut culpae veniam poscentibus ante
Viscere perfecto pacis indulsimus almae,
Nonque sinas servos vinci, pater, hoste maligno,
Olim qui primoplaustum detrusit ab Eden.
Eripe sed, genitor, agnos de faucibus hostis,
Ut possint Domino semper servire superno.
Quod petimus, fiat Christo fiatque volente.

Collect. ms. Cantuariense (?) saec. 11. Cod. Cantabrigien. Gg V, 35. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

21. Versus de Dominica Oratione.

Sancte, tuum nomen, pater, in me sanctificetur,
Filius ut tibi sim, sapientia pace iuvetur,
Regnum da clemens intellectumque profundum,
Quo mediante Deum cor possit cernere mundum.
Fiat velle tuum, sic consule, consiliator,
Ut mihi mercedem miseranti des, miserator.
Caelesti me pane ciba fragilem solidando,
Ut sit esuries mihi iustitiae salutando,
Ut mihi dimittas, dimitto; scientia luctum
Augeat, in lacrimis det consolatio fructum.
Ne tempter, rogo te pietatis opem mihi ferre,
Ut mihi mansueto detur possessio terrae.
Liber ut esse queam, qui liberet, adde timorem,
Quo mihi mens humilis regni mereatur honorem.

Collectan. ms. incert. origin. saec. 13. Cod. Mazarin. 742 (1115). — Nach 14 folgen noch zwei Hexameter, die nicht zu dem Gedichte zu gehören scheinen:

Ordine retrogrado fieri progressio debet,
Quam naturalis nobis inspectio praebet.

22. Paraphrasis Orationis Dominicae.

1. Pater rerum omnium
pius et fidelis,
Iustus et misericors,
habitans in caelis,
Serva nos a laqueis
hostium et telis
Caelestium spiritum
commendans tutelis.

2. Regnum tuum veniat,
Christus, tuus natus,
Qui ineffabiliter
est pro nobis natus,
Ipse nostra scelera
purget et reatus,
Hoc pro nobis postulet
caelicus conatus.

3. In nos tua gratia
semper innovetur,
Tuum, ut in caelis est,
sic sanctificetur
Sacrum nomen, super nos
virgo invocetur,
Sola sine macula
quae semper habetur.

4. Tuum velle vigeat
in altis et imis,
Hoc, concede, facere
semper ut possimus,
Nostram impotentiam,
pater, bene scimus,
Quia tibi sine te
placere nequimus.

5. Panem nostrum hodie
da cotidianum,
Panem hunc, qui saucium
totum fecit sanum,
Panem hunc, qui frivolum
respuit et vanum,
Panem, qui salvificat
genus et humanum.

6. Dimitte nobis debita
nostra, supplicamus,
Sicut debitoribus
nostris condonamus,
Exsules et flebiles
te, pater, oramus,
Dimitte, quod peccavimus,
et dona, quod rogamus.

7. Tu, qui mundi veneras
solvere peccata
Atque legis veteris
implere mandata,
Nostra nobis hodie
dimitte peccata,
Ut in nos peccantibus
dimittimus errata.

8. Circueuntem propter nos
reprime leonem,
Qui nos temptat ducere
in perditionem,
Paternam deposcimus
hanc tuitionem,
Ne nos circumveniat
per temptationem.

9. Qui in caelis solus es,
terris et in salo,
Plebi Israeliticae
positus in palo,
Ad te fundo gemitus
meos et propalo,
Ut nos in perpetuum
conserves a malo.

10. Nunc patris et filii
deprecor spiramen,
Mei caeci pectoris
depellat velamen,
Perpes in perpetuum
meum sit solamen;
Oret mecum hodie
totus mundus. Amen.

Collect. ms. Lantoniense (?) saec. 13. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 59. — 2, 2 invocetur. — 3, 5 Opem nostram. — 4, 2 et in imis. — 7, 7 ut in nobis. — Von Str. 6 eine zweite Redaktion von anderer Hand:

Sicut nos dimittimus omni delinquenti,
Tibi preces supplices pectoreque flenti
Facimus, et scelera nobis inferenti,
In nos ut respicias oculo clementi.

Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

23. Super Pater Noster.

1. *Pater*, qui es ingenitus,
Iesu, fili beate,
Noster director, spiritus,
Tu nos exaudi grate,
Qui Deus exstas praeditus,
Unus in trinitate.

2. *Es* vita et veritas
Et esse aeternale,
In te manet immensitas,
Principium causale,
Caelis, in quibus habitas,
Das lumen radiale.

3. *Sanctificetur* nobile,
Salubre, gratiosum,
Nomen, quam admirabile,
Quam summe gloriosum,
Tuum, quod est laudabile,
Prae cunctis virtuosum.

4. *Adveniat* perpetuum
In nos possessione
Regnum caeli praecipuum
Cum tui visione
Tuum, quod est mellifluum
Manans fruitione.

5. *Fiat* mente gratuita
Et diligenti cura
Voluntas, per quam condita
Est omnis creatura,
Tua decens et licita,
Quae legum est mensura.

6. *Sicut* es per essentiam
Omnis fons bonitatis,
In caelo sanctis gloriam
Praebes felicitatis,
Et in terra da gratiam
Firmae stabilitatis.

7. *Panem* caelestem influe
Nobis sacramentalem
Nostrum, dona largiflue
Panem verbi mentalem,
Cotidianum tribue
Panem materialem.

8. *Da*, Deus, efficaciter,
Da carnis sanitatem,
Nobis praebe benigniter
Mentis tranquillitatem,
Hodie et perenniter
Da vitae sanctitatem.

9. *Et dimitte* fidelibus
Reatus et peccata,
Nobis transgressoribus
Dominica mandata
Debita paenitentibus
Remitte perpetrata.

10. *Nostra* dissolve scelera,
Morbos cunctos averte,
Sicut das cuncta munera,
Sic nos ad te converte
Et nos transfer ad sidera
Te visuros aperte.

11. *Dimittimus* errantibus
Offensam et gravamen
Debitoribus omnibus
Praestante te iuvamen,
Nostris ut dones mentibus
Salutis medicamen.

12. *Et ne nos* per contagium
Quodcumque vitiorum
Inducas in excidium,
Fer opem, rex caelorum,
Temptationem hostium
Repelle malignorum.

13. *Sed* tu, pater, per filium
Iesum tam benedictum
Libera dans auxilium
Et mitiga conflictum,
Nos salva premens noxium
Serpentem maledictum.

14. *A* poenis, Deus, penitus
Nos stude liberare,
Malo propulso funditus
Nos, Christe, consolare,
Amen ut semper caelitus
Possimus te laudare.

Collect. ms. Benedictoburanum saec. 15. ex. Clm. Monacen. 5005. — 1, 5 praedictus. — 5, 3 per quem enim condita. — 7, 2 Nobilem sacramentalem. — 12, 5 In temptationem. — Auf dies Lied folgen unmittelbar die beiden Glossenlieder Ave nostra domina de humilitate Anal. XXX, 222 sq. und Salve splendor praecipue ibid. 292 sq. Dies legt die Vermutung nahe, dafs dieselben nicht nur aus einer Quelle, sondern auch aus einer Feder stammen, um so mehr, als sie gleichen Bau und gleiche Behandlung aufweisen. Doch ist die Verbreitung des zweiten Liedes eine weitere als die des ersten und dritten.

24. Super Pater Noster.

1. *Pater*, qui de nihilo
saecula creasti,
Mittens mundo filium
nos recuperasti,
Mortuis ex crimine
vitam praeparasti,
Parce nobis miseris,
quos gratis salvasti.

2. *Noster* in adversis [sis]
mane defensator,
Rerum benigne conditor,
dulcis gubernator,
Vero certe nomine
diceris salvator,
Fundens cruce sanguinem
factus triumphator.

3. *Qui* concludis semitas
cuncta gubernando,
In te confidentibus
veniam donando,
Flecte corda supplicum,
ut in te sperando
Laudibus et meritis
gaudeant amando.

4. *Es* in caelis conditus
sine fine manens,
Nostram carnem sumere,
Deus alme, parens
Dignatus ex virgine,
qui livore carens
Subisti patibulum
ara crucis arens.

5. *Sanctificetur* uterus,
qui te generavit,
Venter sacratissimus
matris, quae lactavit,
Gloriosae virginis,
quae te et portavit
Deque mortis laqueo
vitam reparavit.

6. *Nomen* Christi credimus
atque confitemur,
Id cum reverentia
semper veneremur
Et in tuis laudibus
prompte delectemur,
Ut a sorde criminis
et morte liberemur.

7. *Tuum* da praesidium
nobis, alme pater,
Illud nobis impetret
sanctissima mater,
A nostris cesset mentibus
inimicus ater,
Qui nos vexat stimulis
uno puncto quater.

8. *Adveniat* cordibus
candor lucis inclitus,
Mentes nostras impleat
paraclitus spiritus,
Eius ad obsequium
nos conformet penitus,
Qui gratiarum omnium
est largitor optimus.

9. *Regnum* caeli, Domine,
mentibus infunde,
Paenitendi gratiam
conferas abunde,
A te solo provenit
et non aliunde,
Sed in gratitudine
non sentimus unde.

10. *Tuum* beneficium
semper est paratum,
Redde cor fidelium
tibi praeparatum,
Da nobis per gratiam
iter demonstratum,
Nostrum sacrificium
tibi fiat gratum.

11. *Fiat* nobis, Domine,
sicut tu dixisti,
Ut ambulemus tramite
recto, quem duxisti,
Et tui regni gloriam,
sicut promisisti,
Da tuis fidelibus,
quos tu redemisti.

12. *Voluntas* nostra maneat
tecum radicata,
Angelorum laudibus
semper sit parata,
Porta caeli, quaesumus,
nobis reserata
Maneat, in gloria
virtus comprobata.

13. *Tua* dulci gratia
defende peccatores
Et adflictos subleva,
mitiga dolores,
Ut te cognoscant Dominum,
vitia, labores
Vitent et virtutibus
fiant amatores.

14. *Sicut* tu vis, Domine,
nos indifferenter
Guberna, rege, protege
dando nobis semper
Muneris auxilium,
ut tibi reverenter
Serviamus, turpia
vitando potenter.

15. *In caelo* cuncta gaudia
nobis sunt parata,
Ubi delectatio
est adcumulata,
Angelorum deitas
manet informata
Et iustorum gloria
semper augmentata.

16. *Et in terra* prospera
nulla, sed adversa
Inveniuntur, miseris
omnia transversa,
Adflictionum plurium
copia diversa,
Vitemus ergo saeculum,
ut poena sit dispersa.

17. *Panem* tuum angelicum
praebe nobis, Domine,
Ut tui consortii
coniungamur agmine
Et cum tuo filio
et cum sancto flamine
Iungamur in gloria
canendo dulci carmine.

18. *Nostrum* cor, altissime,
flecte tolerando,
Ut vivamus sobrie
vitia vitando,
Te cum diligentia
semper imitando
Videamus facie,
quando erit quando.

19. *Cotidianum* gaudium
tecum invenitur,
Per fidem spes altissimi
cordibus unitur,
Qui relinquit vitia,
virtute redemitur,
Caelesti mensa, gaudii
poculo potitur.

20. *Da nobis*, Domine, ut
semper tecum vivamus,
Tua beneficia
saepe cogitemus,
Concede nobis gratiam,
ut te collaudemus
Et ad superna gaudia
viam dirigemus.

21. *Hodie*, savator,
conserva nos et semper,
Concede tuis famulis,
ut te reverenter
Cognoscant verum Dominum,
qui cuncta potenter
Disponis, et veniam
nobis da clementer.

22. *Et dimitte* criminum
noxium ligamen,
Qui certasti fortiter
nobile certamen,
Crucis in patibulo
solvisti ligamen,
Te esurientibus
vere das libamen.

23. *Nobis* dux et semita,
bone Iesu Christe,
Sis et peccatoribus,
petimus, assiste,
Ut a peccatis omnibus
caveant, resiste
Et semper nostris mentibus
dulciter insiste.

24. *Debita* remitte,
quibus obligati
Tibi sumus fortiter,
paterna peccati,
Quibus si fuerimus
a te liberati,
Erimus ad gratiam
cito praeparati.

25. *Nostra* sunt peccamina
tot et tam diversa,
Ex misericordia
nisi sint aspersa,
Nobis procul dubio
parata sunt adversa;
Succurre nobis, Domine,
peccata sint abstersa.

26. *Sicut* vis et expedit
et sicut tibi placet,
Fiat de nobis, Domine,
et, si lingua tacet,
Cor meum semper vigilet
operibusque vacet,
Surgat, qui criminibus
involutus iacet.

27. *Et nos*, qui sumus fragiles,
pravis declinantes,
Fac in tuis laudibus
fortes et constantes,
In bonis operibus
esse declinantes,
Relinquendo vitia
virtutes operantes.

28. *Dimittimus*, quo iugiter
debemus operari,
Studemus assidue
bruta imitari,
Semper cum miseria
nimisque avari,
Concede nobis, Domine,
tecum delectari.

29. *Debitoribus* debita
nunquam relaxamus,
Immo nostra credita
semper postulamus
Et non persolventibus
poenas praeparamus,
Signum est, quod proximos
certo non amamus.

30. *Nostris* adversariis
parcere debemus,
Mala inferentibus
dona redonemus,
Qui nos habent odio,
dulciter amemus
Et pro eis Dominum
iugiter oremus.

31. *Et ne nos* despicias,
pater, te precemur,
Impetremus veniam,
culpam qui meremur,
Libera nos debito,
pater, quo tenemur,
Ut in tuis laudibus
semper delectemur.

32. *Inducas* nostris oculis
fontem lacrimarum,
Ut plangamus crimina,
dator gratiarum,
Cor contritum praepara,
ut semper sit amarum
Ex delictis pectorum,
dator veniarum.

33. *In temptationem* duram
currimus frequenter,
Defende nos, benignus
pater, quaesumus, clementer,
Ut possimus temptatori
resistere potenter,
Et nostras infirmitates
cura diligenter.

34. *Sed libera nos*, Domine,
libera, clamamus,
Nos a peccatis omnibus,
libera, rogamus,
Libera, qui noxia
mala reportamus,
Libera, qui criminum
iugo semper stamus.

35. *A malo* mortis turbine,
Christe, nos defende,
Matris tuae meritis
te nobis ostende
Et, si mala gerimus,
veniam impende,
Supplicum defectibus
propitius intende.

36. Honor, laus et gloria
sit summae maiestati,
Portemus reverentiam
almae trinitati,
Toti caelesti curiae,
ut semper sint parati
Ad impetrandum veniam
de turbine peccati.

Collect. ms. Fürstenfeldenses saec. 15. Clm. Monacen. 7016. 5, 6 et fehlt. — 5, 7 que fehlt. — 20, 8 viam nostram. — 25, 4 sit. — 28, 4 brutis. — 28, 6 que fehlt. — 32, 7 peccatorum. — „Praecedens carmen orationis dominicae scripsi Bononiae in oratorio sancti Petronii sub anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo kalendas Iulii, pontificatus Dni Eugenii, papae quarti, anno septimo, quiquidem pro tunc residebat Bononiae.“ Der Schreiber Hainricus Prugger de Holnpach.

25. Super Pater Noster.

1. *Pater* alme, vere Deus,
Ad te clamo tamquam reus,
Ut tu sis adiutor meus
Cum tuis virtutibus.
Noster optime salvator,
Deus omnium creator,
Tu es gratiarum dator
Hic et in caelestibus.

2. *Qui es* et in infinitum
Deus eris, cor contritum
Praesta, precor, praemunitum
Esse cum humilibus.
In caelis tu nos dignare,
Sancte Deus, collocare,
Ibi fac nos habitare
In supernis aedibus.

3. *Sanctificetur* in aeternis
Tua laus et in supernis,
Custodi nos a sempiternis
Poenis infernalibus,
Nomen sanctum est verendum
Dei, non contradicendum,
Super omnia colendum
Semper ab hominibus.

4. *Tuum* velle, sanctum totum,
Debet esse cunctis notum,
A peccatis me remotum
Fac cum sacerdotibus,
Adveniat tua virtus,
Lenitas dictae virtutis,
Ne cogat sanctus spiritus
Te cum habitantibus.

5. *Regnum* tuum est cunctorum,
Salus nostra redemptorum,
Praesta, Deus tuum chorum
Cum superioribus.
Tuum regnum est beatum,
Salus bonis deputatum,
Est et aptum et paratum
Tibi servientibus.

6. *Fiat* nobis verum caelum
Trina spes et totum verum,
Videamus omnem zelum
A proicientibus.
Voluntas vere divina
Sancta manet in doctrina,
Ut nos servet a ruina,
Ab inferioribus.

7. *Tua* vota sunt aeterna,
Ut ducamur ad superna,
Vivamus in sempiterna
Cum aeternis fratribus.
Sicut Adam tu plasmasti
Et post ipsum tu citasti,
Libertatemque donasti
Omnibus mortalibus.

8. *In caelo* tu nos largire
Summa gaudia sentire,
Te videre et audire
Cum te diligentibus.
Et in terra sic morari
Et honeste conversari,
Ut dotemur omnes pari
Vita cum viventibus.

9. *Panem* sanctum spiritalem,
Nostrae vitae specialem,
Praesta, Deus, vitam talem
Digne manducantibus.
Nostrum Deum timeamus,
Illi pie serviamus,
Ut ad ipsum fugiamus
Relictis criminibus.

10. *Cotidianum* et verum,
Vitam, carnem atque merum,
Praesta, Deus, nunquam serum
Ipsum manducantibus.
Da nobis et nostrae genti
Vitam, Deus, in praesenti,
Vitam vivere viventi
Cum dictis hominibus.

11. *Hodie* sit praesens vita
Virtuosa, redimita,
Tua gratia munita
Tuisque muneribus.
Et dimitte servientes
Tuos esse paenitentes,
In futurum sint gaudentes
Cum vere gaudentibus.

12. *Nobis* Deus det aeternus,
Qui nostrorum est supernus,
Quod a nobis sit infernus
Procul cum daemonibus.
Debita tolle culparum,
Sancta salus animarum,
Praesta velle non ignarum
Te desiderantibus.

13. *Nostra*, Deus alme, vota,
Quae tu habes vere nota,
Tribuantur tibi tota
Et tuis indicibus.
Sicut et nos viles sumus,
Nostrum corpus vilis humus,
Vita nostra velut fumus
Transit horis brevibus.

14. *Dimittimus* in hoc mundo
Cunctas opes transeundo,
Ad te clamo de profundo,
Deus, magnis vocibus.
Debitoribus peccata
Tu dimittis, qui beata
Servis tuis das mandata
Omnibus temporibus.

15. *Nostris* precibus intende,
Sancte pater, nos defende,
Nos consortes fac praebendae
Polorum heredibus.
Et ne nos desideremus,
Quod vitare nos debemus,
Ac vigiliter oremus
Cum devotis mentibus.

16. *Inducas* atque compelle
Nos in tuum sanctum velle,
Mala nostra cuncta pelle,
Da bona credentibus,
In temptationem ream
Non inducas mentem meam,
Liberare velis eam
A temptationibus.

17. *Sed libera* tuam gentem,
In tuo nomine credentem,
Et a terra refugientem
In necessitatibus.
Nos a malo liberatos,
Sancte pater, fac beatos,
In caelestibus locatos
Cum sanctis spiritibus.

18. *Amen* ultimo cantamus
Et in signum, quod optamus,
Quidquid recte postulamus
Cum orationibus.

Cod. Oxonien. Canon. Misc. 21. saec. 15. — 2, 2 contrictum. — 2, 5 nos fehlt. — 2, 6 aulibus. — 3, 2 et fehlt. — 3, 6 non est. — 4, 2 Debeat. — 4, 4 Fac esse cum presbyteris. — 4, 6 Lenitatis. — 5, 7 Est fehlt. — 6, 3 Ut videamus omne celum. — 6, 5 Voluntas vestra. — 7, 2 Ut ducant. — 7, 3 Ut vincamus in sempiternum. — 7, 7 quam donasti. — 8, 2 scentire. — 8, 3 et de audire. — 8, 7 docemur. — 9, 6 Ibi pie. — 10, 8 Lies: Cum sanctis? — 16, 6 mentem nostram. — 17, 3 refulgentem. — 17, 8 Cum tuis sanctis angelis. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

26. Rhythmi sive oratio supra Psalmum „De profundis".

De profundis.

1. Huius mundi de profundis
Et secundi de secundis
Erue me, Iesu pie,
Daque viam dextrae viae,
Qui peccantes nunquam spernis,
Sed benigno vultu cernis,
Dum peccasse se cognoscunt
Veniamque cordis poscunt.
Illud satis ostendisti,
Cum Mariam suscepisti,
Peccatricem Magdalenam,
Sorde foedam, sorde plenam.

Fiant aures.

2. Aures flecte pietatis,
Qui peccantium peccatis

Sublevamen contulisti,
Quando carnem assumpsisti,
Meque deprecantem audi
Et auditum mox exandi.

Si iniquitates.

3. Iniquitates patravi
Me patrare nec expavi,
Quas si deles, sum salvatus,
Si non deles, sum damnatus.

Quia apud te propitiatio.

4. O quam clemens, quam benignus,
O quam magnus, o quam dignus,
Laude Deus, es creator,
Miserorum reparator
Nobisque propitiator.
Homo factus, morti datus
Nostra diluit delicta,
Cuius morte mors est victa.

Sustinuit anima mea.

5. Illud verbum, quod in primis
Cuncta fecit et in imis
Dominatur ac superna,
Gubernat, lux et lucerna
Illuminans tenebrosa,
Sicca regens et aquosa,
Illud ergo supplex oro,
Quod me collocet in choro
Spirituum beatorum
Post ruinam saeculorum.

A custodia matutina.

6. Christe, stella matutina,
Qui traxisti de sentina
Protoplasma gehennali
Morsu solvens morsum mali,
Praesta mihi peccatori
Cum confessione mori,
Ne mors forte repentina
Locum tollat, tu festina
Mihi, Iesu, subvenire
Neque sinas me perire.

Quia apud Dominum.

7. Sed quid plura dicam ego,
Qui per multa loca lego,
Quod misericors, quod pius
Es ille Dei filius,
Qui clamat omnibus horis:
Nolo mortem peccatoris,
Revertere, Sunanitis.
Tu es palmes, ego vitis,
Si vis ferre fructum bonum,
Recognosce me patronum;
In me sta, sicut in vite
Patmes facit, quia vitae
Utriusque sum donator
Legis atque legislator.

Et ipse redimet Israel.

8. Qui de manu Pharaonis
Et de iugo Babylonis
Israelem redemisti,
Quando dices: Vadant isti
Ad interitum aeternum,
Et illi regnum supernum
Habeant cum patre meo,
Tunc ignosce mihi reo,
Quidquid perpetravi mali,
De poenaque barathrali
Custodias me miserum,
Ut te laudem Deum verum
Per saecula infinita.
Amen, Amen fiat ita.

Gloria patri.

9. Deo patri sit gloria,
Qui potenti potentia
Colla calcat sublimia
Et exaltat humilia,
Cuius magnificentia
Creat et fovet omnia.
Laus perennis sit filio,
Qui de patris consilio
Victo mortis imperio
Nos duxit ab exsilio
Sanctorumque concilio
Iunxit et caeli gaudio.

Ab utroque spirans flamen,
Mihi, rogo, sis solamen,
Dum ad iudicis examen
Venero, ne damner. Amen.

Collect. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 374 (306).

27. De Vita Iesu Christi.

1. Iesu Christe, sempiterni
patris unigenite,
Patri consubstantialis,
coaequalis gloriae,
Tu de summis ibi manens
advenisti sedibus
Unam aggregare vagam
nonagenis ovibus.

2. Tu divino sine viro
conceptus spiramine,
Nuntiante Gabriele
natus es de virgine,
Ac si cedrus alta vallis
conformetur hysopo,
Sine quantitate magnus
unitus homunculo.

3. Sic procedens quasi gigas
geminae substantiae
Ad currendam exsultasti
viam mundi libere,
Universa nutu regens
et disponens proprio,
Locum non inveniebas
natus diversorio.

4. Vagiebas intra saepta
praesaepis absconditus,
Cui cives supernorum
adplaudebant caelitus;
Vita vivens, in te manens,
verbo pascens omnia,
Lactis opem esuristi
suspensus ad ubera.

5. Qui decorem es indutus
et amictus lumine,
Involutus iacuisti
pannorum sub tegmine,
Angelorum excitati
pastores praeconio,
Transierunt admirati
Deum in praesaepio.

6. Sic magi stellam videntes
orientis partibus
Venerati sunt lactentem
mysticis muneribus;
Innocens es circumcisus,
ut sub lege fieres,
Quatenus nos, qui sub lege
fuimus, redimeres.

7. Cum duobus columbarum
pullis aut turturibus
Templo datus es acceptus
Simeonis manibus;
Puniendus ab Herode
petisti suffugium,
Ut dilata cummularet
mors mundo suffragium.

8. Generali subrelinquens
stragi coaetaneos,
Innocentes praemisisti
cruoris vicarios;
Ex Aegypto revocatus
post Herodis obitum
Nutriendus elegisti
Nazareth latibulum.

9. Semper idem ipse, cuius
anni non deficiunt,
Aeviternas admisisti
vices, quae praetereunt;
Baptizatus cum fuisses
in Iordanis flumine,
Spiritus super te mansit
in columbae specie.

10. Et elapsa de suspernis
vox patris intonuit:
Iste est filius meus,
in quo mihi complacuit;
Post dierum quadraginta
temptatus ieiunium
Angelorum accepisti
triumphans obsequium.

11. Iuxta mare Gallilaeae
bis binos aspiciens
Piscantes vocasti fratres,
te sequi praecipiens;
Virtus patris, quae creasti
et gubernas omnia,
Homo factus nova quidem
fecisti miracula.

12. Signorum architriclino
tu ditasti nuptias,
Sex ex aqua vino facto
plenas reddens hydrias;
Item quino pane binos,
pisce quinque milia
Satiasti in secreta
reparans impendia.

13. Caecis visum, claudis gressum,
mutis eloquentiam,
Auditum dedisti surdis,
leprosis munditiam;
Ex obsessis effugasti
daemones corporibus,
Paralysi destitutos
innovasti viribus.

14. Diuturna exstinscisti
sanguinis profluvia,
Rediviva contulisti
defunctis vitalia;
Quieverunt tempestates
ad vocis imperium,
Mare calcabilitatis
praebuit obsequium.

15. Reparationis nostrae
futura commercia
Ostensursus Thabor montis
adisti fastigia,
Transfigurans temet ipsum
habuisti splendidam
Faciem ad instar solis,
vestem ut nix candidam.

16. Inque suas prociderunt
facies apostoli,
Petrus, Iacobus, Iohannes,
pavore perterriti;
At qui verus Deus vera
fecisti magnalia,
Caro factus vera carnis
tulisti dispendia.

17. Panis vivus esuristi,
vitae fons ad puteum
Sedens a Samaritana
poposcisti poculum;
Qui sedes super Cherubim
trinam regens machinam,
Ierosolymam intrasti
sedens super asinam.

18. Captus a Iudaeis, ut te
regem constituerent,
Declinasti, sponte te dans,
ut te crucifigerent;
Lacrimantis, extergentis,
ungentis obsequia
Peccatricis acceptasti,
cuncta laxans debita.

19. Corpus tuum in sumendum
dedisti cum sanguine
Fratribus in spem salutis
et ritum memoriae
Et post cenam caput illud
tremendum virtutibus
Lavandis discipulorum
inclinasti pedibus.

20. Factus erat sudor tuus
sicut guttae sanguinis,
Dum transferri postulares
ad te gustum calicis;
Sed hoc opus ordo nostrae
salutis poposcerat,
Ut inde vita rediret,
unde mors obvenerat.

21. Cum prolixius orares
in agone positus,
Angelus consolabatur
paventem humanitus;
Tertio iam ab orandi
reversus instantia,
Dormitantes invenisti
fratres prae tristitia.

22. Te quaerentem non fugisti
Iudaeorum populum,
Non negasti proditoris
Iudae pacis osculum;
Captus non renitebaris,
sed ut agnus innocens
Protrahentes es secutus
probra multa sustinens.

23. Zelum Petri frangens, Malchi
contingens auriculam,
Munerasti pietatis
medela malitiam;
Flagellatus et consputus
a servis pontificum
Ductus es usque ad summi
sacerdotis atrium.

24. Circumventus cum fuisses
a viris mendacibus,
Innocentem te clamavit
praeses coram omnibus;
Inde plebis et cohortis
arte delusoria
Spoliatus et nudatus
chlamyde coccinea

25. Processisti, manu tenens
virgam arendineam
Coronamque plexam gerens
de spinis impositis;
Morti tandem condemnatus
ad crucis patibulum
Accessisti nullum quaerens
fugae patrocinium.

26. Pro redemptione nostra
patri voluntariam
[Ut] pontifex obtulisti
tuae carnis hostiam,
Cum iniquis deputatus
clavis fossis pedibus
Pependisti perforatis
per transversum manibus.

27. Ad verum assumptae carnis,
lamentans indicium
Exclamasti voce magna
traditurus spiritum;
Tua sibi vestimenta
divisit plebs impia,
De contexta, cuius foret,
sortientes tunica.

28. Universa congemiscens
creatura stupuit,
Velum templi rumpebatur
et terra contremuit;
Obscurato sole mundum
contexerunt tenebrae,
Petrae scindi cernebantur,
mortui resurgere.

29. Lancea demum inflicto
laterali vulnere
Mox exivit salutaris
unda mixta sanguine;
Ioseph ab Arimathia,
nobilis decurio,
Corpus tuum, sibi datum
a Pontio Pilato,

30. Ungens illud et involvens,
sicut moris fuerat,
Posuit in monumento
novo, quod exciderat.
Domum fortis invasisti
trudens illum vinculo
Et direptis vasis eius
redisti de barathro,

31. Inventam reportans ovem,
pastor bonus, umeris.
Post diem resurrexisti
tertiam a mortuis;
Apparitionis tuae
dedisti primitias
Mulieri, de qua septem
daemones eieceras.

32. Congregatis propter metum
in unum discipulis
Pacis pignus attulisti,
clausis intrans ianuis;
Quibusdam de visione
primum dubitantibus,
Carnem illis obiecisti
palpandam cum ossibus.

33. Item Thomae, non credenti
discipulis aliis,
Monstrasti clavorum loca,
cicatricem lateris;
Diebus post passionem
quadraginta testibus
Apparens praeordinatis
argumentis pluribus

34. Exspectandum imperasti
convescens paraclitum,
Quem promissum per os tuum
noscant sancti spiritum.
Hinc in caelum elevatis
manibus et oculis
Benedictionem tuam
dedisti discipulis,

35. Et ascendens supra caelum
illis intuentibus
Triumphalem praesentasti
carnem patris vultibus,
Rursum venturus cum servis
rationem ponere,
Singulis secundum lucra
talentorum reddere.

36. O rex regum, ne sis huius
immemor commercii,
Sed in tanti nos confirma
virtute mysterii,
Da nobis exemplo tui
terrena despicere,
Blasphemantes non timere
nec laudes appetere.

37. Veritate radicati
floreamus gratia,
Corde, verbo, actu tua
sequentes vestigia,
Venumdato sub peccatis
condolentes saeculo
Succurramus prece, voto,
lacrimis, ieiunio.

38. Carnem nostram tuae crucis
confige stigmatibus
Ad supplendum hic, quae tuis
desunt passionibus;
Talem tecum crucifixis
da perseverantiam,
Ut nos ipsos vespertinam
demus tibi victimam.

39. Da nobis pro tua morte
nostra tibi solvere,
Ut commorientes simul
possimus convivere,
Occurrentes in mensuram
tuae plenitudinis,
Decreti divinitatis
et beatitudinis.

40. Consortes nos suscitabis
et in patris dextera
Iugi tuae nos visionis
satiabis gloria;
Tuo semper hic, ubique
perfungamur exitu,
Qui cum patre regnas Deus
et cum sancto spiritu.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 34, 4 noscent.

28. Sequuntur triginta tres salutationes ad Christum secundum quod triginta tribus annis vixit in terra.

1. Ave, Iesu, te colimus,
Adorantes te petimus,
Ut, quae de te recolimus,
Acceptes, rex piissimus.

2. Ave, Iesu, rex omnium,
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium,
Nobis sis in auxilium.

3. Ave, Iesu piissime,
Ave, rex clementissime,
Audi preces miserrimae
Et peccatricis animae.

4. Ave, Iesu, fons luminis
Es et omnis dulcedinis,
Corpus intrasti virginis
Naturam sumens hominis.

5. Ave, Iesu, cui sidera
Deserviunt et aethera,
Te intra sua viscera
Clausit virgo puerpera.

6. Ave, Iesu, de virgine
Sine virili semine
Natus fuisti, Domine,
Sine omni gravamine.

7. Ave, Iesu, pastoribus
Ostensus ex caelestibus
Fuisti collaudantibus
Angelicis spiritibus.

8. Ave, Iesu, quem viderunt
Magi et adoraverunt,
Muneraque obtulerunt
Et gaudentes redierunt.

9. Ave, Iesu, quem lactavit
Virgo mater atque pavit,
In templo te praesentavit
Implens, quod lex imperavit.

10. Ave, Iesu, qui omnibus
Prope es invocantibus
Dulcisque te quaerentibus,
Sed plus invenientibus.

11. Ave, Iesu, qui doctorum
In medio doctor horum
Inventus es, nos tuorum
Duc per viam mandatorum.

12. Ave, Iesu, qui temptari
Sed nequaquam superari
Voluisti, modo pari
Da nobis te imitari.

13. Ave, Iesu, quem osculo
Tradidit Iudas populo,
Me pietatis oculo
Cerne parceque sedulo.

14. Ave, Iesu Christe pie,
Qui alapas in facie
Sputa, verba blasphemiae
Passus es, sol iustitiae.

15. Ave, Iesu, pro miseris
Tuis portasti umeris
Cum tormentis innumeris
Crucem, cum non merueris.

16. Ave, Iesu, qui gravia
Tormenta et supplicia
Pro tuorum miseria
Mira passus es gratia.

17. Ave, Iesu, qui pendentem
Et iuxta te morientem
Suscepisti, me praesentem
Salva, precor, te petentem.

18. Ave, Iesu, matrem tuam
Iohanni dixisti suam
Esse, curam praecipuam
Donans ei perpetuam.

9. Ave, Iesu, me commendo
His duobus, deprecando,
Ut deleas miserando,
Quae commisi in precando.

0. Ave, Iesu, sit passio
Tua nobis defensio,
Peccatorum remissio,
Virtutum exhibitio.

1. Ave, Iesu, descendisti
In infernum et fregisti,
Sanctos inde eduxisti,
Cum sepultus iacuisti.

2. Ave, Iesu, agne Dei,
Dator verae requiei,
Decor omnis speciei,
Miserere, precor, mei.

3. Ave, Iesu, qui dolore
Victo mortis et sopore
Surrexisti cum decore
Gloriaque et honore.

24. Ave, Iesu, rex gloriae,
Ave, Iesu, rex gratiae,
Ave, decus ecclesiae
Et rex plenus victoriae.

25. Ave, Iesu, corpus tuum,
Quod pro me fuit mortuum,
Sit mihi in perpetuum
Cibus et dux affectuum.

26. Ave, Iesu, lux mentium,
Ave, dulcedo cordium,
Nostrum fer desiderium
Ad te, potens rex omnium.

27. Ave, Iesu, tu sanitas
Nostra sis atque bonitas,
Esuries, satietas
Delectansque suavitas.

28. Ave, Iesu, qui caelorum
Ascendisti, rex eorum,
Super alta, dux sanctorum,
Saeptus choris angelorum.

29. Ave, Iesu, da veniam,
Ave, Iesu, da gratiam,
Tibi digne ut serviam
Atque ad te perveniam.

30. Ave, Iesu, dans spiritum
Sanctis tuis paraclitum,
Esto precor ad obitum
Meumque muni exitum.

31. Ave, Iesu, qui venturus
Omnes es iudicaturus,
Bonos glorificaturus,
Malos iuste damnaturus.

32. Ave, sancta humanitas,
Ave, beata deitas,
Ave, colenda trinitas
Et adoranda unitas.

33. Ave, pater ingenite,
Ave et, unigenite,
Ave, sacer paraclite,
Salva, me Deus inclite.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897(605) zweimal: fol. 15b. A; fol. 57a. B. — 1, 1 Iesu Christe B. — 1, 4 piissime B. — 2, 3 Qui scis infirma B. — 8, 2 Reges et B. — 9, 4 lex implevit B. — 13, 3 Pro redimendo saeculo B. — 13, 4 Salva me parcens famulo B. — 24, 1 rex gratiae B. — 24, 2 rex gloriae B. — 25, 3 Mihi sit B. — 26, 3 Fer nostrum B. — 27, 4 Et delectans B. — 28, 3 rex sanctorum A. — 28, 4 Et dominus angelorum B. — 29, 4 Et post ad te B. — 30, 4 Nostrumque B. — 31, 2 Eratque iudicaturus B. — 33, 4 me decor inclite B.

29. Ad Christum.

Cunctipotens Dominus, caeli terraeque creator,
Me propter sacra virgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora salivis
Praebuit et figi se cruce non renuit.
Me gessit moriens, me victa morte resurgens
Et secum ad patrem me super astra tulit.
Quid ergo tanta aspera nunc tolerare recusem?
Aut quid erit, quod me separet a Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera, tortor,
Effugient poenas membra soluta tuas.
Carcere si clauso claudar nectarque catenis,
Liber in excelso mentis adibo Deum.
Non metuo exsilium, mundi domus omnibus una,
Sperno famen, Domini fit mihi sermo cibus.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
Impavidum inveniet; mors cita, vita brevis.
Nec mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem Christo divite non timeo.
Quam stetero adversis, hac utar mente secundus
. . . .
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit;
Tu das, Christe, loqui, tuque pati tribuas.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, et superare facis.
Semper agam grates, Christo dabo semper honorem,
Laus Domini semper vivat in ore meo.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897(605). — 7 tanta nunc aspera. — 21 Nec tum mihi.

30. Ad Christum.

1. Ave, lumen angelorum,
Vivus oculus caecorum,
Insidias provideas,
Ne me seducat Satanas.

2. Ave, mortis triumphator,
Christe, gentium salvator,
Da fidem, da rem spei
Cum caritate, fili Dei.

3. Ave, vita beatorum,
Dulce praemium laborum.
Ad gaudia stabilia
Duc me post haec exsilia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

31. Ad Christum.

1. Ave, rex, lumen cordium,
Ave, sanctorum gaudium,
Ave, dulce solacium
Et unicum refugium.

2. O quam pie cor satias,
Me totum tibi vendicas,
Amorem ferre nequeo,
Cor languet desiderio.

3. Quidquid cerno, fastidio,
Te fontem vitae sitio,
Vere dissolvi cupio,
Ut te fruar cum gaudio.

4. En, dulciter me visitas,
En, fortiter me ebrias,
En, vix me ipsum capio,
Prorumpit mens in iubilo.

5. Caeli cives, succurrite,
Pium Iesum vos flectite,
Ut mecum semper maneat
Et in se sic reficiat.

6. Quam dulcis mihi, Domine,
Cor penetras plenissime;
O quantus es in gloria,
Qui tantus es in gratia!

Orat. ms. Franciscan. German. saec. 14. in. (Privatbesitz). — 1, 4 unicum solacium. — 3, 4 fruor. — 6, 1 es mihi.

32. Ad Christum.

1. O Iesu, lumen mentium,
Tu Deus illustrator,
Sponsus te diligentium,
Amatus et amator,
Ditans mentes viventium,
Ad te Deum currentium,
Tu mundi gubernator.

2. Illustra mea intima,
Te dona degustari,
Iesu, dulcedo maxima,
Me cogis delectari,
Ut tua suavissima
Bona degustem et optima,
Quibus me fac ditari.

3. Hilariter me reficis,
Vitae cibus aeternae,
Sponse Iesu, nec deficis,
Fons patriae snpernae,
Mentemque meam afficis,
Quam in virtute perficis
Caritatis internae.

4. Eternum meum gaudium
Quovis bono suffultum,
Sponse, Iesu, et praemium
Magnum nimis et multum,
Summum meum solacium
Summumque desiderium,
Te concupisco multum.

5. Summa mea suavitas,
Iesu, sponse benigne,
Tu veritas, tu caritas,
Mentis decus insigne,
Vera, cara aeternitas,
In qua stat omnis bonitas,
Te cuncta laudent digne.

6. Vere, Iesu, me vulneras
Cum telo caritatis,
Te quando mihi reseras
In verbis inspiratis,
Tu me saepe docueras,
Mentem meam refeceras,
Te nunquam colo gratis.

7. Cum de paterno gremio
Me, sponse, visitasti,
Ardenti desiderio
Me, Iesu, inflammasti;
Suavi tu eloquio
De appetendo gaudio
Pleno me informasti.

8. Rex es et Dei filius,
Iesu, sponse beate,
Me urens stringis acrius
Tua suavitate,
Mentem meam intimius
Tu penetras et altius,
Quae osculatur a te.

9. Iucunde me inebrias
Divina voluptate,
Me ipsum tibi socias
Ferventi caritate,
Ut sponsam tibi facias,
Me, Iesu, saepe satias
Tua divinitate.

10. Sponse Iesu, delicias
Mihi saepe donasti,
Ad tuas sacras nuptias
Ut sponsam me vocasti,
Attulisti divitias,
Virtutes et scientias,
Quibus me subarrhasti.

11. Thesauros sapientiae
Ex te, Iesu, refundis
Ac flumina scientiae
Das animabus mundis,
Sinum intellegentiae,
Voluntatis, memoriae
Suaviter perfundis.

12. Ex tua influentia
Mens mea recreatur,
Dum mea conscientia
In te, Iesu, laetatur,
Dulcis experientia
Fit ex tua praesentia,
Qua deitas gustatur.

13. Vita in fonte bibitur,
Dum mens te, Iesu, tangit,
Iucunditas infunditur,
Dum tuas laudes pangit,
In mente lumen oritur,
In qua lux verbum cernitur,
Dum tuba verbi clangit.

14. Est verbi vox dulcissima,
Quam mens audire gliscit,
Ex hac tuba novissima
Mens sponsa reviviscit;
Es, Iesu, res altissima,
Qua tua secretissima
Mens sponsa plura discit.

15. Regis magni convivium,
Iesu mensa paratur,
Aeternum sponsae praemium
Per Iesum ministratur;
Tu ipse verum gaudium,
Currentium tu bravium,
Per te mens coronatur.

16. Bonarum, Iesu, mentium
Dulcis hospes vocaris,
In te requiescentium,
Tu quies appellaris,
Fons vitae sitientium,
Cibus esurientium
Tu, Iesu, nominaris.

17. Vultus tuus amabilis
In intimis videtur,
Tu sponsus es affabilis,
Per te sponsa docetur;
O res multum mirabilis,
Res multum delectabilis,
Cum Iesus possidetur.

18. Manna, Iesu, absconditum
Electis reseraris,
Amicis Dei creditum,
Quibus merces donaris,
Quamvis multis es abditum,
Multis tamen es cognitum,
Quia, dum vis, gustaris.

19. Delectas mirabiliter,
Iesu, manna gustatum,
Sapisque multipliciter
Electis propinatum
Unisque tibi firmiter
Mentem, quam cibas dulciter,
Per verbum delicatum.

20. Est nimis fortis copula
Iesu mentem uniri,
Nam intima tunc oscula
Mens valet experiri,
Aeternae vitae pabula
Dulcissimaque pocula
Solet Iesus largiri.

21. Ingressus mentis intima,
Iesu, tuo vigore,
Tu spiritum ab anima
Divino secas more,
Ad bona rapis optima,
Ut bona linquat infima,
Ut sic stet in honore.

22. Tu, Iesu, fontem gratiae
De te facis manare,
Per quem ad flumen gloriae
Nos facis navigare,
Ubi castae sunt nuptiae,
Ubi verae deliciae,
Quas facis nos amare.

23. Virtute mentem erigis
Ad intima trahendo,
In veritate dirigis
Ipsam plene docendo,
Tuam sponsam non negligis,
Te diligentem diligis,
Iesu, cuncta regendo.

24. Mentem meam ingredere,
Sponse Iesu praeclare,
Frequenter hanc alloquere,
Fac eam te amare,
Mentem meam amplectere,
De tuo vivat munere,
Ut queat te laudare.

25. Es, Iesu, vehementia
Mentis te diligentis,
Amoris violentia
Introrsum te trahentis;
Ex tua influentia
Fiunt corda ferventia
Coetus te sitientis.

26. Meae mentis amictio
Per te, Iesu, formatur,
Nam tua benedictio
Nunc mihi suffragatur,
Nulla mentem afflictio
Vincit nec contradictio,
Si Iesu muniatur.

27. Electa tu aeternitas,
Electio aeterna,
Secura tu internitas,
Securitas interna,
Iucunda tu tranquillitas
Tranquillaque iucunditas,
Iesu, monstrans superna.

28. Nihil ut Iesus intime
Menti potest inesse,
Internus sponsus animae
Dans cunctis rebus esse;
O Iesu, regens optime,
Regnum parans aptissime
Menti a te possessae.

29. Tui Iesu cognitio
Clara atque serena,
Nec non tui dilectio
Totalis atque plena
Perfectaque fruitio
Sunt mentis gloriatio
Caelestis et amoena.

30. O Iesu, fons dulcissime
Cuiuslibet dulcoris,
Spes te quaerentis animae,
Vinum dulcis amoris,
O amnis amoenissime,
Reficiens plenissime
Spiritum amatoris.

31. Multis modis alloqueris
Tu, Iesu sponse, mentem
Internos sensus aperis,
Hos monstras te regentem;
Quando sponsam ingrederis,
Tunc verus sponsus crederis,
Amas te diligentem.

32. Electae desiderium
Menti, Iesu, infundis
Dulceque refrigerium
Das in te laetabundis;
Mirabile mysterium
Per Iesu magisterium
Sponsis monstratur mundis.

33. In Iesu sanctis omnibus
Verum datur solamen,
Electorum agminibus
Dat Iesus recreamen,
Hinc laudes cum honoribus,
Maiores cum minoribus,
Omnes dicamus. Amen.

Collect. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. [et 16.]. Cod. Treviren. 228. — 22, 1 O Iesu fontem. — 32, 1 Caeleste desiderium. — Akrostichon: „O Iesu Christe, Verbum Dei, tu memento mei.“

33. Ad Christum.

O lumen verum, genitum de lumine vero,
Christe, Dei patris verbum, sapientia, virtus,
Cum genitore tuo non unus es et tamen unum,
Sicque coaeternus genitori nec minor ipso,
Una sub deitate parique vigens dominatu.
Invariabilis et impalpabilis, immaculatus,
Omnia complens, omnia condens, cuncta gubernans
Pneumate cum sancto, tuus est qui nexus amoris
Et patris, amborum dilectio, compar utrique,
Procedens ab utroque simul pariterque benignus,

Cum quibus est unum, non unus, sed Deus unus,
Cuncta creans, salvans, moderans, complensque tenensque.
Cum patre cum sancto quoque pneumate sit tibi perpes
Gloria, virtus, laus et honor, vis atque potestas.
Innumeras agimus tibi grates nos redeunti
De tenebris, de morte, perenni de cruciatu
Per carnem veram, de semper virgine sumptam.
Quae genetrix innupta manens et virgo dicata
Mater alumna potest tua dici, sponsa beata,
Pigmentaria cella, domus, thalamus deitatis.
O miranda nimis dilectio, fervor amoris!
Immensus modica nostra, sed laude perenni
Et celeberrimus et dignissimus, omnia nobis
Supposuisti, sponte creasti, nos reparasti,
Quos rationis luce beasti, condecorasti,
Fecisti similes tibi, caelis associandos.
Quos male deceptos et tartareis relegatos
Nexibus ex merito protoplasti nos generantis
Ad te traxisti, tibi gratis restituisti
Poenis corporeis variis, quas sponte subisti,
Mortem vicisti, quia vita mori voluisti.
Post surrexisti, sic caelos victor adisti
Et potiora patris bona sumpta carne petisti.
Nec discessisti tamen a patre per deitatem,
Quamvis in terris latitans sub carne fuisti.
Sumpsimus indigni modo te, nos protege, salva,
Vivifica, benedic, custodi, ne pereamus.
Non sis iudicium, sed plena remissio nobis,
Ut te laudantes tibi complaceamus in aevum.
Pastor ovem recrea propriis umerisque reporta
Ad tua tecta, tuis congaudens coetibus almis,
Amissam quoniam dragmam sapiens reperisti
Quamque cruore tuo mundans tibi restituisti.

Collect. ms. Ranshoviense saec. 12. Clm. Monacen. 12 667. add. saec. 13. in.

34. Ad Christum.

1. O lux sempiterna,
O salus aeterna,
Christe, rex supernus,
Quem timet Avernus,
Vocatus Eleison,
Rex caelestis Sion,
Qui imperas astris
In supernis castris,
Cui est potestas
Sollersque maiestas,
Universa posse,
Sub numero nosse
Stellas nominatim
Imbresque guttatim,
Tu solidas mentes
Te in se habentes.

Orationale ms. Benedictinum (monialium) saec. 13. Cod. Selestadien. 75) 1168).

35. Ad Christum.

Salve, salvator mundi, rex atque creator,
Qui Deus es et homo, natus de virginis alvo.
Te, Deus, exoro supplex et pronus adoro,
Ut mihi condones et caeli gaudia dones,
Nec non defunctis, vivis fidis [quo]que cunctis.

O sanguis Christi, qui fusus amore fuisti
Humani generis, nobis, precor, auxilieris,
Dele peccata, da nobis regna beata.

Collect. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 641.

36. Ad Christum.

Omnipotens solus, regnas qui trinus et unus,
Cum patre iam natus, procedens spiritus almus,
Qui caelos, terras, mare, flumina, sidera, stellas,
Qui volucres, pecudes, reptantia, nantia, pisces,
Angelicas sedes profugas simul atque fideles,
Qui miseras hominum gentes pariterque potentes
Atque creaturas proprio sub nomine cunctas
Disponis, servas, nunc et per saecla gubernas.
Domne meus, tu Christe Deus, rex maxime salve,
Omnis honos, virtus, tibi laus et gloria perpes.
Qui cum sis magnus Deus atque piissimus agnus,
Natus absque patre sancta de virgine matre,
Clausus utro matris, verbum de pectore patris,
Tempore sic cum matre manens, sine tempore patre
Mysterio tanto sumpto de flamine sancto,
Omnipotens, verus, faciens magnalia solus,
Omnia de nihilo disponens ordine miro,
Ante manens saeclum, quem constat et esse per aevum,
Quod fuit, est et erit, quod vivit quodque peribit,
Glorificet, laudet, metuat, veneretur, adoret.
Rex universorum, qui vivis in arce polorum,
Regnans ac moderans, accepte cuncta gubernans,
Nate Dei, miserere mei, rex maxime Christe,
Cumque salute mea mihi, Christe, benignus adesto
Atque tua genetrice interveniente Maria,
Angelicis turmis, patriarchis cumque prophetis,
Agmine apostolico pulsando, precando, rogando,
Martyribus cunctisque tuo pro nomine passis
Nec non et cunctis cum confessoribus almis
Virginibusque tuis cunctisque fidelibus ullis,

Qui placuere tibi vigiles ab origine mundi.
Iesu, Dei fili, rogo te, mea crimina dele,
Crimina dissimulans, miserans peccata remitte.
Tu minimas culpas universas, Christe, relaxa
Sordibus et lotum cunctis virtutibus imple
Omnimodisque bonis me dignis actibus orna,
Laetifica, salva, confirma, dirige, serva.
Sit mihi recta fides et falsis obvia sectis,
Sit mihi praecipue morum correctio praesens;
Sim carus, humilis, verax cum tempore prudens,
Secreti tacitus et linguae limine cautus.
Da fidum socium, da fixum semper amicum,
Da blandum sobriumque, pium castumque ministrum.
Non me pauperies cruciet nec languor abundet,
Sit comes alma salus et sufficientia victus,
Crimine nec laedam quemquam nec crimine laedar.
Sic bene velle queam, quo pravum quodque recedat,
Nil turpe cupiam, faciam vel proloquar unquam.
Sit mihi post mortem requies et vita perennis
Per te, qui solus tu regnas trinus et unus.

Collect. ms. Cantuariense (?) saec. 11. Cod. Cantabrigien. Gg V, 35. — ach 33: Crimina cuncta tegens, etiam peccata remittens. Dies ist offenbar ır eine andere Fassung von 33, die durch Irrtum vom Rande in den Text langte. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

37. Ad Christum et Mariam.

1. Pie Iesu, recordare,
Quam crudeliter et quam amare
In signo crucis liberasti,
Perditum genus protoplasti
Pretiosissimo sanguine corporis tui,
Gratia tantum et non merito sui.

2. Et ne in me redemptio pereat talis,
Per te meis peto [liberari] malis
Et, ne perdas nunc offensus,
Pro quo in ligno crucis es suspensus,
Ne perdas nunc iratus,
Pro quo tantum es vulneratus.

3. Quid mihi profuit, auctor lucis,
Quod subisti poenam crucis,
Si sic maneam in delictis
Et damnabor cum maledictis?
Non sic perdas, Iesu bone,
Tua redemptum passione.

4. Sed moneant te vulnera pedum,
Lateris, manuum, fel, acetum,
Sputa, clavi, lancea, arundo,
Per quem est vita reddita mundo.

5. Te moneat nobile lignum,
Quod te portare fuit dignum,
Lignum crucis triumphale,
Cui nullum est aequale;
Nunquam [tale] protulit humus,
Per quod nos salvati sumus.

6. Ut quid miseratus es latronis
In ipsa hora passionis,
Ianuam vitae aperiens ei?
Precor te, miserearis mei,
Si reatus non impedit meus,
Ut exaudiar a te, Deus.

7. Quo me vertam infelicem
Nisi ad tuam genetricem,
Ad Mariam, stellam maris,
Quam prae cunctis veneraris,
Qua orante parcere soles
His, quos gravat criminum moles?

8. O Maria, mater misericordiae,
Ora regem, iube nato,
Ut me mundet a peccato,
De peccato actuali,
Quem mundavit ab originali
Pretiosissimo cruore
Te astante cum dolore.

9. Recordare, virgo mitis,
Cur haec ambo passi sitis,
Hic in carne, tu in mente,
Cum pateretur te praesente.

10. Causa mei crucem ascendit,
Ut salvaret, in cruce pependit;
Causa mei tu doluisti,
Cum aspiceres mortem Christi.

11. Quod subiit causa mei
Poenam filius Dei,
Tunc ego fui causa mortis sui,
Fui et doloris tui.

12. Noli ergo, mater Dei,
Oblivisci hodie mei,
Sed pro me, domina, ora;
Filius audit te absque mora,
De cuius utero voluit nasci
Et a tuis uberibus pasci.

13. Sancta Maria, mater Christi,
Placa Deum, quem genuisti,
Placa iram mei iudicis,
Tu mater eius sancta sufficis.

14. Sic, domina, scio pro vero,
Si subveneris, salvus ero;
Succurre ergo, succurre citius,
Et erit mihi per te propitius.

Orat. ms. Lunaelacense anni 1451. Cod. Vindobonen. 3835. — 3, 3 in deliciis. — 6, 5 perpendit meus. — 12, 6 uberis.

38. Laudes Iesu Christi.

1. Te cupio salutare,
Sanctum Dei salutare,
Salutans te glorifico
Et pro posse magnifico.

2. Te quaeso, ne despicias,
Sed clementer suscipias
Salutes, quas nunc offero
Saluti, quam desidero.

3. Ave, Iesu, fili Dei,
Ave, finis meae spei,
Ave, Iesu nomen pium,
Ave, vitae principium.

4. Ave, Iesu, nomen bonum,
Summi patris summum donum,
Ave, Iesu, nomen carum,
In quo nihil est amarum.

5. Ave, Iesu, mel in ore,
Semper novus in amore,
Ave, Iesu, dulce melos,
Quod resonat supra caelos.

6. Ave, iubilus mentium
Te vere sitientium,
Non est mirum, si iubilat,
In quo tantus sol rutilat.

7. Ave, melle praedulcior
Et satis odoratior
Quam quaelibet aromata,
In te vera sunt sabbata.

8. Ave, Iesu, rex virginum,
Quae te Deum et Dominum
Sequuntur locis omnibus
Claris canentes vocibus.

9. Iesu, tibi sunt proximi,
Qui sunt carne mundissimi,
Si mens carni respondeat
Nec vana laude gaudeat.

10. Tibi placet virginitas,
Cui non deest humilitas,
Sed virgines non humiles
Tibi sunt contemptibiles.

11. Ave, Iesu, fons hortorum,
Cor humectans aridorum,
Tu flos campi convallium,
Confortans visus gentium.

12. Ave, Iesu, nomen dulce,
Meum triste cor demulce,
Ave, Iesu, nomen vivum,
Habens in te vitae rivum.

13. Iesu, nomen amabile,
Prae cunctis memorabile,
Nam fidenter memoratur
Et frequenter invocatur.

14. Iesus exstirpat vitia
Et expellit daemonia,
Dat, auget, fovet gratiam,
Confortat conscientiam.

15. Qui Iesum pie nominat,
Cibum salubrem ruminat;
Ave, Iesu, vera salus,
Quem pavescit omnis malus.

16. Ave, fili summi patris,
Ave, pater tuae matris,
Ave, quem pater genuit,
Sed genito non praefuit.

17. Ave, patri coaequalis,
Inter natos nullus talis;
Ave, patri coaeternus,
Cum sis ipse sempiternus.

18. Deus pater ingenitus,
Tu patri unigenitus,
Ex utroque paraclitus
Sanctus procedit spiritus.

19. Una tibi substantia,
Nec est in hac distantia;
Tres sunt unum, sed non tria,
Consimiles per omnia.
Tu solus, Iesu Domine,
Deus verus cum homine.

20. Ave, caelis excelsior
Et abysso profundior,
Ave, cuius scientia
Non minor quam potentia.

21. Virtus tua totum posse,
Sensus tuus totum nosse,
Nihil est, quod te lateat,
Nil, quod tibi non pareat.

22. Ave, Iesus, bonus agnus,
Malis vero leo magnus,
Ave, Iesu, dux in via,
Introductor in propria,
Nam seductor hic seduxit,
Quem dux iste non conduxit.

23. Ave, sitis bonae dator,
Sitis malae sis sedator;
Ave, serpens fixus palo,
Qui resistis omni malo,
Sana nos a serpentibus,
Nos tam saepe mordentibus.

24. Ave, dilectae lectulus,
Ave, murrae fasciculus,
Ave, murra mortificans
Carnem et cor vivificans.

25. Murrae mortificatio
Est iugis recordatio
Tuae sanctae passionis,
Nostrae pravae actionis.

26. Ave, ros mentem temperans,
Carnis aestum refrigerans,
Mihi sis refrigeratio
A pravo desiderio.

27. Ave, Iesu, cui debeo
Omne bonum, quod habeo,
Nam nihil sunt mea bona
Nisi tua pura dona,
Tu totum mihi tribuis
Et nihil tibi minuis.

28. Ave, Iesu, rex caelorum,
Ave, panis angelorum,
Ave, creator omnium,
Regni caelestis ostium,
Ave, mundi gubernator,
Ave, potens dominator.

29. Ave, quem tremunt angeli,
Quem adorant archangeli,
Ave, cui throni serviunt,
Cui virtutes oboediunt.

30. In te Cherubim hauriunt
Et Seraphim, quod cupiunt,
Tu totum illis gaudium,
Nequé paris fastidium,
Nam iugis tui copia
Accendit desideria.

31. Ave, qui cunctis imperas,
Qui daemones exsuperas,
Ave, patrem glorificas,
Ave, matrem sanctificas.

32. Ave, pater gratiarum,
Ave, custos animarum,
Ave, pastor pii gregis,
Ave, lator novae legis.

33. Ave, regnans per saecula,
Ave, mundus a macula,
Ave, vera medicina,
Tu malorum es ruina.

34. Ave, vitae verus liber,
Per quem mundus factus liber,
Quisquis in te digne legit,
Ille sese bene regit.

35. Ave, pius et innocens,
Ave, viam vitae docens,
Ave, qui nunquam deficis,
Ave, qui mundum reficis.

36. Ave, lassorum requies,
Ave, decora facies,
Ave, lapis pretiosus,
Ave, totus generosus.

37. O praecellens margarita,
De te solo tu me dita,
Te quaeram, te reperiam,
Praeter te nihil cupiam,
Tu thesaurus esto meus,
Ne plus quaerens fiam reus.

38. Ave, mitis et suavis,
Ave, caeli firma clavis,
Ave, maris huius portus,
Cuius mirus fuit ortus.

39. Ave, dulcedo cordium,
Ave, purgator sordium,
Ave, potens divinitas,
Ave, clemens humanitas.

40. Ave, mentis societas,
Ave, felix ebrietas,
Ave, Christe, vera vitis,
Qui salutem nostram sitis,
Fac tibi semper haeream
Tamquam palmes, ne peream.

41. Ave, vinum laetificans,
Ave, mundum pacificans,
Ave, tutum refugium,
Ave, iuge praesidium.

42. Ave, sanctorum gloria,
Ave, salutis hostia,
Ave, qui stellas numeras,
Ave, qui cuncta ponderas.

43. Ave, dignum vitae lignum,
Pro te colo crucis signum,
Ex hoc ligno progreditur
Omne, quod bonum creditur.

44. Ave, qui bonos dirigis,
Ave, qui malos corrigis,
Ave, legis terminator,
Verbi Dei seminator.

45. Ave, noster advocatus,
Per quem pater est placatus,
Ave, fons indeficiens,
Sitim nostram reficiens.

46. Ave, lapsorum baculus,
Ave, pigrorum stimulus,
Ave, sanctorum speculum,
Ave, qui salvas saeculum.

47. Ave, mundi speculator,
Periculi nuntiator,
Ave, pugnantum clippeus,
Aquae vivae tu puteus.

48. Ave, sanctum cataplasma,
Quo sanatur tuum plasma
A peccati languoribus
Et inferni doloribus.

49. Ave, dives et nobilis,
Totus desiderabilis,
Ave, fons sapientiae
Et amator munditiae.

50. Ave, vita viventium,
Ave, spes morientium,
Ave, virtus debilium,
Ave, comes humilium,

51. Ave, potens auxilium,
Ave, sanum consilium,
Ave, morbi remedium,
Ave, qui tollis taedium.

52. Ave, dulcis et patiens,
Ave, prae cunctis sapiens,
Ave, clemens et benigne,
Ave, iugi laude digne.

53. Ave, fructus benedictus,
Ave, pugil nunquam victus,
Ave, iudex iustissime,
Ave, testis verissime.

54. Ave, doctor veritatis,
Ave, radix caritatis,
Ave, torrens voluptatis,
Fons totius bonitatis.

55. Ave, norma iustitiae,
Exemplar patientiae,
Ave, splendor caelestium,
Ave, lumen fidelium.

56. Ave, fidelis medice,
Ave, frater et amice,
Ave, laboris praemium,
Redemptionis pretium.

57. O pretium sufficiens,
Pro nobis satisfaciens,
Tu ditator egentium,
Tu solamen languentium.

58. Ave, mundi redemptio,
Ave, iustorum portio,
Ave, mortis superator,
Ave, plebis liberator,
Ave, prudens mediator,
Ave, fortis proeliator.

59. Ave, sine cuius dono
Nullus gaudet ullo bono,
Ave, legis impletio,
Peccatorum deletio.

60. Ave, lapis angularis
Et magister singularis,
Ave, in quo sunt omnia,
Quae[cum]que sunt utilia.

61. Ave, qui primum hominem
Ad divinam imaginem
Creasti mirabiliter,
Sed is miserabiliter

62. A te factus immortalis
Morsu pomi noxialis
In mortem cito cecidit,
Dum Evae nimis credidit.

63. A te fuit elongatus,
Iugo carnis subiugatus,
Paradisum amiserat
Et infernum meruerat.

64. Eius quoque posteritas
Sequens parentum semitas,
Sed tu, Iesu, rex gloriae,
Huic condolens miseriae,

65. Ut miserum reduceres
Patrique satisfaceres,
Non [re]linquens caelestia
Descendis ad terrestria,
Virginis intrans uterum,
Conditor alme siderum.

66. Ave, natus de virgine
Sine virili semine,
Ave, verbum incarnatum,
Ave, numen humanatum.

67. Ave, matrem introiens,
Ave, de matre prodiens,
Ave, Deus absconditus
Forma servilis habitus.

68. Ut Leviathan capias,
Hamus carne te pallias;
Hamus latens divinitas,
Esca patens humanitas.

69. Sic Leviathan decipis,
Cum carnem nostram suscipis,
Qui dum carnis adgreditur
Escam, a hamo capitur.

70. Ave, iacens praesaepio,
Natus in diversorio,
Ave, pannis involutus,
Verbum tacens velut mutus,
Ave, carne circumcisus,
Ave, causa nostri risus.

71. Iesu, mirandum iudico,
Quod tu more Iudaico
Circumcidi te pateris,
Culpam cum non habueris.

72. Baptismatis ablutio
Carnisque circumcisio
In te sunt ad mysterium,
Aliis ad remedium.

73. Ave, quem matris gremio
Stellae conducti radio
Tres magi corde simplici
Honorant dono triplici.

74. Ave, quem laetus tenuit
Simeon, postquam senuit,
Fac, ut nos te complectamur
Et in pace dimittamur.

75. Ave, peccatum destruens,
Sed baptisma non respuens,
Ave, super quem caelitus
Sanctus descendit spiritus.

76. Ave, quem post ieiunium
Temptavit hostis omnium,
Sed temptando succubuit,
Nam in te nihil habuit.

77. Ave, cuius pia vita
Nostra fuit praemunita,
Ut mundum semper fugiat
Caelestiaque cupiat.

78. Ave, fervens praedicator,
Vitiorum resecator,
Doctrina tua continet,
Quidquid ad vitam pertinet.

79. Ave, sub panis specie
Te relinquens ecclesiae;
Hoc mirandum sacramentum
Tuum fuit testamentum.

80. Hinc fides et dilectio
Crescit atque devotio,
Nam dum de te nos satias,
Corde tibi nos socias.

81. Panis formam intuemur,
Sed sub forma confitemur
Carnem iunctam deitati,
Deitatem parvitati.

82. Panis transit substantia,
Sed manent accidentia;
O miranda potentia!
Sed non minor est gratia,
Quod ille, qui sic potuit,
Ita fieri voluit.

83. O creatoris dignitas!
Quanta, qualis humilitas!
Qui tuis sanctis manibus
Discipulis cernentibus

84. Prostratus pedes abluis,
Tu qui superbos respuis,
Formam praetendis humilem
Ad te placandum utilem.

85. Ave, quem tradit osculo
Iudas vili munusculo,
Ave, pro me flagellatus,
Ave, spinis coronatus.

86. Tu consputus et illusus,
Tuus sanguis pro me fusus,
Satiatus doloribus
Sociaris latronibus.

87. Ori tuo porrigitur
Acetum, cui fel iungitur,
Post talem potum traditum
Sanctum emittis spiritum.

88. Ave, pro nobis moriens,
Patri semper oboediens,
Ave, manu sanguinea
Dira percussus lancea.

89. Transfixa corde saucio
Tunc Simeonis gladio
Flens mater corde percipit
Vulnus, quod latus recipit.

90. Ave, sepulte Domine,
Descendens in voragine,
Tartarea qui fregisti,
Unde tuos eduxisti.

91. Ave, surgens a mortuis
Et apparens cito tuis,
Ave, scandens ad aethera,
Patris sedens in dextera.

92. Ave, qui patris debitum
Ab aethereis sedibus
Sanctum transmittis spiritum
Discipulorum cordibus.

93. Quaerit purgator scelerum
Hominis mentem hospitem
Et divinorum operum
Hominem facit comitem.

94. O quam clemens benignitas,
O quam suavis caritas,
Docens quid sit fragilitas,
Quid sit virtus et veritas!

95. Ave, iudex adventurus
Et condigne redditurus
Iustis aeterna gaudia,
Malis vero supplicia.

96. Ave, Iesu, potens ignis,
Quod probatur multis signis,
Tu cor accendis frigidum,
Nigrum vertis in candidum.

97. Tu superbos incineras,
Dura mollis, res teneras
Convertis in duritiem,
Mentis erigis aciem.

98. Ave, linguis in igneis
A sedibus aethereis
Promissum mittens spiritum
In gregem tibi subditum.

99. Docti fiunt, ut doceant,
Et fortes, ut sustineant,
Perpetrantque prodigia,
Sic fundatur ecclesia.

100. Dies mihi deficeret,
Et lingua non sufficeret,
Si discurram per omnia
De Iesu laudabilia.

101. Te, Domine, salutavi,
Laudes tuas eructavi,
Sit tibi laus pro omnibus,
Quas de te dixi laudibus.

102. Te, mi Iesu, salutabo,
Nunquam vero refutabo
Me te satis salutasse,
Cum te credam me salvasse.

103. Nam salutans te centies
Provocor ad millesies.
Salus a me salutata,
Fac, ut nunquam sit mutata
Salutantis intentio
A salutis servitio,

104. Sed saluti sic praeviam,
Ut salutem accipiam,
Et cum salus defuerit
Carnis et mors adfuerit,
Tunc peccatorum veniam
Et salutem inveniam.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897(605). — An zwei Stellen sind am Rande die Verse nachgetragen:

Ave, Iesu, nomen plenum
Cunctis bonis et serenum.

Cor meum durum, aridum
Pietate fac humidum.

Es ist indes nicht ersichtlich, wo dieselben eingeschaltet werden sollen.

39. De Nominibus Christi.

Omnipotens vis trina, Deus, pater optime rerum,
Quo narrante satus sine tempore, semine, matre,
Ortu, fine, loco vel membris, post coronatus,
Permittens cerni, multo quoque nomine dictus
Spes, ratio, vita, salus, sapientia, mens, mons,
Iudex, porta, gigas, rex [regum], gemma, sacerdos,
Messias, Sabaoth, rabbi, sponsus, mediator,
Virga, columba, manus, petra, filius, Emanuel, lux,
Vinea, pastor, ovis, pax, radix, vitis, oliva,
Fons, hoedus, panis, agnus, vitulus, leo, Iesus,
Verbum, homo, rete, lapis, Dominus, Deus, omnia, Christus.

Collect. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 18628. — 4 dictum. — 7 Mesias, Sabaoth, Rabbis.

40. De Generatione Christi aeterna et temporali.

1. Nondum rerum serie
De primae materiae
Sequestrata gremio,
Immo prius etiam
Quam primam materiam
Sevisset creatio,

2. Fax aeterni luminis,
Totius originis
Radix et initium,
Lex et motus temporis,
Ex arcano pectoris
Genuerunt filium.

3. Hic est mens altissimi,
Cuius nequit exprimi
Mira generatio;
Hic est sapientia,
Qua creavit omnia
Deus in principio.

4. Hic est verbum patrium,
Verbum firmatorium
Caelorum et siderum,
Verbum, quod caro factum,
Verbum et quod intactum
Fecundavit uterum.

5. Salutare Domini,
Quod viderunt termini,
Puer natus hodie,
Cuius matris partui
Ostetricant strenui
Caeli cives curiae.

6. Vagit infans inclitus
In praesaepi positus
Inter animalia,
Pax in terris hominum
Et sanctorum ordinum
In excelsis gloria.

Caro, verbi socia,
Iungat nos Alleluia.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605)

41. De Incarnatione Domini.

1. Arce siderea
Phoebe refulserat
Et lucis aurea
globos effuderat,
Cum nocte media
temporis aderat
Iam plenitudo.
Multis e fratribus
unus eligitur,
Tot caeli civibus
unus dirigitur,
Regis obtutibus
praesens, qui quaeritur,
Stat Fortitudo.

2. Succinctus Gabriel
oboedientia,
Summus archangelus
promptus ad omnia,
Stat regis nuntius
regis imperia
Ferre paratus.
Angele Gabriel,
inquit, progredere,
Fer cito nuntium,
cito regredere,
Sed brevi iubeo,
brevi charactere
Sis oneratus.

3. Ibis ad virginem
stirpis Davidicae,
Vultus siderei,
mentis angelicae,
Cum vocis exprimis
verba prophetiae
Mystica, cave,
Virgo ne timeat,
sed prolis regiae,
Sed vultus placidi,
sed pulchra facie,
Saluta virginem,
sed tali serie
Dic prior: *Ave.*

4. Virgo dum trepidat
et unde veneris,
Stat, studet, cogitat,
quis, qualis fueris
Vel cuius nuntius,
ne cito dixeris,
Sed voce pia,
Stans vultu placido,
demisso lumine,
Pudicis oculis
fixis in virgine,
Propriam proprio
designans nomine
Iunge: *Maria.*

5. Dum timens refugit
virilem faciem,
Vultus angelici
denuda speciem,
Dum modum discutit
et rerum seriem
Virgo serena,
Sume parabolam
vocis interea;
Sed quidquid dixeris
prius et postea,
De quibus dixero,
dic tamen antea:
Gratia plena.

6. Carnis virgineae
sub domicilio,
Dic, domum praeparet,
sed Dei filio;
Stabit et conferet,
sed sub silentio
Singula secum.
Pudoris titulum
primo discutiet,
Da fidem virgini,
quod virgo pariet,
Dic, cuius spiritu,
per quem concipiet,
Dominus tecum.

7. Felicem praedica,
quae Dei filio
Mater eligitur
vernante lilio
Pudoris integri,
sed et angelico
Digna relatu,
Quae pacis osculo
terrena superis
Amoris glutino
iungis et inseris,
In mulieribus
primis et posteris
Benedicta tu.

8. Dulce cum virgine
misce colloquium;
Quaeret, quem pariet;
dic: Dei filium;
Quaeret et quomodo;
dic tu: per spiritum;
Quaerere plura
Virgo si coeperit,
libens exsequere,
Dic, tetragrammaton
quali charactere
Possit dissyllaba
sensu concludere
Laude futura.

9. Regis imperio
regalis nuntius
Secreta virgini
secreti conscius
Divina reserat;
formidat primitus
Virgo pudica.
Incipit angelus
modis disserere,
Felicem praedicans,
vota puerperae;
Iam cupit effici,
sed tali foedere
Regis amica.

10. Iam sacri pneumatis
perfusa lumine
Credit et concipit;
divino semine
Floret et pullulat
mater in virgine,
Nosque sollenni
Laudemus Dominum
vocis obsequio,
Cum patre luminum
matrem cum filio
Laudet et praedicet
nostra devotio
Laude perenni.

Collect. ms. Savigniacense saec. 13. Cod. Parisin. Nouv. acq. 217. — 8, 7 Quaere. — 10, 8—11 stehen irrtümlich noch einmal vor 10, 1.

42. De Incarnatione Christi secundum alphabetum.

1. Amor verus omnia
 Potest superare,
Bellorum saevitiam
 Valet refrenare,
Corda discordantium
 Sic coadunare,
Duorum mentes hominum
 simul concordare,
Ergo salvare
 qui se vult, discat amare.

2. Factorem hic omnium
 amor inclinavit,
Grandem parvum fieri
 auctor procuravit,
Has inter miserias
 ipsum collocavit,
In patris qui dextera
 cuncta gubernavit,
Katholicos lavit
 a crimine, quos adamavit.

3. Lubrica se voluit
 indui natura,
Mundanae qui machinae
 solus tenet iura,
Nec non cuius regitur
 caelum praelatura,
Orbis factor carnea
 tegitur figura,
Patris qui pura
 tamen ante fuit genitura.

4. Quem non potest ambitus
 claudere caelorum,
Re miranda gignitur
 praeter viri thorum,
Stricto loco ponitur
 princeps angelorum,
Tamen erit inscia
 omnium dolorum
Virgo, flos florum,
 pariens dominum dominorum.

5. Xristus hanc mortalibus
 prae cunctis elegit,
Ymmo, quos creaverat,
 cunctis praeelegit,
Zyma hostis tollitur,
 quo mundum subegit,
Et eius potentia,
 per quam nos abegit,
Commiserans fregit
 Christus nos atque redegit.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L. 26 [s. n.] — 2. 1 sq. omnium amor hic inclinavit. — 2, 9 Katholicas. — 3, 4 tenes.

43. De Incarnatione Domini.

1. Dum sub mundi vespere
 Dies inclinatus
Ad occasum vergere
 Iam esset paratus,
Novae lucis sidere
 Mundus illustratus
Coepit recognoscere
 Veteres reatus.

2. Legi dum antiquitas
 Esset subiugata,
Regnabat iniquitas
 Fide nondum nata,
Descendit divinitas
 Ad nos calceata,
Per quam mundi caecitas
 Est illuminata.

3. Ut disponat omnia,
Venit in hunc mundum
Dei sapientia
Sanans moribundum,
Docens nos compendia
Per quae sit eundum,
Ne nostra vestigia
Vergant in profundum.

4. Paranymphus mittitur
A secretis caeli,
Sanctum est, quod geritur;
Ergo Gabrieli
Mandatum imponitur,
Nuntio fideli,
Sed puer, qui nascitur,
Homo est et Heli.

5. Misso caeli nuntio
Virgo fecundatur,
Ista salutatio
Partum operatur,
Seminalis ratio
Procul hinc tollatur,
Ne viri contagio
Quidquam ascribatur.

6. Verbum in principio
Pannis involutum
Stupet in praesaepio
Subiugale mutum,
Caecis datur visio,
Fit de sputo lutum,
Tali de collirio
Lumen fit acutum.

7. Magnus in praesaepio
Deus hospitatur,
Per quem caeli regio
Tota gubernatur,
Virginis in gremio
Vagit et laetatur,
Qui patris consilio
Cuncta [perscrut]atur.

8. Numinis et hominis
Unio sacrata
Est in alvo virginis
Sic confoederata,
Ut rex magni nominis
Specie mutata
Vim obumbret numinis
Veste stragulata.

9. Intrat clausa viscera
Gratia fecunda,
Sentit ventris pondera
Mater verecunda,
Sacra tument ubera
Sacri lactis unda,
Fit nova puerpera
Virgo manens munda.

10. Testam intrat figulus,
Deus homo factus,
Fit de magno parvulus
Deus luens actus,
Saliit ut hinnulus
Mundi per anfractus,
Fit legalis vitulus
Ad mortem distractus.

11. Non erat simplicitas
Evae columbina,
Quam seduxit falsitas
Et fraus serpentina,
Sed, ut detur sanitas
Aegris in piscina,
Cincta venit deitas
Carne peregrina.

12. Novum tempus oritur,
Nova lux aestatis,
Et in diem vertitur
Nox antiquitatis,
Iam error destruitur
Infidelitatis,
Et mundus ingreditur
Viam veritatis.

13. Prodeunt ecclesiae
Rosea vexilla,
Cultor idolatriae
Stupet videns illa,
Titulum victoriae
Fides fert pusilla,
Cui succedunt gratiae
Tempora tranquilla.

14. Sicca virga viruit
Novo feta flore,
Vellus rore maduit
Tinctum caeli rore,
Flamma rubum tenuit,
Sed non in ardore,
Virgo Deum genuit
Illaeso pudore.

15. Si rubi mysteria
Cupis indagare,
Prius te discalcia,
Quam adpropinquare
Velis ad incendia,
Quae vides flagrare
In ligni materia,
Sed non aestuare.

16. Sic rubum uredine
Flamma nihil laedit,
Sic de sicco germine
Virga fructum dedit;
Quid mirum de virgine
Si partus procedit?
Stultum est in homine,
Quod non ista credit.

17. Manifeste legitur
Hoc in Isaia:
De virga flos oritur,
Hoc est de Maria
Deus-homo nascitur,
Ex hac prophetia
Iudaeus arguitur
Errans in Messia.

18. Sic, Iudaea misera,
Quid frustra laboras?
Falleris in litera
Legis, quam honoras;
Mundus est in vespera,
Veni, rumpe moras
Et ad meam propera
Fidem, quam ignoras.

19. Gens absque consilio
Potes appellari,
Quae patrem cum filio
Non vis venerari;
Hos nostra religio
Cultu colit pari,
Et tua praesumptio
Solet detestari.

20. Linque neomenias
Et legalem cultum,
Sperne caeremonias,
Quae non prosunt multum;
Haec cuncta despicias
Et averte vultum,
Mirum est, si nescias
Moysen sepultum.

21. Legis observantia
Non reddit perfectum,
Nec legalis hostia
Quemquam facit rectum;
Subintravit gratia,
Quae dudum abiectum
Traxit a miseria
Hominem despectum.

22. Fit creator omnium
Nova creatura,
Stupet hoc commercium
Usus et natura,
Novum fit imperium,
Nova dantur iura,
Fides scandit solium,
Et lex petit rura.

23. Nam patris consilium
Palam est ostensum,
Dolens plasma proprium
Dolo deprehensum,
Dat pro servis filium,
Eius per ascensum
Crucis per martyrium
Corpus est extensum.

24. Solem in praesaepio
Nox stupet accensum,
Virgo fovet gremio
Parvulum immensum;
Ille, cuius brachio
Caelum est extensum,
Subditur imperio,
Caesari dat censum.

25. Inter haec crepundia
Deo decantatur
In excelsis gloria,
Pax in terris datur;
Currunt evangelia,
Fides seminatur,
Et ab idolatria
Mundus revocatur.

26. Non est opus hominis
Nec opus naturae
Partus nostrae virginis,
Quae de carnis iure
Nihil traxit ordinis
Nostrae geniturae,
Sed est vice seminis
Fides pariturae.

27. Felix puerperium
Dei genetricis,
Nihil habens proprium
Carnis peccatricis;
Angelus officium
Gerit obstetricis
Et Ioseph obsequium
Baiulae nutricis.

28. Sed dum parit filium
Virgo gloriosa,
Sentit solis radium
Turris nebulosa,
Multitudo gentium
Credit numerosa,
Et Christi mysterium
Patet sine glosa.

Collect. ms. Glunicense saec. 13. Cod. Lincen. Cc. II 15. — 10, 4 Noster Deus luens. — 16, 8 Qui non. — 23, 7 sq. von späterer Hand.

44. De Incarnatione Domini.

1. Intacta viscera
Pudicae virginis
Fuderunt foedera
Dei et hominis,
Paterna dextera,
Virtute numinis
Exemit scelera
Primaevi criminis.

2. Pudoris lilium
Matris intemerae
Tonantis filium
Traxit ab aethere,
Mirum commercium,
Divino munere
Init consortium
Dives cum paupere.

3. Misericordiae
Obvia veritas,
Cedit laetitiae
Legis asperitas,
Stat locus veniae,
Cadit impietas,
Dum regem gloriae
Parit virginitas.

4. Moysi virgula
Draconem induit,
Mutata formula
Virgam abhorruit,
Carnis umbracula
Verae dum coluit,
Mundi piacula
Deus absorbuit.

5. Hic serpens dicitur
Legis abiectio,
Dum prelo premitur,
Iam cessat unctio
Et dux deprimitur,
Patet consumptio,
Iudaea feritur,
Et furit ultio.

6. Hamus subtegitur
In carnis tegmine,
Captivans capitur
Satis certamine,
Qui morsum tribuit
Letalem feminae,
Morte succubuit
Vincente virgine.

7. In testa lutea
Lumen absconditur,
Ablata decima
Dragma requiritur,
Iam fraus viperea
Arte refellitur,
Imis aetherea
Pax dia redditur.

8. Cognosce Dominum,
Iudaea misera,
Rectorem luminum
Veste sub altera,
Legi dat terminum,
Quem docet litera,
Ad novum gaudium
Recedunt vetera

Collect. ms. Llantoniense (?) saec. 13. Cod. Collegii Corp. Christi Oxonien. 59. — 1, 6 oder Vim celans numinis. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

45. De Incarnatione Domini.

1. Patris unigenitus,
Ante solem genitus,
Nutu sancti spiritus
Alvo matris editus,
Vagit cunis positus,
Praesaepi reconditus;
Sic accepit plebs inanis
Missum manna caelitus,
Sic de caelo vivus panis
Venit mundo deditus.

2 a. Servi formam induit,
Servi qui nil habuit,
Sed, quae Deum genuit,
Virum non sustinuit,
Nec flos pudoris marcuit,
Messias quem aperuit;
Sic in arca testamenti,
Sicca virga floruit,
Sic in terra sitienti
Vellus rore maduit.

2 b. Obstupescat saeculum
Tantum hoc miraculum,
Virgo lactat parvulum,
Quae non novit masculum;
Videtur iam ad oculum
Vetus illud oraculum:
De radice Iesse natum
Flos fecundat surculum,
In quo sanctus habet gratum
Spiritus cubiculum.

3 a. Sublevator pauperum
Et creator siderum
Mundum mole scelerum
Miseratur miserum,
Matris subintrat uterum,
Virgo dat nobis puerum,
Qui secundum Isaiam
Iter planat asperum
Atque mundi monarchiam
Portat super umerum.

3 b. Utitur pro solio
Rex Mariae gremio,
Cuius sub imperio
Vivit omnis natio,
Iam Danielis visio
Non vacat a mysterio:
Lapis enim, qui descendit
De montis fastigio,
Crevit ita, quod transcendit
Terram suo spatio.

4 a. Ut in praeconium
Matris et virginis
Indocti labium
Solvatur hominis,
Praestet ingenium,
Det vim acuminis,
Qui tenet solium
Superni culminis.

4 b. Regii sanguinis
Germen egregium
Decus originis,
Splendor natalium,
Telis cupidinis
Cor tulit obvium,
Ut divi seminis
Esset hospitium.

5 a. Hospita
Fit ita
Deo et homini,

5 b. Inclita
Cognita
Femina nomini.

6 a. Recens hospitium
Cubile nobile,
Vitii nescium,
Virtuti habile,
Ipsius ostium
Fixum, non mobile,
In hoc nil tristium,
Totum risibile.

6 b. O susceptibile,
Prorsus mysterium!
Acceptat fictile
Vas fictor omnium,
Inibi stabile
Regens imperium,
Nullum difficile
Ferens negotium.

7 a. Quae mens, quae schedula
Capere valeat,
Hac de iuvencula
Quod dici deceat?
Cuncta si saecula
Scribere libeat,
Laus erit parvula
Nec fine careat.

7 b. Quae semper floreat,
Haec Iesse virgula,
Rubus, qui vigeat
In flamma sedula,
Quae soli pateat,
Haec portae clausula,
Quae lucem praebeat,
Haec nucis gerula.

8 a. Haec candens lilium,
Haec rosa rubea,
Haec mannae proprium
Vas, urna aurea.

8 b. Haec redeuntium
Ductrix idonea,
Pervenientium
Sollennis laurea.

9 a. Framea
Flammea
Hac refrigerium
Facit,

9 b. Arida
Area
Hac stillicidium
Capit.

10 a. Ovis erronea
Hac caulas parium
Implet,

10 b. Dragma argentea
Per hanc marsupium
Habet.

11. Laus sibi paxque suis.

Cod. Berolinen. Philipp. 1996. add. saec. 12. — 4 a, 1 Et in praeconium. — Der Form nach zu schliefsen, vielleicht auch Cantio.

46. Cursus de Nativitate Domini.

Die Sabbati.

Ad Matutinum.

1. Tactum pudoris nesciens
Sancto concepit flamine
Maria virgo, pariens
Iesum sine gravamine.

2. Attendite miraculum:
Mater more femineo,
Qui cuncta pascit, parvulum
Lacte fovet virgineo.

3. Hinc magnus in consiliis
In caeli sedet solio,
Matre ligatur fasciis
Aselli in praesaepio.

4. Pro Fescenninis gloria
Ab angelis concinitur
Et pax in terrae curia
Benevolis promittitur.

5. Iesu, Mariae filio,
Sit sempiterna gloria,
Qui dempto hoc exsilio
Coronet nos in patria.

Ad Laudes.

1. Splendor paternae gloriae,
Qui clares te videntibus,
Verusque sol iustitiae,
Nostris refulge mentibus.

2. Da, carnis ut mysterium,
Quod patuit pastoribus,
Ad verae vitae praemium
Sit profuturum omnibus.

3. Te Deum, Dei filium,
Ex David factum semine,
Regem regum eximium
Secundum carnem, Domine,

4. Mortalem et pontificem
Magorum fantur munera;
Caput, per mortis calicem
Membrorum sana vulnera.

5. Iesu, Mariae filio.

Ad Primam.

1. Iesu, decus angelicum,
Dans tuis lumen caelicum,
Lux lucis invisibilis,
De matre natus humilis,

2. Virtutes pueritiae
Tuae, cuius deliciae
Sunt esse cum hominibus,
Nos instruant virtutibus.

3. Tibi Mariae genito
Cum patre et paraclito
Sit honor et victoria
In sempiterna gloria.

Ad Tertiam.

1. Uti sponsus de regio
Processit matris gremio
Gigas naturae geminae
Ex sacra natus virgine,

2. Exsultans viam currere,
Errantem ovem quaerere,
Ut bonus pastor umeris
Hanc reportaret superis.

3. Tibi Mariae filio.

Ad Sextam.

1. Nunc Christum olim patribus
Promissum Deus gentibus
Notum fecit infantulum,
Ecce, in cunis parvulum.

2. Agamus grates iugiter
Cum angelis, qui dulciter
In summis laudes resonant
Nobisque pacem intonant.

3. Tibi Mariae filio.

Ad Nonam.

1. Qui descendisti, Domine,
In alvum sacrae feminae,
Ut ros in lanam velleris,
Iesu, laus nostri generis,

2. Emunda nos a sordibus,
Da nostris pacem cordibus,
Ut collaudantes pariter
Te hymnizemus iugiter.

3. Tibi Mariae filio.

Ad Vesperas.

Candor aeterni luminis
Et sine labe speculum,
Fulgor divini numinis,
Iubar illustrans saeculum,

Ex patre ante saecula
Qui genitus es, Domine,
Post temporum curricula
Ex matre natus virgine,

3. Quae traxit te dilectio,
Ut nostram carnem sumeres,
Quae vicit te compassio,
Ut morte nos redimeres?

4. Te cogat, ut perenniter,
Quem nuntiavit Gabriel,
Nos serves, ut nunc iugiter
Nobiscum sis, Emanuel.

5. Iesu Mariae filio.

Ad Completorium.

1. Christe, nostra redemptio,
Amor et exspectatio,
Deus, salvator populi,
Homo in fine saeculi,

2. Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine,
Ut parvulos nos subleves,
Tam grandis parvus factus es.

3. Tibi Mariae filio.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Labacen. 45. — Ad Primam 3, 1 Mariae filio gegen den Reim. — Ad Nonam 2, 4 Te fehlt.

47. Oratio ad parvulum Iesum laetantem.

Qui gremio matris resides, sapientia patris,
Uberibus sacris lactate, Iesu pie, matris,
Hostia vera patris, rex caeli, vas deitatis,
Dux patriae et pacis, flos, fructus virginitatis,
Munus dulce satis, lux mundi, fons pietatis,
Me superae gentis, quaeso, coniunge beatis.

Collectan. ms. incert. origin. saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Misc. 523. — 6 superis gentis. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

48. Ad Iesum Infantem.

1. O praedulcis parvule,
puer sine pari,
Precor, ut permittas me
de te consolari,
Pedes tuos lambere,
manus osculari
Ac hilarato corde
tecum iucundari.

2. O creator omnium
fonsque pietatis,
Quis tibi consuluit
sic te dare gratis
Nobis, nisi vehemens
ardor caritatis
. . . .
. . . . .

3. Hoc ardoris calculo
velis me ignire,
Ut amoris stimulo
post te possim ire,
Ne peccatoris poculo
sim filius irae,
Sed caelesti ferculo
possim me nutrire.

4. O Iesu dulcissime,
cibus salutaris,
Qui sic nobis intime
tribui dignaris,
Mala nostra deprime
fletibus amaris
Et affectus imprime,
quibus declararis.

5. Tantis, pater luminum,
donis benedictus
Sis tu et dulcedinum
tu spiritus dictus,
Et, o virgo virginum,
ventris tui fructus,
Qui mundi voraginum
dissipavit luctus.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 Precor, me permittas. — 1, 7 hylerato. — 5, 5 o fehlt. — Der Reim der ungeraden Zeilen fehlt in Str. 2 und ist stumpf in Str. 1.

49. Versus de Epiphania Domini.

Lux nova sublimis de caelo fulget in imis;
Luce Dei plena, quae gaudia monstrat amoena,
Noscitur haec stella Dominum pariente puella,
Nam nato Christo mundo radiavit in isto.
Reges post stellam quaerunt puerumque puellam,
Gentiles dicti subeunt cunabula Christi.
Aurum, tus dantes murramque, Deum venerantes,
Perque fidem puram tria signant sacra figuram.
Hunc Christum puerum studeamus credere verum,
Semper viventem, regnantem, sed morientem.
Est Gabriel dictus tali sermone potitus:
Pax sit vera bonis virtutum perpete donis,
Ex caelo natis sit gloria sancta beatis.
Ergo nitamur, quo vera pace fruamur.
Gloria sanctorum sit nobis summa polorum.

Comment. ms. (Beati in Apocal.) S. Severi in Vasconia saec. 11. Cod. Parisin. 8878. add. saec. 11.

50. Oratio de hoc praedulci nomine Iesu.

1. Ave, Iesu,
nomen mirabile,
Patris verbum
inenarrabile
Atque sapientia.
In omnibus
par es genitori,
Per te facti
sunt caelestes chori,
Homines et omnia.

2. Quem hominem
tantum dilexisti,
Quod protinus
sibi subiecisti
Omnia terrestria.
Qui vetitum
pomum cito edens,
Se suosque
morte fera laedens,
Amisit caelestia.

3. Ne perderes
hos, quos condidisti,
Post a patris
sinu descendisti
In uterum virginis,
Ubi summis
ima coniunxisti,
Cum benigne
tecum univisti
Substantiam hominis.

4. Ave, Iesu,
Deus incarnatus,
Deus homo,
de virgine natus,
Postque octava die
Pro salute
nostra circumcisus,
Inde captus,
derisus, occisus
Per plenos invidiae.

5. Per hanc mortem
mortem occidisti,
Quam ardenter
nosque dilexisti,
Demonstrans, Iesu pie.
Resurgendo
vitam reparasti,
Ascendendo
portam reserasti
Caelestisque patriae.

6. Nunc de sede
tuae maiestatis
Ad nos clamas:
vos, qui laboratis
In peccatis, currite,
Iugum leve
meae caritatis
Propter tanta
dona pietatis
In vobis suscipite.

7. Ave, Iesu,
auctor clementiae,
Peccatorum
tota spes veniae,
Dona mihi veniam;
Mentem meam
reple dulcedine
Caritatis
atque munimine,
Ut te solum sitiam.

8. Amor tuus
lumen est mentium,
Favus mellis,
dulcedo cordium
Pigmentumque caelicum;
Omne prorsus
excedit gaudium,
Omne simul-
que desiderium,
Vinum est angelicum.

9. Tua luce,
Iesu, clarifica
Meam mentem,
vino laetifica
Affectum mellificans,
Ut te solum
semper esuriam,
Te, dulcedo
vitaeque, sitiam
Laudes tuas replicans.

10. Ave, Iesu,
totus amabilis
Et prae cunctis
desiderabilis,
Omnem sensum superans,
Cuius amor
cor meum afficit,
In quem tota
mens mea deficit
Te solum desiderans.

11. Ex hac carne
dissolvi cupio,
Tecum esse
in illo gaudio
Angelicae curiae;
Tu me trahas
ex hoc exsilio
Et reponas
in tuo gremio,
Rex misericordiae.

12. O quam laetus,
cum te invenero,
Et quam felix,
cum te tenuero
In caelesti patria;
Tunc amplexus
casti, tunc oscula
Erunt mihi
de te per saecula
saeculorum dulcia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 admirabile. — 3, 2 hos fehlt. — 5, 2 nostram mortem. — 6, 2 tuae fehlt. — 7, 9 atque numine. — 9, 2 Iesu fehlt. — 12, 10 saeculorum fehlt.

51. De Nomine Iesu.

Introductio.

1. Ut de Iesu nomine
digne fari queam,
Nomen tetragrammaton
linguam limet meam,
Seraph arae calculo
tangat purgans ream,
Ne sic scandam ardua,
quod in praeceps eam.

2. Iesus, nomen fulgidum,
plus sole clarescit,
Iesus omni balsamo
plus menti fragrescit,
Iesus, dulcor melleus,
plus melle dulcescit,
Iesus, melos caelicum,
plus lira mulcescit.

3. Iesus iucundissimus
amplexu mentali,
Iesus cor exhilarat
iubilo vitali,
Iesus dux rectissimus
moli corporali,
Iesus lux praefulgida
menti spiritali.

4. Dux, lux, rex, lex machinae
praeest Iesus trinae,
Ab aeterno nascitur,
manet sine fine,
Cuius dulcis nominis
syllabae sunt binae,
Sed in binis syllabis
literae sunt quinae.

5. Nec pentas mysterio
vacat, sed nec trias
His, qui de mellifluo
mentes gerunt pias,
Quas ut tangam breviter
rectas tenens vias,
Cor, linguam et calamum
dirigat Messias.

6. Omne est dissyllabum
signans caritatem,
Cum signetur caritas
per dualitatem,
Cuius monas unica
stringit deitatem,
Altera deflectitur
ad humanitatem.

7. Hinc ad patrem caritas
fervet infinita,
Mens eat ad proximum
flagranter ignita,
Pro quo morte saucio
mori valens vita,
Quanti pendat miserum,
comprobavit ita.

8. Seminecem saucium
hic Samaritanus
Morte curat propria,
donec fiat sanus;
Pastor vita moritur,
nec curat germanus,
Homo hoc per facinus
fit hostis profanus.

9. Amor fertur maximus
sic amans amicum,
Sed est maior amico,
qui sic inimicum
Amat, quod amplectitur
hostem tam iniquum,
Sed amat, ut fertilem
reddat capessitum.

10. Caritate maxima
ferbuit maiori,
Quam curat impendere
nequam impostori,
Dat cumulatissimo
cumulum amori,
Pro periuratissimo
dignans hoste mori.

11. Dyade numismatum
curat substantivum,
Passivum corpusculum,
dans cor compassivum;
Stabulo, patibulo
binum fudit rivum,
Dativum remedii,
mortis ablativum.

12. Vino, botri sanguine,
cruor figuratur
Lateris, per oleum
latex designatur;
Per illud redemptio
mundo propinatur,
Per istud originis
amurca purgatur.

13. Pentade caracterum
nomen calculatur,
Mariae tot litteris
nomen consignatur,
Per quod circularitas
miranda probatur,
Qua matris perfectio
prolisque dotatur.

14. Circularis numerus
pentas perhibetur,
In se ducta pentade
si multiplicetur,
Finis cum principio
conformis videtur,
Gignentique genita
similis censetur.

15. Unde quinque quinquies
sunt vigena quina,
Numerorum portio
dempta par est bina,
Quibus istud indidit
sophia divina,
Sic pro posse similis
est regi regina.

16. Hexas sola pentadi
sic assimilatur,
Quod liquet in eadem,
hexas si ducatur
In id, ex quo gignitur,
summa terminatur,
Circularis itaque
utraque probatur.

17. Hinc est, quod cum hexade
pentas proximatur,
Quibus circularitas
una propriatur,
Nam utraque, quotiens
in sese ducatur,
A quo duci coeperat,
in id terminatur.

18. Numerus est apicum
Iesu circularis,
In Maria pariter
est orbicularis,
Duorum prosperitas
est haec singularis,
Cum gignente geniti
Iesu singularis.

19. Iesus coepit circulum
a patre progressus,
Consummans periodum
ad patrem regressus,
Consummatum stipite
dum clamat perpessus,
Orbi figit limitem
a mundo recessus.

20. Virgo coepit circulum
a Deo creata,
Terminavit ambitum
mundo conversata,
Peregit circuitum
cum Deo locata,
Punctum, a quo fluxerat,
in hunc regirata.

21. Oritur et occidit
sol spiritualis
Lustrans in circuitu,
quivis est vitalis,
Ad egressum repedans
dextrae paternalis,
Est in suos circulos
flexus motus talis.

22. Hexas iuncta pentadi,
mater iuncta proli,
Sola coniunctissima,
vicinata soli,
Eius locans circulis
rex reginam poli,
Immediatissime
post se vult hanc coli.

23. Coepit Iesu circulus
a corde paterno
Per canalem transiens
in alvo materno,
Ereptis post obitum
suis ab averno
Finis est cum capite
coniunctus aeterno.

I.

1. Primus Iesu nomine
caracter est Iota,
Apex simplicissimus
minimaque nota;
Iesu sic humillima
vita fuit tota,
Verbis, signis, actibus
a fastu semota.

2. Adae praecipitium
fastum esse scivit,
Reiectus ab edito,
dum culmen ambivit,
Hinc Iesus humillimus
semet inanivit,
Utque lapsus surgeret,
vitae fons obivit.

3. Lucifer vult rapere
Dei paritatem,
Usurpare satagit
homo deitatem,
Iesus talem exhibet
in se parvitatem,
Quod sequax non corruat
ob aequalitatem.

4. Iesus ens celsissimus
vult humiliari,
Ut, quisquis de cetero
gliscat hunc sectari,
Queat non ad infima
fastu supinari,
Sed ab imis erutus
summis inaltari.

5. Insuper i litera
vocalis probatur,
Quinarum vocalium
media locatur,
Sed haec, ut sit consonans
simplex, commutatur,
Interdumque consonans
iota duplicatur.

6. Verbum patris genitum
Iesus ab aeterno
Vocem carnis induit
in claustro materno,
Verbum ens mundissimum
in sinu superno
Fit tam vox quam consonans
in ventris interno.

7. Verbum iunctum plasmati
vox simplificata,
Verbum iunctum homini
vox est duplicata,
Tam carne quam anima
verbo coniugata
Vocalis fit consonans
duplo combinata.

8. Inter duas dyades
iota situatur,
Deo sic et homini
Iesus mediatur,
Binus sexus numini
reconciliatur,
Pater nec non spiritus
utrique placatur.

9. Consors consonantia
fit ex hoc vocali
Pacis foedus imperans
irae divinali,
Iudicem cum homine
placans noxiali,
Culpae, poenae diluens
naevum, dupli mali.

10. Iesus iota medium
crebro scriptitatur,
Trinitatis media
persona probatur,
Filius altissimi
prius generatur,
Ab utroque spiritus
procedens spiratur.

11. Ambulat in medio
Iesus angelorum,
Aureorum medius
stans candelabrorum,
Tenet terrae medium
sudum ventris thorum;
Hinc salutem operans
Iesus terrenorum.

12. In praesaepi medius
iacet iumentorum,
Duodennis medio
residet doctorum,
Pendet cruce medius
furum damnatorum,
Crebro Iesus medio
stat discipulorum.

13. Quid de Iesu medio
laudes lingua tacet?
Medius est ambulans
operans et iacet,
Pendens, stans et reserans
mediari placet,
Reor, quod mysteriis
nil ex septem vacet.

14. Ens a patre suscipit
proles entitatem,
Cum pater ingenitus
det nativitatem,
Hoc esse per mediam
Iesu largitatem
In manantem spiritus
transit bonitatem.

15. Ambulant ierarchicam
inter contionem,
Ierarcha cum angelis
dat purgationem,
Dat infulgens medius
illustrationem
Consummansque tertio
dat profectionem.

16. Salutem in medio
terrae faciebat,
Terrenos ab invio
vocans reducebat,
In limbo tartareo
clausos eruebat,
Summa muri caelici
scandens celsiebat.

17. Iacet inter populum
Israel bovinum
Gentilemque medius
coetum asininum,
Angulari lapide
ritum iungens binum,
His eiusdem fidei
iubar dat divinum.

18. Duodennis medio
considet doctorum,
Hos quaerens et audiens
de doctrina morum,
Docens imprudentiam
caecam terrenorum
In cunctis consulere
sensum peritorum.

19. Stat inter discipulos
pandens cicatrices,
Confiteri patule
docens infelices,
Ut mentes confessio
purget peccatrices;
Nec hoc semel factitat,
sed per plures vices.

20. Reddet iudex medius
discretor reorum,
Iusta lance ponderans
causas meritorum,
Obstinatos fulminans
poenis tartarorum,
Paenitentes praemians
regno beatorum.

21. Ubique conspicitur
iota medianum,
Summa placans infimis
iter fecit planum,
Per quod mundus graditur
ad supermundanum,
Dum verbum vox consonans,
corpus fit humanum.

II.

1. Apex *e* subsequitur
sursum oculatus,
Parumper in medio
parens actuatus,
Finis aliquantulum
plus est recurvatus,
Mucronali linea
fixim transforatus.

2. Iesu sursum oculus
vigil insopitus,
Lyncis cuncta permeat
visus investitus,
Sic caelo, sic tartaro,
sic mundo quis situs
Nudus sub tis oculis
nude patet scitus.

3. Quidquid abditissimis
mens volvit latenter,
Id luce lucidius
videt lux patenter;
Hinc peccans resileat
pavens vehementer,
Cuius scelus prospicit
iudex luculenter.

4. Comprehensor pariter
Iesus et viator,
Deitatis exstitit
fruens contemplator,
Sed mirum, quod limpidus
Dei speculator
Ad poenas deflectitur
mortis tolerator.

5. Inter ortum media
noctemque totalis
Vita Iesu lugubris,
contorta, poenalis,
Mentem Iesu curvitas
flexit artualis,
Sed carnis reflexio
plus auget letalis.

6. Finis e characteris
corpus tormentatum,
Clavis quater, milies
spinis terebratum,
Inclinato capite
clamans „Consummatum",
Finem ad principium
probat recurvatum.

7. Linea per medium
transit transversalis,
Latus Iesu perforat
punctus mucronalis,
Quo transfosso profluit
duplex fons vitalis,
Cruor, mundi pretium,
aqua baptismalis.

8. Is caracter cernitur
aspectu rotundus,
Apexque vocalium
est situ secundus;
Per Iesum tripudiat
tristis prius mundus,
Dum post threnos tragicos
cantat *Laetatundus*.

9. Adam secundario
reparatur primus,
Dum Iesus in virgine
supremus fit imus,
Primus fit ob facinus
fumus, pulvis, fimus,
Quem a tribus liberat
Deo iunctus limus.

10. Imo primus, numini
humus si iungatur,
Sic ab Adam infimo
fimus elimatur,
Ad caput, quo fluxerat,
terminus curvatur,
Dum per Adam facinus
Adae profligatur.

III.

1. Character ſ tertio
loco subrogatur,
Cuius tractus virgula
simpla figuratur,
Recta tamen linea
ducta prolongatur,
Vertex aliquantulum
cuius obuncatur.

2. Iesus, simplicissimus
fons simplicitatis,
Qui triplata respuit
piis duplicatis,
Fucum fraudis disicit
lux hic veritatis,
Nec ullam compatitur
umbram falsitatis.

3. Simplex quaerit simplices,
duplices fastidit,
Si quis duplex venerit,
Iesus hunc relidit,
Efficax thyriaca
toxicum occidit,
Super vulnus vulnere
damnando concidit.

4. Iesus cum simplicibus
stans sermocinatur,
Corde tamen simplici
Iesus quaeritatur,
Iob simplex terrigenis
cunctis plus laudatur,
Simplicesque parvulos
Iesus amplexatur.

5. Examen iustitiae
virgae rectitudo,
Quam flectit a tramite
nulla tortitudo,
Perpes est aeternitas
virgae longitudo,
Quam nec mors interpolat,
sed nec valetudo.

6. Mortis nec ens debitor
emori volebat,
Solvit pro terrigenis,
quod non rapiebat;
Dum fons vitae moritur,
mortem occidebat,
Nec plus mortis stimulus
Iesum perurgebat.

7. In cruce cum pugile
mors semel conflixit,
Cum carnem ut cerinum
Iesu crux confixit,
Consurgens post paululum
in aeternum vixit,
Mortem morti perpeti
devictam addixit.

8. Obuncatur vertice
Iesus occumbendo,
Inclinato capite
vitam emittendo,
Terrenorum osculis
os dulce flectendo,
Accurrentes brachiis
tensis amplectendo.

9. Oscula repudiet
ne quisquam oblata,
Alta cruce clamitat
monte situata,
Sic clamat, quod raucitas
faucis est curata,
Suda languent lumina
fletu madidata.

10. Manus, pes, laterculum
fixum terebratur,
Sed corpus ad terrae os
totum procurvatur,
Ob cordis dulcedinem
caput aduncatur,
Ut Iesus philanthropus
mirus ostendatur.

IV.

1. Sequitur u litera
   miranda figura,
Geminis ex virgulis
   cuius fit scriptura,
Quas punctalis deorsum
   compingit clausura,
Secernit superius
   patens apertura.

2. In naturis geminis
   id humanitatis
Iesu potest conspici
   luculenter satis,
In persona simplici
   licet combinatis,
Tamen tam compositis
   quam divaricatis.

3. Quoad Iesus viveret,
   partes sunt compactae,
Cum Iesus occumberet,
   sunt compages fractae,
Iesu terra humida
   coniuncturam nactae,
In diversum pendulo
   sursum sunt abactae.

4. Rumpitur difficile
   funus triplicatus,
Est homo, quem traxerat,
   sic culpis gravatus,
Quod Iesum similiter
   fatiscit ruptatus,
Cum a carne spiritus
   fuit separatus.

5. Utrique verumtamen
   deitas unitur,
Ac indissolubilis
   commissura scitur,
Quae cum semel utero
   virginis unitur,
Inseparabiliter
   manens stabilitur.

6. Baculus crux pugilis,
   humanitas scutum,
Quod dira mors diffidit
   vita destitutum,
Sed ad tempus modicum
   erat comminutum,
Surgendo de perpeti
   vita fulcit tutum.

7. Quoad Iesus viveret,
   erat divisura,
Cum caro resurgeret
   a mortis punctura,
Obsecundat numini
   mentis creatura,
Gratanter amplectitur
   tela mortis dura.

8. Mori quaerit spiritus,
   caro fugit mortem,
Hoc acre divortium
   pugnam causat fortem,
Tandem in compagine
   coeunt cohortem,
Tum sibi confoederant
   Deum in consortem.

9. Voluntas, ut viveret,
   erat sensualis,
Quam excusat insitus
   amor naturalis,
Tum voluntas cernitur
   superdivinalis,
Carnalis propensio
   mox fit spiritalis.

10. Sed licet in volitis
   fuisset dissensus,
Sed in voluntatibus
   concors est assensus,
Ut Iesus pro miseris
   cruce sit appensus
Ac in nostris usibus
   totus sit expensus.

11. Caro naturaliter
mortem perhorrebat,
Inviteque spiritus
carnem dimittebat,
Quos Deus id volitum
velle cum volebat,
Voluntas intrinsecus
conformis manebat.

V.

1. Sequitur s litera,
quae bis situatur,
Sed figura duplici
character formatur,
Prima recta linea,
sicut praenotatur,
Secunda, si placeat,
bis in se curvatur.

2. Apice qui nominis
calce limitatur,
Iesus, cum advenerit
iudex, designatur;
Artualis curvitas
reflexa monstratur,
Cum Iesus in aere
de caelis spectatur.

3. Suprema capacitas,
qua beat salvatos,
Curvitas inferior,
qua plectit damnatos;
Licet iustus pareat
quoad reprobatos,
Plaudet se piissimum
ad praedestinatos.

4. Curvitas superior
pietas vocatur,
Aequitas inferior
arcus nuncupatur;
Illa minor cernitur,
haec maior videtur,
Damnatorum numerus
cum maior probetur.

5. Non est haec maioritas
ex parte divina,
Sed est ex spontanea
reorum ruina,
Quos devictos subigit
Satanae rapina,
Gregem caulis abigens
claudit in sentina.

6. In his Iesu pietas
mitigat rigorem,
Temperat clementia
iudicis fervorem,
Quibus, quam meruerant,
dat se mitiorem,
Dum poenam de meritis
mensurat minorem.

7. Iesus sanctos praemiat,
sed super condignum,
Plectens citra meritum
quemcunque malignum;
Omnes Iesum sentient
mitem et benignum,
Cunctis dat clementiae
pius iudex signum.

8. Licet sit aequalitas
in aeternitate,
Librata disparitas
est in qualitate,
Dum minor poenalitas
est iniquitate
Ex superdulcissimi
Iesu pietate.

9. Quos unit aequalitas
in extensione,
Secernet disparitas
in intentione,
Minus, quam meruerant,
urentur personae
Ex benigni iudicis
mitigatione.

10. Domo patris vacuae
exstant mansiones
Propter diversimodas
praemiationes,
Qui plures in corpore
sevit sationes,
Plurimas in patria
metet messiones.

11. Isaac qui merita
carnis agro serit,
Centuplum inveniet,
cum messurus erit;
Si quis ob flagitia
quantacunque perit,
Laesum citra merita
pius iudex ferit.

12. Iesu per Davitici
vatis cantiones
Cuncta super opera
miserationes;
Id norunt terrigenae,
caeli contiones,
Usti purgatorio,
Stygis legiones.

13. Nullus est absconditus
a Iesu fervore
Nec quisquam subterfugit
a mellis dulcore,
Quod manat ex scatebra
vitae redemptore,
Omnes, sed dispariter,
rigat fontis rore.

14. Tam summis quam infimis
quam et medianis
Flectitur ɸ litera,
Iesus vitae panis,
Iustus, pius pariter
iustis et profanis,
Caelicis, tartareis,
purgatis, mundanis.

15. Paradisus denique
gaudet de Messia,
Quod satis dilucide
liquet in Elia,
In monte cum fruitur
Iesu theoria,
Cum Iesu colloquia
commiscendo pia.

Conclusio.

1. Arcae Noe fuerant
quinque mansiones,
Quae tot mundi praerogant
habitationes,
Iesus cunctis influit
miserationes,
Eius nomen continet
tot protractiones.

2. Haec mellici nominis
est orthographia,
Christiani pectoris
haec philosophia,
Haec ecclesiastica
sit allegoria,
Haec in morum dogmate
sit tropologia.

3. Haec inter caelicolas
est anagogia,
Patre cum paraclito
perfrui Messia,
Haec est veritas, vita,
haec directa via,
Quam nobis in utero
constravit Maria.

4. Iesus ad nos venerat
per alvi canalem,
Docens hanc rectissimam
viam et aequalem,
Transire per mediam
manum virginalem
Ab imis ad superum
coetum triumphalem.

5. Deus per hunc tramitem
factus terrae limus,
Per eundem tramitem
ad Deum redimus,
Nec per iter aliud
repedare quimus,
Quam Iesum, ut pergeret,
elegisse scimus.

6. Hic est Ioseph providus,
qui mundi servator
Dicitur, yconomus,
fidus dispensator,
Septennis prudentia
famis propulsator,
Suos potans sanguine
carneque cibator.

7. Hic est Iesus strenuus,
Bennun vocitatus,
Moysi legifero
ductor subrogatus,
Legi subdens gratiam,
cruce proeliatus
Israelis hostium
confregit conatus.

8. Iesus sapientiam
Sirach renovavit,
Dum per sapientiam
mundum liberavit,
Quem rex fortis Satanas
obsessum vallavit,
Sed obsessos eruens
Iesus hostes stravit.

9. Iesus veste sordida,
summus sacerdotum,
Saccum carnis induit,
sed est lutum lotum,
Corpus dat in pabulum,
cruorem in potum,
Nobis cruce pendulum
impendit se totum.

10. Iesus noster liberat
solus a peccatis,
Non est Iesus alius
huius facultatis,
Id solius deicae
constat potestatis,
Cum hoc opus maximae
sit infinitatis.

11. O Iesu piissime,
media vocalis,
Tua meditatio
mihi sit vitalis,
Placando saevitiam
irae divinalis,
Praeservans ab aestibus
chaos gehennalis.

12. Iesu, vigil ocule,
nunquam consopite,
Vide *Petri* lacrimas
duc ad viam vitae,
Tibi licet foetidae
preces sint auditae,
Cor tuum mellifluum
mihi fiat mite.

13. Iesu, pendens stipite
caput inclinatus,
Mihi sis remissio
reconciliatus
Ac in signum foederis
statim amplexatus,
Pedum saltem oscula
praebere dignatus.

14. Iesu, cum substantiis
humanatus binis,
Me misellum respice,
qui sum vilis cinis,
Caritatis geminae
succensus caminis,
Internis fulgoribus
illustra divinis.

15. Iesu, verax arbiter,
iudex aequitatis,
Vitam meam trutines
lance pietatis;
Iesu, nomen exhibe
salvans a peccatis,
Salutem impertiens
salva cum beatis.

16. O Iesu mitissime,
mitiges examen,
O Iesu, clementiae
mihi des solamen,
O Iesu, quod displicet,
remitte peccamen,
O Iesu, ne corruam,
impende tutamen.

17. Iesu, ne deficiam,
vigora conamen,
Iesu, patris dextera,
tribue levamen,
Iesu, sancti spiritus
inspira spiramen,
Cumque patre tibi sit
laus et honor. Amen.

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. — Introd. 15, 4 dumta per. — 23, 3 carnalem. — I. 2, 2 fastum. — 3, 6 in fehlt. — 3, 7 Quod sequatur non. — 13, 4 operans et latet. — 17, 2 Israel hominum. — II. 2, 3 permea. — 2, 4 invastitus. — III. 2, 3 Sine plata respuit. — 4, 7 que fehlt. — 8, 5 oculis. — 9, 1 Obscula. — 10, 4 procuratur. — IV. 3, 5 Iesum terra humido. — 4, 6 fastiscit. — 6, 2 homo scutum. — 9, 7 propassio. — 11, 7 int'nde. — V. 5, 1 haec fehlt. — Conclus. 4, 2 carnalem. — 5, 2 terrae fehlt. — 6, 7 potens. — 6, 8 cibatur. — 7, 8 cognatus. — 11, 7 Praeservens. — 17, 7 patri. — Ob 12, 3 nur eine Anspielung auf die Tränen des Apostels Petrus nach seiner Verleugnung (Luc. 22, 62) sein wollen, oder ob sie den Namen des Verfassers verraten sollen, dürfte schwer zu entscheiden sein.

52. Septem hymni continentes passionem Christi.

Ad Completorium.

1. Iesu, superni radius candoris,
Virtus et decor deici splendoris,
Vita et dulcor ardorque amoris
Es, Christe summe.

2. Tu visitare virginem venisti,
Mire fecundans de rore caelesti,
Iesu, adimplens olim, quae dixisti,
Desiderate.

3. Factum es caro, verbum summi patris,
Lacteque pastus, virtus, vitae panis,
Et reclinatus praesaepio, Iesu,
Ac crucifixus.

4. Rutilans stella te solem ostendit,
Iubilat iustus teque lumen dicit,
Patria tua exsulque fugaris,
Iesu, nunc natus.

5. Te [lux] lucernae, Iesu, subdidisti
Antrumque intrans vere ieiunasti,
Morbidos sanans mundum docuisti
Sana doctrina.

6. Pauperes, Iesu, o quam dilexisti,
Corpore tuo de ipsos cibasti,
Te pane vivo et virginis fructu,
Hostia sacra.

7. Iesu, tuorum pedibus extersis
Montem ascendens pie praedicasti,
Maestus et pavens ter patrem orasti,
Sanguine mades.

8. Traditum tradis fustibus et armis,
Te, Iesu, mitem atrociter vallant
Sanguinum viri, traditoris signo,
Osculo pares.

9. Dulce distillans, Iesu mansuete,
Zelum compescens tui defensoris,
Sanas contactu tuum adversantem,
Fons pietatis.

10. Manus atroces te Iesum contrectant,
Funes extendunt teque vincientes
Dire astringunt reversis post tergum
Manibus tuis.

11. Iesu percusso disperguntur oves
Viamque quaerunt devie pergentes
Ac ingemiscunt, trahere videntes
Dulcem magistrum.

12. Iesu ligato lictores laetantur,
Concite currunt Annae deducentes,
Senesque ruunt sese adgregantes
Ad exprobrandum.

13. Gloria tibi sputis deturpato,
Iubilus laudis verbis exprobrato,
Honor, potestas clavis perforato
Iesu pro nobis.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 7, 3 mundans. — 8, 4 parens.

Ad Matutinum.

1. Vox invalescit subsannationum,
Sonat insultus increpationum,
Senibus coram, Iesu, collocatus
Ad inquirendum.

2. Testis inculpat falsa proponendo,
Pontifex clamat Iesum adiurando,
Filium Dei audit se dicendo
Nube venturum.

3. Tunc rugit princeps rabie ferali,
Veste conscissa eiulans proclamat
Voce maligna, Iesum reum mortis
Contio crepat.

4. Irruit tunc gens impetu crudeli,
Manu maligna Iesum colaphizat,
Terrae curvatur pes percutientis,
Crebro conculcat.

5. Facies livet crebris maxillatis,
Resonat dorsum ictibus ferinis,
Crines evellunt tractibus obliquis
Iesu concusso.

6. Species clara turpius sordescit,
Sputis obtecta abiectius fluit
Barba illita maculosae faecis
Iesu consputo.

7. Claviger caeli a longe secutus
Ter Iesum negat, ter interrogatus,
Sed recordatur praeconii Christi
Gallo canente.

8. Dulci respectu Iesu vulnerasti
Petrum, collapsum pie sublevasti,
Cor frigefactum fervere fecisti
Igne amoris.

9. Ad eum dulce intuitus, Iesu,
Saucium sanans erigensque casum,
Aridum vertens in amaro fletu
Maesti maeroris.

10. Iam taediato ore exprobrantis,
Iam perlassato pugno quatientis
Carcere taetro stricte catenaris,
Iesu afflicte.

11. O flos candoris, sputis maculatus,
Fervor amoris, frigore constrictus,
Iubar solaris, tenebrosis trusus,
Es, Iesu clare.

12. Gloria tibi sputis deturpato,
Iubilus laudis verbis exprobrato,
Honor, potestas clavis perforato
Iesu pro nobis.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 1, 3 collocatis. — 3, 4 concrepat.

Ad Primam.

1. Mane concurrit coetus sacerdotum,
Senes et scribae concilium ferunt,
Iesum ut tradant turpissimae morti
Interimendum.

2. Iesum educunt viles vinclis plexum,
Statuunt ipsum medio eorum,
Aggredientes verbis perversutis
Interrogando.

3. Nequiter quaerunt modo de doctrina:
Si tu es Christus, nobis palam dicas.
Dei a dextris te, Iesu, sessurum
Fore affirmas.

4. Iesu insultans turba proclamosa:
Ore de huius audivimus, clamant,
Filium Dei dicens se sermone
Quali blasphemat.

5. Cito surgentes manibus ligatum
Iesum praesentant praesidi Pilato,
Agnum tradentes cani truculento
Deglutiendum.

6. Senes assistunt voce clamorosa,
Iesum incusant acuentes linguam,
Obicientes superstitiosa
Esse locutum.

7. Praeses ut quaerit denuo de noxa,
Plebem commovent, clamat gens maligna:
Docens subvertit prohibetque regi
Dare tributa.

8. Fore ut audit tunc a Gallilaea
Iesum, remittit Herodi tetrarchae,
Currit post ipsum plebs tumultuosa
Malignatorum.

9. Ferunt profani accusationem,
Quaerunt constanter interimi morte,
Crucifigendum regem aequitatis
Iesum iniuste.

10. Gaudet Herodes viso Iesu valde,
Ipsum propulsans vario sermone,
Sed obmutescit agnus vinculatus
Coram tondente.

11. Spernit tyrannus Iesum quiescentem,
Ei circumdans illusivam vestem,
Saevitque coetus dans derisiones
Regi abiecto.

12. Iesum educunt coetu satiato
Illusione mitissimi agni,
Rursum festine derisu vestitur
Habitu albo.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin 3897 (605). — 7, 1 quaerit de non de noxa. — 12, 3 festino. — Doxologi wie im vorigen Hymnus.

Ad Tertiam.

1. **Praecepit praeses Iesum spoliari,
Veste nudatum columnae astringi,
Duris flagellis durius mactari
Manu immanum.**

2. **Candida caro sanguine rubratur,
Nitidi artus plagis laniantur,
Ictus tortoris crebro iterantur,
Iesu, ingentes.**

3. **Rude flagellum Iesum circumcingit,
Funis nodosa livores apponit,
Manus versata acerbius angit
Dorsum et latus.**

4. **Lacera manus lacerando lassa,
Pallio rubro Iesu tunc amicto
Coetus accurrit acrius attritum
Cruciaturus.**

5. **Spinoso serto, Iesu, coronaris,
Fluunt, ut figunt, cruoris fluenta,
Madent capilli, oraque rubescunt
Sanguine lita.**

6. **Genua flectunt Iesum illudentes,
Quatiunt caput arundine sumpta,
Regem salutant prave conspuentes
Facie nuda.**

7. **Iesum illusum foras educentes,
Diadematum sceptrumque ferentem,
Turbis ostensum, dupla voce dicunt:
Crucifigatur.**

8. **Non reum mortis Iesum iudex fatur,
Crescit tumultus optioque datur,
Nequam dimisso iustus crucifigi
Sententiatur.**

9. **Suscipientes tunc Iesum ministri
Crucem imponunt umeris lassatis,
Foras educunt iniquis duobus
Associatis.**

10. Dorsum oppressum onere curvatur,
Umeris cassus labore lassatur,
De verecundis Iesus subiugatur
Cruciamentis.

11. Anget vox vulgi Iesum protrahentis,
Alteque clamat os praeconizantis,
Clangitque tuba turbam convocantis
Ad intuendum.

12. Vox olim versa Hosanna dicentis,
Vox amicorum matrisque gementis,
Vox Iesu pia flere prohibentis
Maestum dant sonum.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — Doxologie wie oben.

Ad Sextam.

1. Mortis ad montem te, Iesu, deducto
Tuo nudaris [dire] vestimento,
Tibi haerente ac conglutinato
Plagis cruentis.

2. Quasi leprosus tunc apparuisti
Oculis coram populi astantis
Tuis verendis velo matris tuae,
Iesu, velatis.

3. Atterit casus caterva pellente
Virginis artus durius caedentes,
Tenera caro ligno datur duro
Iesu everso.

4. Pellis in modum Iesum expandentes
Sauciant manus, pedes perforantes,
Clavis acutis [hunc] crucifigentes
Malleo malo.

5. Arida guttis roseis rigatur
Crux, pretiosis gemmis adornatur,
Sanguis defluit, Iesus vacuatur
Largis fluentis.

6. Titulo scripto literis diversis,
Iesu confixe, sursum elevaris
Vento expansis visceribus tuis
Dire distentis.

7. Iesu erecto brachia tenduntur,
Pondere sacro genua flectuntur,
Manus pedesque rupturis vexantur
Ferro confossi.

8. Duo adduntur ad confusionem,
Crucifiguntur hinc, inde latrones,
Medium Iesum poenae deputatum
Cum sceleratis.

9. Dividunt sorte milites et vestes,
Capita movent Iesum blasphemantes,
Dicunt, descendat nunc Christus de cruce,
Praetereuntes.

10. Te suspendentes tunc orans excusas,
Iesu, latroni paradisum donas,
Virginem matrem virgini commendans
Transgladiatam.

11. Anxia voce, Iesu, proclamasti:
Me, Deus meus, cur dereliquisti?
Potum consumis, potans acetosum
In tua siti.

12. Obtenebrescit luctu compassivo
Iesu suspenso claritas solaris,
Radios claros claritatis suae
Cruentis tegens.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 8, 3 deputantem. — 11, 1 Iesum. — 11, 3 consumaris. — Doxologie wie oben.

Ad Nonam.

1. Crucis in ara Iesu cruentato,
Iam lacerata illibata caro,
Torrida membra pendent in vexillo,
Plena pallore.

2. Vespere venis Iesus vacuatis
Sanguine suo reis sociatus
Caput inclinat velut donans matri
Vale doloris.

3. Caro carentis carie pallescit,
Fervens amoris clibanus frigescit,
Liberans limbum labore labescit
Iesu languente.

4. Oculi pii poena deprimuntur,
Lumina clara morte caligantur,
Ora marcida Iesu alterantur
Agonizante.

5. O quo dolore cor tuum liquescit!
Iesu, degustas motus maestae mortis,
Flens cum clamore spiritum commendas
Manibus patris.

6. Iesus despirans, terra contremiscit,
Petrae quassantur, velumque scindetur,
Solvitur captus, infernus patescit
Portis confractis.

7. Funes funesti funere franguntur,
Fauces fallentis ferculo falluntur,
Cornua mortis Iesu moriuntur
Morte crudeli.

8. Turba terretur, miles expavescit,
Tunditur pectus, clamor invalescit,
Testificatur: Vere iustus erat,
Filius Dei.

9. Praesidem rogat coetus Iudaeorum
Tollere statim corpora reorum,
Iesu infracto concrucifixorum
Crura franguntur.

10. Crurifractores cruci propinquantes,
Iesum defunctum iam reperientes,
Lanceae ictu mox percutientes
Latus transfigunt.

11. Iesu transfixo poculum dulcoris,
Sanguinis unda, vinculum amoris,
Aqua fecunda, lavacrum nitoris
Manat praedulce.

12. Planctus duplatur, maeror ingravescit,
Corque torquetur, singultus accrescit,
Dum lanceatur Iesus in conspectu
Matris orbatae.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarii 3897 (605). — 2, 1 Vemere venis. — 7, 1 Fune. — 8, 2 Tonditur. — 10, iam fehlt. — Doxologie wie oben.

Ad Vesperas.

1. Luctu amaro noti lamentantes
Deficientem matrem comitantur,
Iesu astare fere non valentes,
Terrae sternuntur.

2. Iesus defunctus nunc annuntiatur,
Ioseph Pilatum supplex deprecatur,
Mortuum saltem cruce deponendum
Ut concedatur.

3. Praeses miratur Iesum iam obisse,
Certificatur a centurione,
Corpusque datur pro sollemnitate
Sepeliendum.

4. Iesum amici pie ut deponunt,
Recipit alma virgo inter ulnas,
Oraque ruunt clavorum fixuris
Ad osculandum.

5. Ungitur Iesus murratis unguentis,
Matris lavatur aquis gemebundae,
Dum reclinatur casibus obliquis
Super dilectum.

6. O quos singultus, virgo, protulisti
Vulnera tractans Iesu iugulati
Atque contemplans tantis aperturis
Esse confossum!

7. Matris amaris osculis acceptis
Linteis Iesus colligatur mundis
In monumento fletibus immensis
Ac collocatur.

8. Saxo sepulcrum Iesu obseratur,
Orphana mater o quam anxiatur,
Consono fletu coetu mulierum
Associata!

9. Finem donante die dolorosa
Ducitur domum Iesu destituta,
Gressu nutante umeris notorum
Superinnixa.

10. O quam amaras, mater sustinebas
Poenalitates! luctu languefiam
Iesu promendo caritatem intus,
Prole privata.

11. Virgo poenarum domum introgressa
Querule gemit: o Iesu, spes sola,
Soloque labens ploratu poenali
Est saturata.

12. Nunc desolatur turba provoluta,
Nunc anxiatur mater lacrimosa,
Nunc adgravatur Iesum personando
Vox gemebunda.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). — 4, 2 alma vmq in ulnas. — 10, 1 scaturibas. — 10, 3 Iesum. — 11, 4 Est fehlt. — Doxologie wie oben.

53. De Christo Patiente.

Quisquis ades, plange, crucis aspera mente revolve,
Quae tulit a nobis mortem dans dona salutis.
Dum tulit hinc mortem liberat nos datque salutem.
Eia, nunc flete, crucifixi morte manete,
Ne barathri rete rapiat vos vaste, videte.
Hic tuus est noster sanguis de virgine sumptus,
Nos igitur rege, nos salva, nostri miserere.

Collect. ms. incert. orig. saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 523. — Vorher gehen die folgenden zwei Verse, die ein Ganzes für sich bilden und augenscheinlich die Inschrift auf einem Kruzifix bildeten:

Quisquis ades, plora, Christum quoque sic, precor, ora:
Qui dedit hunc gratis, salvator, iunge beatis.

54. Ad Christum Patientem.

1. Salve, Iesu Nazarene,
Caput tuum non serene
Demonstratur coronatum,
Nam videtur sauciatum.

2. Salve, caput spinis punctum,
Salve, cruore perunctum
Ac percussum arundine
Saeva amaritudine.

3. Salvete, o foramina,
Inflicta spinis et spina,
Salve, o magnum pretium
Sanguinis spinis obvium.

4. Salvete, carnes purpuratae,
Ex flagellis maculatae,
Manus et spinae fecerunt
Hirsutas et pupugerunt.

5. Salve, o frons generosa,
Spinis ac fletu rugosa,
Es obscurata nimium
Propter salutem omnium.

6. Salvete, clari oculi,
Flevistis more parvuli,
O Isaac, senuisti,
Visum morte perdidisti.

7. Salve, decora facies,
Non erat tibi species,
Cum terris stetisti maesta,
Caelo fulgens auges festa.

8. Salvete, nares et genae,
Multis incommodis plenae,
Vos, nares, foetor turbavit,
Vos, genae, dolor vexavit.

9. Salvete, o aures piae,
Vos pravorum blasphemiae
Intus et in cute satis
Nimis pupugerunt gratis.

10. Salve, mentum, salve, barba,
Te signavit illa barba,
In quam descendit unguentum
Ut sanguis in tuum mentum.

11. Salvete, dentes lactei,
De felle facti fellei,
Ad uvam acerbam nimis
Obstupuistis inprimis.

12. Salve, lingua verbi Dei,
Es punita causa mei
Per sitim et escam fellis,
Quae nihil habebat mellis.

13. Salve, guttur ex labore,
Ex siti ac ex clamore
Laborasti raucitate
Simulque ariditate.

14. Salve, collum caesum dure
Alapis gentis impurae,
In te apparuit pendens
Sanguis capite descendens.

15. Salve, dorsum tritum flagris
Uti frumentum de agris,
De te grana ceciderunt,
Quae salubria fuerunt.

16. Salvete, sacri umeri,
Exstitit vobis oneri
Contra iuris argumentum
Portare mortis tormentum.

17. Salvete, tensa brachia,
Traxistis ad vos omnia,
Quae erant in caelo sursum
Et quae in terra deorsum.

18. Salvete, manus tenerae,
Iunctae fuistis misere,
Dum libenter exsolvistis
Ea, quae non rapuistis.

19. Salve, dextra Iesu Christi,
Grave vulnus habuisti,
Salve, vulnus, effudisti
Pretium, quod tenuisti.

20. Salve, o manus sinistra,
Tu vitae nostrae ministra,
Tuus est cruor roseus,
Quem effudit homo Deus.

21. Salve, pectus contristatum
Propter hominis reatum,
Tu plorasti cum gemitu,
Quod peccavit pro libitu.

22. Salve, o venter carnee,
Caro carnis virgineae,
Tuam Cham nuditatem
Derisit ob pravitatem.

23. Salvete, femora detecta,
Ensis et arma sunt abiecta
In corporis passione
Pro nostra dilectione.

24. Salvete, sancta genua,
Prodiistis ad ardua
Et petistis humilia,
Curvata ad vestigia.

25. Salvete, crura Domini,
Salus ut esset homini,
Cucurristis in spinosa,
In aspera et caenosa.

26. Salvete, pedes gloriosi,
In esurie et in siti
Quaesistis ovem perditam,
Inter lupos absconditam.

27. Salve, vulnus dextri pedis,
Salve, o spes firmae aedis,
Salve, clavis, salve, sanguis,
Salve, o aenee anguis.

28. Salve, sancte pes sinister,
Salve, o bone magister,
Salve, foramen vulneris,
Tu laus humani generis.

29. Salve, latus salvatoris,
Salve, vulnus redemptoris,
Salve, sanguis veri floris,
Salve, aqua mundatoris.

30. Salve, o cor, aruisti
Ut foenum, quando subisti
Mortem volens, quam sitisti,
Dum in cruce perstitisti.

31. Salve, o dulcis anima
Iesu Christi peroptima,
Tu sensisti, quod tunica
Tua tulit Davitica.

32. Salvete nunc, o omnia
Membra Christi felicia;
Tota nostra familia
Stat victrix in victoria.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 4, 1 purpurati. — 4, 2 Et flagellatione immaculati. — 4, 3 Nos manus et. — 4, 4 Hirsutos non conpusuerunt. — 7, 4 Quae caelo fulgens. — 8, 3 o nares. — 8, 4 Et vos. — 9, 4 Nimis fehlt. — 17, 4 quae fehlt. — 20, 3 est fehlt. — 20, 4 effudisti. — 21, 3 cum fehlt. — 22, 3 nuditatem Cham; es fehlt eine Silbe. — 25, 3 Tu cucurristi in. — 29, 2 salvatoris. — 31, 1 dulcis fehlt.

55. De Passione Domini meditatio rigmica.

1. Adam nos per vetiti
pomi damnat esum,
Sed humanum sic genus
dolens pater laesum,
Misit suum filium
incarnari Iesum,
Per quem plagis plurimis,
tandem morte caesum
Sunt salvati homines
a poenis eorum.

2. O si unquam, anima,
devota fuisti,
Respice in faciem
modo tui Christi,
Contemplare speculo
in hoc corde tristi,
Quae et quantae, quot poenae
illatae sint isti;
Ventre matris latuit
more aliorum.

3. Est in diversorio
ex domibus natus,
Vagit in praesaepio
arto reclinatus,
Pannis est humilibus
ut pauper ligatus
Lacteque virgineo
matris adlactatus,
Positus in medio
duum iumentorum.

4. Primus sanguis funditur
in circumcisione,
Offertur Ierusalem
cum oblatione,
In Aegyptum ducitur
cum afflictione,
Subditur parentibus
in conversatione,
Quaesitus in medio
sedebat doctorum.

5. Ut peccator innocens
Iesus baptizatur,
In desertum spiritu
suo agebatur,
Ubi post ieiunium
fame cruciatur,
Tribus a diabolo
vicibus temptatur,
Persequentum lapides
fugit Iudaeorum.

6. Exercet officium
praedicationis,
Lassatur laboribus,
qui est quies bonis,
Famem, sitim patitur
abundans in donis,
Publicanis veniam
dat remissionis,
Tolerat insidias
hic pharisaeorum.

7. Regnum Dei nuntiat
per castra pergendo,
Orando pervigiles
noctes deducendo,
Ter nostrae miseriae
flet compatiendo,
Cum Iuda et aliis
cenam comedendo
Iudae pedes abluit
et discipulorum.

8. Orat patrem, transeat
calix hic doloris,
Guttaeque sanguineae
decurrunt sudoris,
Traditur consilio
Iudae proditoris,
A Iudaeis capitur
Christus, rex honoris,
Vinculis constringitur
instar nefandorum.

9. Tradunt in consilium
pontificum Iudaei
Et condemnant, filium
cum se dixit Dei,
Maxima opprobria
irrogabant ei,
Turpi sputo maculant
formam faciei,
Regem caedunt alapis
per manus servorum.

10. Ad Pilati faciem
tandem praesentato
Barrbabas dimittitur
Iesu condemnato,
Herodis iudicium
subit a Pilato,
Ibique ludibrio
plurimo illato
Redit et percutitur
flagellis eorum.

11. Ut rex cinctus tunica
chlamydeque bona
Et pro diademate
spinea corona,
Pro sceptro arundine
data, post haec dona
Flectit genu ironice
gens ad malum prona,
Colaphizat, conspuit
regem angelorum.

12. Crucem ad Calvariam
portans oneratur,
Qua tensus expanditur,
tractus laniatur,
Manibus et pedibus
clavis perforatur,
Sic adfixus stipiti
dire sauciatur,
Factaque divisio
est vestimentorum.

13. Ad augmentum scandali
et confusionis
Christo vilem deputant
locum passionis,
Horam in meridie
crucifixionis,
Et in festo maximo
est bonus cum non bonis
Deputatus in medio
latronum duorum.

14. Cum sic ad spectaculum
esset crux evecta,
Adest lingua hostium,
insultat infecta,
Nec damnatus tacuit
latro causa recta;
Sitit Iesus omnia
videns iam perfecta,
Aceto potatus est
et felle eorum.

15. Dum horarum spatio
trium pependisset
Et exspirans spiritum
suum commisisset,
Cumque miles lancea
latus transfixisset,
Et sanguis continuus
et aqua fluxisset,
Sepelitur a Ioseph
more Iudaeorum.

16. Hic redempte cogita
homo, quis et qualis
Fuit, qui dum moritur,
terrae motus talis
Et solis obscuritas
erat generalis
Scissuraque lapidum
velique totalis,
Multaque surrexerunt
corpora sanctorum.

17. Compassa sunt omnia
suo creatori;
Eris ergo durior
petra duriori,
Si non sis compatiens
eius, qui sic mori
Pro te sponte voluit,
iungaris amori
Expurgatis vitiis
prius peccatorum.

18. Nam dicit: Vocaveram
vos, et renuistis,
Manum meam extendi,
et non aspexistis,
Omnia consilia
mea despexistis,
Et, dum in cruce paveram,
vos non curavistis,
Unde in interitu
ridebo vestrorum.

19. Nunc vide propheticum
in me adimpletum,
A iuventute pauperem
labore consuetum,
A planta ad verticem
plagis me repletum,
Felle mixtum in cruce
potasse acetum,
Damnatum turpissima
morte pessimorum.

20. Non mea, sed tua sum
culpa passus, homo,
Quia tu de vetito
comedisti pomo;
Si mihi respondeas
compassionis dono,
Dabo tibi vivere
patris mei domo,
Ut mecum in saecula
regnes saeculorum.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 7 et quot. — 6, 6 in domo. — 8, 3 Guttique sanguinei. — 8, 10 efandorum. — 11, 2 clademque. — 11, 7 Flecti. — 17, 8 iungeris. — 18, 9 interitum.

56. De Passione Domini.

1. Expurgator scelerum
Aeterni patris dextera
Descendit ad saucium
Ad sananda vulnera,
Adduxit in stabulum
Pietatis opera,
Vinum dans et oleum
Caritate supera.

2. Hic est noster proximus,
Genitus de virgine,
Pro nobis novissimus,
Rex in caeli culmine
Factus est humillimus,
Frixus in sartagine,
Nos raperet potentius
Hostium voragine.

3. Poenis se innexuit,
Ut nos a poenis solveret,
Saccum nostrum texuit,
Ut fallentem falleret,
Funera sustinuit,
Ut funus nostrum vinceret,
Carni se immiscuit,
Ut carne nos redimeret.

4. Pauper rex efficitur,
Ut pauper dives fieret,
Potens prelo premitur,
Ut impotens resurgeret,
Christus crucifigitur,
Ut homo caelum scanderet,
Sol eclipsim patitur,
Ut sidus lumen sumeret.

5. Sic sorti nostrae miserae
Contulit subsidia,
Duxit lapsos scelere
Ad caeli fastigia,
Mortis vivus asperae
Passus est fastidia,
Ut sanaret, viperae
Quos laeserat invidia.

6. O quam mira circa nos
Dei patris dilectio!
Ut salvaret servulos,
Non pepercit filio.
O summae potentiae
Quam miranda passio,
Condicionis miserae
Quam magna redemptio!

Collect. ms. Llantoniense (?) saec. 13. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 59. — 1, 4 Et duxerat in. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

57. De Passione Domini.

Virtus angelorum deluditur,
Caput honoris pungitur,
Vultus decoris spernitur,
Dextra vigoris foditur,
Laeva rigoris tunditur,
Gressus ductoris figitur,
Gustus saporis laeditur,
Latus pastoris scinditur,
Sponsus amoris moritur,
Fructus cruoris perditur.

Collect. ms. S. Iacobi in Insula Leodii saec. 13/14. Cod. Darmstadien. 2777. add. saec. 14. — Zwischen v. 5 und 6: Speculum sine macula deturpatur. Das Einschiebsel stört den Vers und den Gedanken.

58. Verba Crucifixi.

Dulcis amice, vides, pro te quos porto dolores,
  Nil pro me patior, immerito crucior.
Hic pro te fixus, toto sum corpore tensus,
  Crimina quippe tua sunt mea supplicia.
Quantumcunque potes, non cesses reddere grates,
  Nam meus iste dolor est tuus altus honor.

Collect. ms. Gemmeticense saec. 10. in. Cod. Rotomagen. 26 (A 292.) add. saec. 12. — 2 und 3 umgestellt; nach 4 folgt noch ein überzähliger Pentameter:

Amodo non moreris, vivere si mihi vis.

59. Planctus Christi patientis.

Respice, peccator, an non sim verus amator.
En, pro te morior, non est dilectio maior.
Respice, qui transis, cum sis mihi causa doloris,
Vulnere sto plenus, pro te nimis undique laesus.
Sic, homo, sto pro te; cum peccas, desine pro me.
Spinae, crux, clavi, mors, poena, quam toleravi,
Ostendunt, qua vi miserorum crimina lavi.

Collect. ms. Monasterii B. M. Vallis Pisii (Ord. Carth.) saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 349.

60. Laus crucis.

1. *Salve*, Christi crux praeclara,
Arbor astris pulchrior,
Facta reis ex amara
Mellis stilla dulcior,
Vitae nobis viam para,
Dux effecta gratior.

2. In te nobis summi ducis
Dulcescit memoria,
Qui conformans se caducis
Inter haec mortalia
Mediante scala crucis
Ad se traxit omnia.

3. *Salve*, scala, quam erexit
Inclinata deitas,
Cuius et nos non despexit
Despecta sublimitas,
Sed ad summa iam provexit
Caelum tangens summitas.

4. Qui per crucem triumphasti,
Crucis opem porrige,
Quos per carnem liberasti,
Carne pressos erige,
Et in viam, quam parasti,
Vitae cursum dirige.

5. *Salve*, signum et insignis
Vexillum victoriae,
Quod erectum a malignis
Pro voto malitiae
Piis praestat et benignis
Verae fructum veniae.

6. Corda potens expiare,
Purga cordis oculum
Cor invitans ad praecarae
Virtutis spectaculum,
Ut et nobis salutare
Sanctum sis signaculum.

7. *Salve*, cuius ad insigne
Columnae miraculum
Nunc in nube, nunc in igne
Praecedebat populum,
Sanctae crucis non indigne
Praesignans patibulum.

8. Ne nos fallant blanda viae
Neve frangant aspera,
Ut in nocte sic in die
Dirigens itinera,
Nos utrique, Iesu pie,
Tempori contempera.

9. *Salve*, vitae ferens fructum,
Vitis salutifera,
Cuius fructus non ad lu[c]tum,
Sed per lucis opera
Lapsum levat et seductum
Reducit ad supera.

10. Prosint nobis data gratis
Tua, Iesu, munera,
Prosit opus pietatis,
Prosit victrix dextera,
Summae regna claritatis
Dans post levae munera.

11. Salve, lignum, cuius Eva
Non seduci specie,
Sed laetatur a primaeva
Salvari mollitie
Temperata lege saeva
Letalis sententiae.

12. Salve, signum singulare
Salutis et gaudii,
Lignum, inquam, salutare
Singularis pretii,
Thronus, *sceptrum* et *altare*
Dei factum filii.

13. Salve, *thronus*, quem ascendit
Rex passurus gloriae,
Quibus pie condescendit,
Suae servos gratiae
Sub servili, quam praetendit,
Redempturus specie.

14. Salve, *sceptrum*, immortale
Disponens imperium,
Perquod Christus, dum mortale
Solvit domicilium,
Suis dedit aeternale
Regni participium.

15. Salve, clara crucis *ara*,
Rubens agni sanguine,
Quam sacravit, qui nos lavit
Ab antiquo crimine,
Qui per crucem nos ad lucem
Traxit a caligine.

16. Salve, crux, quam insignivit
Sui vultus lumine,
In qua semel obdormivit,
Qui natus de virgine
Semper regnat, semper vivit
Deus ens in homine.

17. Mons sublimis, mons provisus
A rerum primordio,
In quo nobis causa risus
Christi fuit passio,
Pro quo vervex est occisus,
Ut parcatur filio.

18. Salve, verae spes salutis,
Per quam fit redemptio,
Dum longaevae servitutis
Abiecto dominio
Suo servum rex virtutis
Sublimat imperio.

19. Per te nostra sint accepta
Christo sacrificia,
Morte cuius intercepta
Mortis sunt imperia,
Prosit, precor, et accepta
Salutaris hostia.

20. Cor expurgans a peccatis
Omnique spurcitia
Post eructae vanitatis
Lapsus et ludibria
Nos ad regnum claritatis
Crux reducat praevia.

Collectan. ms. Cirencestrense saec. 13. Cod. Parisin. 11867.

61. De Sancta Cruce.

Forma crucis sanctae tibi retro semper et ante;
Sit crux in corde, crux corpore, crux sit in ore;
Crux tibi sit redolens et dulci plena sapore;
Crux lumen vultus, tibi sit crux gloria virtus;
Crux oculis coram tibi sit nec desit ad horam;
Crux manibus detur, crux auribus associetur;
Intus et exterius tibi semper et undique sit crux;
Crux tibi sit saltem vicibus meditatio septem;
Sit tibi sermo crucis quasi fons et copia lucis;
In cruce sacrata tibi sit data vita beata.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605).

62. De Passione et Cruce Domini.

Talis es et tanta, crucifixi passio sancta,
Quod de te fari, nunc scribere, nunc meditari,
Qui tibi sunt cari, nunquam debent satiari.
Tu vitam donas cunctis, quos ipsa coronas,
Et regis et munis, pascis, quos dulciter unis.

Vulnera nos satiant, quibus et charismata manant,
Nos Christi sanguis mundat, quo vincitur anguis.
Morte datur vita super omnia dona cupita,
Crux vitae clavis et odoris plena suavis,
Passio divina mortalibus est medicina.
Haec sunt vera bona, nimium dulcissima dona.
Vos precor, o fratres, in cordibus hoc teneatis,
Hoc pensate diu, vigilantes hoc studeatis;
Istud dulce nimis studium cor tollit ab imis.
Fratrum nostrorum studium decet esse Minorum
In cruce praecipue, crucifixi sanguine, morte,
In quibus est animae iucunda refectio sanctae
Et via virtutis, spes nostra certa salutis.
Crux salvatoris est Fratris vita Minoris,
Intus plena, foris nimium caelestis amoris
Ista suis loris hominis dux interioris,
Regula fit moris, operis, sermonis et oris.
Hic est ordo crucis, qui ducit ad atria lucis,
Qui regit et servat, Domino sine fine gubernat.
In cruce fundatus noster fuit ordo beatus,
In cruce fulgebit, perfecte dum remanebit.
Noster Franciscus, crucifixi dulcis amicus,
In cruce se fixit, studuit, dum corpore vixit;
In cruce pugnavit, inimicos dum superavit,
Corpus prostravit, cruce mundum suppeditavit,
Rite laboravit, quoniam super hoc vigilavit.
Frater, dum vivis, crucifixum semper honora,
In cruce vulneribus studeas, meditando labora,
Qualia sit passus, memor esto qualibet hora,
Qui mala sustinuit pro te nimium graviora,
Quam sint, quae pateris, et longe deteriora.
Tunc patienter agis, si Christi sanguine, plagis
Cor tibi munire studeas, accendere mire.
Sit tibi plagarum studium super omnia carum,
Et crucis et mortis tibi sit meditatio fortis.
Passio cor pungat, aspersio sanguinis ungat,
His delecteris et gaudens haec mediteris.
Nitere tu de morte Iesu portare dolorem,
In cruce gaude, fortiter aude ferre laborem,
Tu crucifixi sanguine Christi mundificatus
Ista sequaris, ne verearis flere reatus.
Eximium crucis hoc studium flos est studiorum,
Quod valide, sapide, cupide cor pascit eorum,
Qui cupiunt, sitiunt, veniunt ad regna polorum.
O mi, Francisce, pater inclite, dux crucifixe,
Te precor obnixe, mihi cordi stigmata misce,
In cruce fervere, fac me cor semper habere,

In cruce me stare facias, ardenter amare,
Me cruce laetari facias et te comitari,
Ut valeam vere Domino sine fine placere.
O mi Christe Iesu, mea spes et lux oculorum,
O mi dulcis amor, requies et vita bonorum,
O dulcedo mea, cunctorum plena saporum,
O, qui pro nobis amor es crucifixus amorum,
Tu me sanctorum numero coniunge tuorum,
In medio quorum resplendet vita Minorum.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605).

63. De Cruce Domini.

1. Triumphale lignum crucis,
Tu nos seductos reducis
Ad superna gaudia,
Portas pandis verae lucis,
Claudis fauces hostis trucis
Divina potentia.

2. Te adoro propter illum,
Qui per te gregem pusillum
Reduxit ad patriam,
Confringens per hoc vexillum
Mortis vectes et sigillum,
Signans infernalia.

Orat. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. XIII H 3a.

64. De Sancta Cruce.

1. O crux, ave, spes unica,
Arbor salve suavissima,
Quam Christus sua gratia
Morte dicavit propria.

2. Te sacra Christi passio
Et sanguinis effusio
Colendam omni populo
Consecravit in saeculo.

3. Ad cuius nunc memoriam
Et passionis gloriam
Te adoro, te veneror,
Per te salvari deprecor.

4. Sis mea tu protectio
Et in cunctis defensio,
Me intus et exterius
Conserves horis omnibus.

5. A maligno me protege,
Crux alma, omni tempore,
Cum insurgit temptatio,
Sis mea liberatio.

6. In adversis refugium,
Contra hostes subsidium,
Contra Satanae iaculum
Tu mihi sis obstaculum.

7. Tua potens tuitio
Me purget omni vitio
. . . .
. . . .

8. O crux, tuum signaculum
Sit mihi propugnaculum
Et motibus illicitis
Et actu turpitudinis.

9. Contra omne periculum
Crux mihi sit umbraculum,
Ab aestu libitudinis
Conservet arcem pectoris.

10. Ne turpis cogitatio
Aut carnis delectatio
Ad consensum me pertrahat,
Crux semper me custodiat.

Miss. et Brev. ms. Coronense saec. 14. Cod. Vatican. 4757. — 4, 2 Et fehlt. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

65. De Sancta Cruce.

1. O crux, ave, sanctissima,
Spes nostra nobilissima,
Salus mundi verissima,
Omni laude dignissima.

2. In te Iesus dulcissimus
Pependit suavissimus,
Rex noster invictissimus,
Per quem salvari credimus.

3. Qui te portare voluit
Et pendens in te doluit,
Cuius amor apparuit,
Pro nobis dum occubuit.

4. O crux plena dulcedinis
Et summae pulchritudinis,
Aspersione sanguinis
Inebria cor hominis.

5. Qui te laudare nititur
Et dulciter amplectitur,
Beatus, qui te sequitur,
Donec vivit et moritur.

6. O crux sole splendidior,
Omni melle suavior,
Tu es auro praeclarior
Et balsamo fragrantior.

7. O bona crux, amabilis,
In cunctis venerabilis,
Tu es thesaurus nobilis
Et portus delectabilis.

8. Tu es vexillum gloriae,
Per quam fiunt victoriae,
Tu clavus domus regiae,
Porta caelestis curiae.

9. Sub hoc vexillo maneant
Fideles, ut non pereant,
Crucis amici gaudeant,
Vitam aeternam habeant.

10. In umbra huius arboris
Salus mentis et corporis
Paxque donatur pectoris,
Fluctus pacantur aequoris.

11. In te latent deliciae
Et speculum munditiae,
Per te donantur gratiae
Cunctis, qui sunt in acie.

12. In te decor et gaudium,
Sapor et odor cordium,
Piae mentis solacium
Et dulce refrigerium.

13. Tuus amor eximius
Nos satiet interius,
Nihil sit nobis dulcius
Quam crucifixus filius.

14. Amor tuus nos capiat,
Introrsum qui nos rapiat
Et exsultare faciat,
Donec Iesus adveniat.

15. O crux, nostra salvatio,
Iustorum consolatio,
Esto nobis protectio,
Lux cordis et refectio.

16. O crux, vera laetitia,
Plena caelesti gratia,
Per te simus in patria,
Qui stamus in miseria.

17. In hora nostri obitus,
In qua exibit spiritus,
Adversus hostis impetus
Tuere nos divinitus.

18. Sit crucifixo gloria,
Quem benedicant omnia,
Sibi virtus, imperia,
Clara laudum praeconia.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897(605). — Eine kürzere Form des Liedes XXIII, 29.

66. De Sancta Cruce.

1. Maximum solacium
animi languentis,
Suspirantis, avidi,
Christum sitientis
Sitis in gemitibus
multis et lamentis,
Est in cruce Domini
mundum redimentis.

2. Crux est, in qua pascua
sunt deliciarum,
Virtus et amoenitas,
cibus animarum,
Innumerabilium
dona gratiarum,
Quae per cuncta redolent
climata terrarum.

3. Splendor indeficiens,
claritas divina,
Regula iustitiae,
vitae disciplina
Et nostrorum vulnerum
dulcis medicina,
Per quam omnes liberi
simus a ruina.

4. Crux est odorifera,
plena gaudiorum,
Scala perfectissima,
portus electorum,
Hic fons est caelestium
desideriorum,
Fervor et incendium
cordium iustorum.

5. Est in cruce Domini
gloria decoris,
Copia dulcedinis,
initium saporis,
Poculum inebrians,
stimulus amoris
Et evacuatio
planctus et macroris.

6. Mentium iucunditas,
requies secura.
Pax interminabilis,
pulchritudo pura,
Per crucem acquiritur
gloria secura,
Crucis amatoribus
nunquam peritura.

7. In cruce cibaria
sunt mansuetorum,
Tota spes fidelium,
clara lux caecorum
Et claudorum baculus,
census egenorum,
Firmitas debilium,
salus infirmorum.

8. Crux est pavor daemonum
et morsus inferni,
Per quam fluxit radius
luminis aeterni,
Regis invictissimi
gratia superni,
Utinam hoc videant
homines moderni.

9. Crucis beneficium
debet plus amari,
Recoli frequentius
et desiderari,
Nec deberent homines
unquam satiari
Crucifixo Domino
recte famulari.

10. Crucis beneficio
sumus liberati,
Qui eramus perditi
atque maculati,
Modo sumus roseo
sanguine mundati,
Patri clementissimo
reconciliati.

11. Doleo, quod homines
plures hoc ignorant,
Qui nec crucem diligunt
nec crucem honorant
Nec in cruce Domini
student nec laborant,
Ideo post obitum
in inferno plorant.

12. Crucis desiderio
corda sint ignita,
In qua nostra iacuit
et pependit vita,
Iesus, amor omnium,
salus infinita,
Per quem sunt et saecula
cuncta stabilita.

13. Christianus quilibet
sit in cruce totus,
Cum sit ibi sanguine
pretioso lotus.
Cruci semper cupiat
vivere devotus,
In caelesti curia
si vult esse notus.

14. Omnis homo studeat
crucem revereri
Crucifixi nobilis,
amatoris veri,
Si vult in caelestibus
maximus haberi
Et beatam faciem
eius intueri.

15. Vulnera remedium
sunt nostri languoris,
Haec pretiosissimi
vasa sunt liquoris,
Terminus exsilii,
requies laboris,
Ibi sapor hominis
est interioris.

16. Felix, qui vulneribus
istis vulneratur,
Pretioso sanguine
Domini potatur,
Pascitur, afficitur
et inebriatur,
Gaudet mirabiliter
atque iucundatur.

17. O suave vasculum,
redolens unguentum,
Sanguis, qui languentium
es medicamentum,
Da virtutum omnium
nobis incrementum,
Cordium solacium
et delectamentum.

18. O pretiosissime
sanguis salutaris,
Sanguis, qui virtutibus
cunctis dominaris,
Nos a cunctis hostibus
semper tuearis,
Angelorum coetibus
iunge nos praeclaris.

19. O crux admirabilis,
dulcis et amoena,
Celebris hominibus,
caritate plena,
Per te nostri criminis
fracta est catena,
Ut salvemur penitus
ab aeterna poena.

Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897(605). — 9, 5 Nec debent. — 14, 4 amatores. — 16, 5 efficitur. — 19, 6 fracta sunt.

67. In Resurrectione Domini.

1. Pascha novum celebrate
Novo genere carminum,
Zima vetus expurgate,
Rex, mediator hominum,
Homo regnare fatetur
Te lucis ante terminum.

2. Agnum Iudaea seducit,
Cum Ioseph vendunt invidi,
Suos Ioseph introducit,
Quo nunquam intrant perfidi,
Nam stricta via, quae ducit
Ad cenam agni providi.

3. Fulget novum testamentum,
Ioseph exit de carcere,
Implet Christus sacramentum,
Quem mulieres ungere
Veniunt ad monumentum
Iam lucis orto sidere.

4. Florem meriti deflorant
Iniquitatis scelera,
Iustum prodere laborant,
Et tu, Iudaea misera,
Illum cur tradis, adorant
Quem terra, pontus, sidera?

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Oxonien. Bodl. Can. Miscell. 95. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister. Vielleicht auch Cantio.

68. Salutatio Corporis Christi.

1. Ave, sub panis specie
Te relinquens ecclesiae,
Hoc mirandum sacramentum
Tuum fuit testamentum.

2. Panis formam intuemur,
Sed sub formis confitemur
Carnem iunctam deitati,
Deitatem parvitati.

3. Panis transit substantia,
Sed manent accidentia;
O miranda potentia!
Sed non minor est gratia.

4. Quod ille, qui sic potuit,
Ita fieri voluit,
Hinc fides et dilectio
Crescit atque devotio.

5. Nam dum de te nos satias,
Corde tibi nos socias,
Sanguis tuus vere potus,
Caro tua vere cibus.

6. Hoc fidelis ac devotus
Percipit, infidelibus
Calicis huius potio
Non salus, sed damnatio,

7. Bonis culpae purgatio,
Animarum refectio.
O creatoris dignitas!
Quanta, qualis humilitas!

8. Qui tuis sanctis manibus
Discipulis cenantibus
Prostratus pedes abluis,
Tu qui superbos respuis,

9. Formam praetendens humilem,
Ad te placandum utilem,
Te tradit Iudas osculo
Et pro vili munusculo.

Collect. ms. S. Mariae Vallis Pisii saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 349.

69. Salutatio Corporis Christi.

1. Ave verbum incarnatum,
De supernis nobis datum,
In altari consecratum,
Pro salute mundi natum.

2. Incarnatum verbum Dei,
Miserere, precor, mei,
Tu me iunge semper ei,
Ne insurgant in me rei.

3. Tu de caelis descendisti,
Salus mundi advenisti
Et latroni pepercisti,
Parce mihi, corpus Christi.

4. Novi calix testamenti,
Magni factor elementi,
Cum virtute vescimenti
Esto fixus meae menti.

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Capit. Veronen. 823 (819). — 4, 3 vestimenti? — Nach 4, 4 Per tuam misericordiam. —

70. De Corpore Christi.

1. O quantae perfectionis
Est vis huius actionis,
Cum sub manibus humanis
Fit divina caro panis,
Et dignatur attrectari
Ipse Christus in altari
Factus eucharistia!

2. O mirandam novitatem,
Cum per verbi potestatem
Formae manent et figurae,
Sed vertuntur creaturae!
Nam nec panis neque vinum
Est hic post verbum divinum,
Sed Christi praesentia.

3. Audi formam novitatis,
Plenam tamen bonitatis,
Panis fit id, quod non erat,
Et non fit nisi, quod erat;
Hic conversio formalis
Non est, sed substantialis,
Nec crevit substantia.

4. [Non est hic] sensus sed fides,
Est, quod credis, non, quod vides,
Etsi corpus est, quod tangis,
Non est tamen hoc, quod frangis;
Nam si perfert tuum tactum,
Nequit tamen esse fractum
Nec pati mortalia.

5. Quis ergo digne miretur,
Cum hoc sacrum celebretur,
Posse quemquam operari,
Quod nec valet cogitari;
Vincit enim omnem sensum
Per mysterium immensum
Illa pacis hostia.

6. Res plena summae virtutis
Est mysterium salutis,
Ibi nuntius caelestis
Est adiutor atque testis
Et sacerdos ipse Deus,
Licet sit minister reus
Implens ministeria.

Orat. ms. Iohannis de Loprzticz saec. 15. Cod. Altovaden. 90.

71. De Corpore Christi.

1. Tu sacerdos altissime,
Pontifex quoque maxime,
Homo Deus verissimus,
Terrae caelique Dominus.

2. In caeli regnans culmine
Caput et princeps maxime,
Pater et frater generis
Nostri, dans vitam mortuis.

3. Tu viva placens hostia,
Immaculata, placita,
Perfecta sine macula,
Verissima, vivifica.

4. Pro vita nostri generis
Oblatus crucis brachiis
Aeterno patri luminum
Nos pascas in perpetuum.

5. Ad crucis tu patibulum
Patri fecisti debitum,
Et ideo cum gloria
Es exaltatus maxima.

6. Caritatis indicium
Ante crucis supplicium
Monstrabas, Iesu, miseris
Te dando cibum mortuis.

7. Dono carnis et sanguinis
Salus es factus miseris,
Conclusis benedictio,
Exsulibus reductio.

8. Hoc me cibo custodias
Et benedicas, protegas
Ab omnibus periculis
Et animae et corporis.

9. Per hunc, Iesu dulcissime,
Me fac consortem gratiae,
Per hunc in tuo lumine
Me fac consortem gloriae.

10. Tibi pro dono maximo
Sit gratiarum actio,
Laus, virtus, iubilatio,
Aeterna gloriatio.

Orat. ms. Pollingense anni 1505. Clm. Monacen. 11922. — 2, 2 et fehlt. — 3, 2 placida. — 4, 3 luminis. — 4, 4 pacas. — 7, 1 Dono corporis et.

72. De Corpore Christi.

1. Nunc amoris indicia
Christi pangamus inclita,
Quo sic se ipsum tradidit
In cibum pro famelicis.

2. Tua, Iesu, praeconia
Et inaudita munera
Affectu semper debito
Da promere cum iubilo.

3. Quae te vicit tunc caritas,
Te ipsum cum tradideras
In mortem et in pascua,
Quibus nulla sunt merita?

4. Tu patri sacrificium
Amoris per incendium
Oblatus saluberrime
Ara crucis acerrimae.

5. Hac hostia mundissima
Mundi cuncta peccamina
Tulisti per opprobria,
Per mortem, per supplicia.

6. Caritatis dulcedine
Tuo nos lavas sanguine,
Patri nos pacas dulciter,
Prorsus ineffabiliter.

7. Te per cruorem roseum,
Nostrae salutis pretium,
Precor, ut mente debita
Tua tractem mysteria.

8. Per tuam, Iesu, gratiam
Fac me per fidem debitam
Affectu ardentissimo
Huic me dare mysterio.

9. Da cogitare placita
Et facere gratissima,
Ut mundus corde, corpore
Te sumam, o dulcissime.

10. Tanti fructu mysterii
Virtuteque paracliti
Custodis et angelici
Dona munimen animae.

Orat. ms. Pollingense anni 1501. Clm. Monacen. 11 922. — 4, 4 Et ara crucis. — 9, 3 corde et corpore.

DE BEATA MARIA V.

73. De Nomine BMV.

1. Ave, gemma pudicitiae,
Maria conregnatrix gloriae,
Hoc nomen praestat ceteris
Quinque formatum literis.

2. Te magnam prima litera,
Almam praesignat altera,
Tertiaque te regnantem,
Quarta vero imperantem,
Quinta te agnam nuntiat,
Agnam, quae labem nesciat.

3. O virgo, mater Domini,
Tuo beato nomini
Nostra subscribe nomina
In libri vitae pagina.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 3 que fehlt.

74. Ad singula membra B. Mariae V.

1. Benedicta, omnibus
Per quam mulieribus
Datur benedictio,
Laudent te per omnia
Omnium praeconia
Laudum privilegio.

2. Benedicta maxime
Virginalis animae
Singularis puritas,
Cuius in palatio
Parat Dei filio
Mansionem trinitas.

3. Benedicta castitas
Carnis, ex qua deitas
Nascitur in homine,
Quem tu, virgo, generas
Et, quod primo noveras,
Non perit in virgine.

4. Benedicta, gaudium
Comprehendens omnium,
Fidelis auricula,
Quod credendo concipis,
Dum caelestis suscipis
Nuntii oraculum.

5. Benedicta viscera,
Contra iuris foedera
Sancto feta spiritu,
Dei patris filium
Quae per trium mensium
Baiulant circuitu.

6. Benedicta pariens
Ventris nec aperiens
Virginale ostium,
Sicut sol non aperit
Vitrum, quando exserit
Ab introrsum radium.

7. Benedicta genua,
Quibus vitae ianua
Vagiens excipitur,
Et quae pondus sustinent,
Quod caeli non continent,
Quod mundo non capitur.

8. Benedicti oculi,
Quibus regem saeculi,
Mater pura, respicis,
Eius contemplatio
Omni plena gaudio
Vultibus angelicis.

9. Benedictae genulae,
Quae ad illam sedule
Se astringunt faciem,
Cuius visu omnium
Obtutus caelestium
Nullam capit satiem.

10. Benedicta labia
Super favum dulcia
Dei sapientiae,
Quorum gaudet osculis
Promissus a saeculis
Dilectus ecclesiae.

11. Benedictum caelitus
Collum, quod humanitus
Amplexantur brachia
Partes mundi superas
Pariter et inferas
In se continentia.

12. Benedicta ubera,
Lacte quorum tenera
Eius aetas alitur,
Qui digne sumentibus
Cibus est credentibus
Nec sumptus consumitur.

13. Benedictus gremii
Locus Dei filii
Digna facta sessio,
Qui simul caelestibus
Praesidet spiritibus
Et fovetur gremio.

14. Benedictum lectuli
Vice caput parvuli
Refovens pectusculum,
Cum vel somnus capitur,
Vel dum mamma sumitur
Sacri lactis poculum.

15. Benedicta brachia,
Quibus portans omnia
Portitari voluit;
Simeon hoc gaudio
Semel fretus taedio
Usum vitae habuit.

16. Benedicta manuum
Dignitas, qui actuum
Diversorum baiula
Coaptant panniculos,
Qui credentes populos
Purgant culpae macula.

17. Benedicta capitis
Species, in abditis
Semper gaudens occuli,
Non videri gestiens,
Sed videre fugiens
Omnem pompam saeculi.

18. Benedictus gressuum
Motus, se ad arduum
Semper iter dirigens
Atque in custodia
Lapsus omnis nescia
Viam suam corrigens.

19. **Benedictus vestium**
Decor virginalium
Minime superfluus
Atque alimoniae
Tenor, sanctimoniae
Virginali congruus.

20. Benedicta omnibus
Benedictionibus,
Virgo plena gratia,
Tua benedictio
Nostra sit protectio
Virtus et victoria.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

75. Ad Dominam nostram sanctam Mariam sedentem in throno.

1. Gaude, regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Quae in vestitu candido,
Omniformi et fulgido,
Sola fulges in solio
Sedens imperatorio.

Ad pedes.

2. Gaude, cuius pedibus
Affectuosis cordibus
Devoti prosternuntur,
Quos piis lustrant oculis
Et caris premunt osculis
Et corde complectuntur.

Ad calciamenta.

3. Quam pulchra es in calciis,
O nata summi principis,
Superbiae calcatrix;
Hic nostris desideriis
Tu faves nosque recipis,
Humilium amatrix.

4. Gaude, gaude, plus quam sancta,
Quae sub tua tenes planta
Draconis caput horridum,
Non permittas, ut respiret
Nec se quidem ut regiret,
Sed hostem preme rabidum.

Ad dexteram.

5. Gaude, ad cuius dexteram
Recurrunt salutiferam,
Qui lassi ad te veniunt,
Qui te amare cupiunt;
Qui ave per articulos
Depromunt tibi singulos,
Adponunt gemmas annulis,
Dum mulcent manum osculis.

Item.

6. Manus haec in manu mea,
Tota mea spes in ea,
O amplectenda dextera,
Defende me et libera.
Ave dicam hic frequenter,
Tu ausculta diligenter,
Attende, audi auribus,
Quod tuis addo laudibus;
Ut te salutem dulcius,
Morabor hic diutius.

Ad digitos.

7. Gaude, cuius digitos
Auro, gemmis inclitos,
Dinumero cum osculis,
Aponens ave singulis.

Ad brachium.

8. Gaude, cuius sub brachio
Reversis de naufragio
Iucundum est pausare,
Sub tam pio regimine
Pro tuo dulci nomine
Da nobis accubare.

Ad ornamenta.

9. Gaude, quam Deus annulis
Ornavit et muraenulis,
Armilla, dextrochirio,
Torque, monili regio.

Ad genua.

10. Gaude, in cuius genibus
In membris infantilibus
Deus homo sedit,
Huc ardenter properat,
Quisquis te desiderat,
Cito non recedit;
Devotos hic ad famulos
Maternos flectis oculos,
Dexteram praetendis,
Ut te totam habeant,
De cetero ne pereant,
Te totam impendis.

Ad sinum.

11. Gaude, mater orphanorum,
Vera nutrix parvulorum,
Quos lacte nutris gratiae,
Sinu foves clementiae.

Ad ventrem.

12. Gaude, quae Dei filium
Tuam per carnem proprium
Ventris portasti thalamo,
Lactis potasti balsamo.

Item.

13. Fac ad nostri solacium
Dilectum tui uteri
Nostrorum semper cordium
Totis medullis inseri.

Ad gremium.

14. Gaude, quae pio filio
In virginali gremio
Dulcem infigens oculum
Suave dedisti osculum.

15. Gaude, quae verum amicum,
Fontem amoris unicum,
Frequentasti amplexibus,
Amorem redolentibus.

16. Ergo gaude plus quam multum,
Et dilecti vide vultum
Singulari gratia,
Amplexantem amplexare,
Osculantem osculare
Perenni concordia.

Ad pectus.

17. Gaude, in cuius pectore
Quiescit omni tempore
Pax, pietas et bonitas,
Iucunditas, tranquillitas
Et suavitas et sanitas
Et caritas, sinceritas
Et veritas, securitas
Et puritas et bonitas;
Dum repausat in tam pio
Lassus reclinatorio,
Haurit gustum dulcedinis,
Levamen lassitudinis.

Item.

18. Gaude, cuius supra pectus
Tuus pausat praedilectus,
Quo nihil unquam suavius,
Nil dulcius, nil carius.

Ad ubera.

19. Gaude, cuius uberibus
Super vinum fraglantibus
Melliti manant rivuli,
Quibus potantur parvuli.

Ad Cor.

20. Gaude, clara et insignis,
Cuius flagrat cor ut ignis,
Quod coaptat se indignis
Nec recedit a benignis,
Docens amare fortiter.

Virgo lenis atque laeta,
Noster amor, spes et meta,
Nostra corda locupleta,
Ut amore tuo freta
Cor tuum tangant dulciter.

Item.

21. Gaude, lucis filia,
De tui cordis phiala
Propina nobis hodie
Saporem dulcis gratiae,
Qui nostra tangat intima,
Quo nostra fraglat anima.

22. Pincerna sancti spiritus,
Nos irriga medullitus,
Ut corde plus quam ebrio
Flagrantes desiderio
Clamemus: Modo sufficit,
Cor enim nostrum deficit.

23. Gaude, mater vere bona,
Parvulorum tu patrona,
Quos amoris dulci nexu
Cordis tui sub complexu
Tenes nimis tenere.
Vivas, vivas semper clamant
Ad cor tuum, qui te amant;
Ave, ave non quiescit,
Gaude, gaude modum nescit,
Te totam da pro munere.

24. Rosa cordis, aperire,
Cuius odor fraglat mire,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare,
Infer tuum infra sinum,
Ubi tibi sit vicinum,
Ut vix se ipsum capiat.
Hic repauset, hic moretur,
Ecce, iam post te movetur,
Te ardenter vult sitire,
Vult patenter introire;
Noli, noli contraire,
Debes ei consentire,
Ut bene de te sentiat.

Ad collum.

25. Collum tuum nobile,
Nobis tam flexibile,
Candens innocentia
Lac superat et lilia.

Ad mentum.

26. Gaude, gaude, cuius mentum
Est amoris blandimentum,
In quo floret bonitas,
Cuius os est verecundum
Et ut rosa rubicundum,
In quo ridet caritas.

Ad labia.

27. Gaude, cuius sunt labia
Plus favo mellis suavia,
Cuius lingua est eucharis,
Vincens dulcorem nectaris.

Ad nares.

28. Gaude, gaude, cuius nares
Suavitates singulares
Spirant cum fragrantia,
Odor tuus odor suavis,
Nulli gravis nisi pravis,
Quo pia mens fit ebria.

Ad genas.

29. Gaude, cuius Christus genas,
Venustatis flore plenas,
Amoris pressit osculo;
Bene menti te quaerenti,
Quae te sentit in praesenti
In pectoris cubiculo.

Ad supercilia.

30. Gaude, quae supercilia
Semper habes stellantia.
Cuius resplendent palpebrae,
Quas nullae claudunt tenebrae.

Ad oculos.

31. Gaude, cuius sunt oculi
Lucentes ut carbunculi,
Pleni misericordia,
Quibus nos, o mater pia,
Affectuose respicis,
Saluti nostrae prospicis.

Ad faciem.

32. Fons et genae verecundae,
Instar rosae rubicundae,
Luce tuae faciei
Cedit lux meridiei.

Ad aures.

33. Gaude, in cuius auribus
Organicis carminibus
Vox concrepat angelica
Et omnis caeli musica,
Ad laudem et ad omnia
Tu dulcis es materia.

34. Gaude, suavis harmonia,
Nova caeli melodia
Organizans in camenis,
Praeis omnes cantilenis.

35. O sanctorum philomena,
Gaude, plaude, laude plena,
Quae tanto canis clarius,
Quanto laetaris amplius.

Ad caput.

36. Gaude, cuius caput cingit,
Et decoras comas stringit
Ornamentum virginale,
Quod est tuum speciale.

Ad coronam.

37. Gaude, in cuius capite
Distincta miro lapide
Corona lucet aurea,
Quam vestit lux aetherea;
Quam vere hi perficiunt,
Qui te ex corde sitiunt,
Qui te amantes sentiunt
Et curam carnis nesciunt.

Ad corpus et animam.

38. Gaude, virgo dulcissima,
Cuius corpus et anima
Singulare miraculum,
Miraculorum speculum.

39. O speculum munditiae,
Mundis infulgens cordibus,
Vas summae excellentiae,
Gemmis ornatum omnibus.

40. O angelorum gloria,
Laus, honor et laetitia,
O inclite flos virginum,
O mediatrix hominum.
Gaude, quae plenitudine
Decoris stolae geminae,
Tam corporis quam animae,
Ornata es pulcherrime.

Orat. ms. Franciscan. saec. 14. in. (Privatbesitz). — 3, 4 sq. Hic nostris faves desideriis nosque. Tu fehlt. — 4, 1 Gaude, plus quam sancta, gaude. — 17, 9 puritas, bonitas. — 3, 1 cuius oculi sunt. — 35, 2 laude fehlt. — Das Lied enthält eine ganze Reihe von Entlehnungen. So ist 1, 1—2 entlehnt aus Anal. XXX, S. 129, Str. 8; Str. 11 = XXX, 130, Str. 26; Str. 12 = XXX, 136, Str. 2; Str. 13 = XXIII, Nr. 54. 1. Vesp. R. 7—10; Str. 14 = XXX, 136 Str. 4; Str. 15 = XXX, 136, Str. 3; Str. 16 = XXX, 131, Str. 9; Str. 24 aus einem Liede, das zu Mone Nr. 126 gehört; Str. 38 = XXX, 129, Str. 9. Dies legt den Gedanken nahe, dafs das Ganze lediglich ein Cento sei.

76. De Annuntiatione B.M.V.

1. Fortis ut mors dilectio,
Qua durum fit suave;
Ut sancta refert lectio,
Nil est amanti grave.
Amor nos traxit a vae,
Dum de caelesti solio
Fit Gabrielis missio
In virgnis conclave.
O felix, inquit, ave,
In te fiet conceptio,
Sed non pudoris laesio,
Tu tantum Deo fave.

2. Auditis his obstupuit
Puella Deo grata
Et, ut pudicam decuit,
Silebat salutata;
Ne fieret turbata,
Mox angelus retexuit,
Modum partus exposuit,
Quod foret illibata.
Qua serie prolata
Ara caelestis claruit,
Dum virgo verbo paruit
Et mansit impraegnata.

3. Archangelus regreditur,
Qui venit haec narrare,
Et gravida relinquitur
Puella sine pare.
O decus singulare!
Virgo mater efficitur,
Creator est, qui gignitur
Et Dei salutare.
O pectus puellare,
Thesaurus in te tegitur,
Virtute cuius regitur
Caelum, tellus et mare.

4. agna sunt haec miracula,
Quae manant ex amore;
Amoris ardet facula
Nec uritur ardore.
De Gabrielis ore
Dum virgo sumit verbula,
Frondescit Aaron virgula
Omni carens humore,
Et vellus madet rore,
Nec terram tangit stillula,
Cum virgo sine macula
Meretur mater fore.

5. Mira matris integritas
In ventre Deum vexit,
Ut solio divinitas
Portantem se protexit,
Pro nobis se despexit
Vera Dei sublimitas,
Dum infirmatur sanitas,
Quae mori non neglexit;
Sed, quando resurrexit,
Vera patebat deitas,
Et sic probatur caritas,
Qua Deus nos dilexit.

6. O domina dulcissima,
Vultu nitens decoro,
O mater clementissima,
Virili carens thoro,
Te postulans exoro,
Ut, quae feci, nequissima
Pellantur et turpissima,
Ne daemon trahat loro;
Condonans, quod ignoro,
Ad gaudia clarissima
Nos transfer, beatissima,
Ducensque caeli choro.

7. O mater humilitatis,
In qua Deus incarnatur,
Pulchra et admirabilis,
Cui nulla comparatur,
Gaude, nam tuis brachiis
Divina virtus portatur

Foveturque obsequiis
  Atque mamilla lactatur,
Tuis favet imperiis
  Nec non precibus placatur;
Impetra nobis miseris,
  Ut mox ad te dirigatur
Spiritus et his gaudiis
  In sempiternum fruatur,
Et populus incredulus
  Ad Iesum per te convertatur.

Collect. ms. Carmeli Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 306. — 2, 8 Quo floret. — 5, 3 Ut solis. — 5, 4 te. — 6, 6 Ne quae. — Str. 7 scheint — Inhalt und Form legen dies gleichmäſsig nahe — kaum zu vorstehendem Liede zu gehören.

77. Salutatio Angeli ad Mariam.

1. Ave, plena gratia,
  Virgo, vas honoris,
Audi verba nuntia
  Iucundi rumoris,
Pro tua munditia
  Me venisse noris
In mundum superis
  assumptus missus ab oris;
Qui caelum terramque simul
  formavit et aequor,
Ad te me misit;
  iussa paterna sequor.

2. Ista salutatio,
  Novo facta more,
Quae, unde sit nescio,
  Me replet stupore,
Pectus meum sentio
  Moveri timore,
Non ego sperabam
  sic adeunda fore.
Ista salubria tu
  quo defers verba paratu,
Obstupeo mentis
  deficiente statu.

3. O speciosissima,
  Depone timorem
Vanaque non aestima,
  Quam denuntio, rem,
Tu es coniunctissima
  Deo per amorem,
Te Deus elegit,
  vas nobile, vas in honorem;
Convenit, ut terris
  caelestia numina places,
Cunctis praeferris
  sola Deoque places.

4. Miror totis sensibus
  Te tanta virtute
Loqui de caelestibus
  Mihi constitutae
In mundi laboribus
  Atque servitute;
Non ego digna fui
  tali tantaque salute,
Unam de minimis
  me video, vertor in imis;
Vox tua sublimis
  facta iocosa nimis.

5. Maria, sis istius
promissi secura,
Erit tibi filius
stupente natura,
Prius et posterius
virgo permansura,
Concipies puerum
miro partu paritura;
Naturae tu ius
violans gravis efficieris,
Illius, es cuius
filia, mater eris.

6. Quali modo, nescio,
Venter prolem fundat,
Quem carnalis actio
Viri non fecundat,
Sine exercitio
Terra non fructum dat,
Semen ubi non est,
fructus non inde redundat,
Deficit effectus
sibi causa deficiente,
Illeque defectus
fit rerum lege manente.

7. O Maria, dubium
Cor habere desine,
Concipies filium
Sine viri semine,
Tale puerperium
Dabit suo numine,
Cui tres personae,
tria nomina sunt sine fine;
Qui, quia te reperit
fragrantem plus cinnamomo,
In tua se clausit
viscera factus homo.

8. In his, quae tu asseris,
Toto corde gaudeo,
Venisse a superis
Nunc te vere video,
Scio, quidquid dixeris
De partu virgineo,
Credo nam facile
omnia posse Deo.
Si dubitasse vides
me, veniam mihi des;
Tarda solet magnis
rebus inesse fides.

9. Olim qui aridulam
Virgam fecundavit,
Elisabeth vetulam
Qui nunc impraegnavit,
Te pudoris cellulam
Sibi praeparavit,
Virgo decora nimis, David de semine regis.
Vas, virgo, veniae, missum tibi suscipe Deum,
Solem iustitiae, regem paritura supremum.

Collectan. ms. Incert. Originis saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1544. — 7, 3 puerum gegen den Reim.

78. De Partu Virginis.

1. De crystallo scintillula,
De rubo micat flammula
Et clausa botri clausula
Flos florum immarcescens,
Plus flore flos flagrescens,
De Iesse prodit virgula.

2. Cum sine paris copula
Patrem parit puellula,
Nec frangitur ampullula
Virginei pudoris,
Naturam nati floris
Admirantur miracula.

3. De sigillo puerperae
Mirantur matres ceterae;
Patet, cur sicco vellere
Sit area rorata,
Cum virgo fecundata
Sit sine carnis opere.

4. Virginitatis speculum
Spe penetrat ad oculum
Et salvum manet vasculum.
Quid, zabule, miraris?
Secreti puellaris
Signatum est signaculum.

5. Mater, virgo sunt paria,
Quae fuerant contraria,
Nec iam hac consequentia
Potest argumentari,
Nam in hoc singulari
Naturam vincit gratia.

6. Remoto velo literae
Moysi lac ab ubere
Sponsa suxit in vespere,
Dum virgo salutatur,
Et nobis distillatur
Ros caelestis ab aethere.

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 95. — 5, 1 Pater, virgo. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

79. De Compassione BMV.

1. O Maria, recordare,
Dum in sinu collocare
Sumptum de cruce filium
Prae amore voluisti,
Quo dolore hunc planxisti,
Dic, castitatis lilium.

2. Quam ardenter amplexaris,
Amplexando oscularis,
Deosculando flumine
Lacrimarum hunc perfundis,
Quas gemendo tu effundis
Pro extincto lumine.

3. O aurora veri solis,
Patris parens, nata prolis,
Aeternae lucis oriens,
Vultus tui virginalis
Rubens decor lilialis
Pallescit velut moriens.

4. Cum prae cunctis tibi gratum
Patrem, sponsum ex te natum,
Dilectum quoque Dominum,
Totum cernas vulnerosum,
Quem tu forma speciosum
Pasti prae natis hominum.

5. Cernis, inquam, pretiatum
Male, peius osculatum,
Nam ore traditorio,
Ab amicis derelictum,
Captivatum, dure strictum
Cum fune ligatario,

6. Punctum pugnis atque trusum,
Proh, velatum et illusum
Cum sputis blasphemantium,
Flagellatum, virgis caesum
Atque spinis dire laesum
Per manus coronantium.

7. Hinc sub mole crucis fessum
Nudum crucique impressum
Per clavos poenalissime,
Sitientem felle potum,
Doluisse latus lotum
Perfossum crudelissime,

8. Exprobratum et derisum,
Blasphematum et occisum,
Heu, populis a talibus,
Quos in nullo molestavit,
Sed ad vitam informavit
Doctrinis paternalibus.

9. Sic contemptum et deletum,
Sic abiectum velut spretum,
Leprosum abhorribilem,
Nunc in sinu tuo cernis
Et nequaquam talem spernis,
Sed foves diligibilem.

10. Quem tu, virgo maternalis
Atque mater virginalis,
Cum gratiae divitiis
Paris, pulchra speciosum
Et suavis dulciosum
Prae omnibus deliciis.

11. Sed est dirus, qui dulcebat,
Et deformis, qui splendebat
Decoris privilegio,
Tuque tui nescis florem,
Nullum prorsus cum decorem
In vultu cernas regio.

12. Quis non tibi condoleret,
Cum tam maestam te videret
Tis unicum inspicere
Et amore liquefactum
Cor maternum et distractum
Gemitibus deficere?

13. Cum res quoque insensatae
Sicut sol obscuritate
Et terra cum tremoribus,
Durae petrae disruptura,
Velum templi cum scissura
Compassae sint maeroribus,

14. Dum in cruce tenebrosum
Mundi iubar luminosum
Vitalem perdit radium,
Et cor tuum maternale
Ob tormentum filiale
Doloris sentit gladium.

15. Si haec pavent vitam mori
Conformantes se dolori,
Quo nullus dolorosior,
Quis lugendo cor non tundat
Ac gemiscens fletus fundat,
Quin petris sit petrosior?

16. O dolorem amorosum
Et amorem dolorosum
De unico fortissimum,
Tibi dantem, florens rosa,
Rubicunda, speciosa,
Colorem tam maestissimum.

17. Quae ut sol in caeli stellis
Cunctis erat prae puellis
Decore venustissimo,
Iam nunc pallens tenebrescis
Tenebrescensque madescis,
Heu, fletu amarissimo.

18. Consolare, benedicta,
Nati morte sic afflicta,
Mors namque dans maestitiam
In honorem resurgentis
Et salutem mundi flentis
Vertetur et laetitiam.

19. Ut quid ergo sic exarsit
Dolor, quod in nullo parcit
Virgineis visceribus?
Curque plangis hunc tam dire,
Quem surgentem mox redire
His speras cum muneribus?

20. Pia, dulcis et benigna,
Nullo prorsus luctu digna,
Si fletum hinc eligeres,
Ut compassa redemptori
Captivato transgressori
Tu corredemptrix fieres.

21. Tunc non tantum condolere
Maestae matri sed debere
Me cerno grates solvere,
Tibi meae redemptrici,
Quae de manu inimici
Dignatur me evolvere.

22. Sed per vitam, heu, mis totam
Quis vel unam laudis notam,
Dic, tibi acceptabilem
Mihi dabit personare,
Nisi velis me formare
Ad te laudandum habilem?

23. Si dictaret meditando,
Si cantaret iubilando
Tis laudes, o piissima,
Simul omnis creatura,
Adhuc restant tibi plura,
Nam cunctis es dignissima.

24. Non me tamen spernas reum,
Nam te talem fecit meum
Peccatum, neque fieret
Tibi nomen miseratrix,
Nisi culpa mis damnatrix
Veniam exigeret.

25. Atque regem angelorum,
Salvatorem saeculorum
Tis ventris domicilium
Nunquam digne hospitasset,
Ni mis scelus invitasset
Hunc Deum in exsilium.

26. Sic ditata, nam egebam,
Sic plantata, nam marcebam,
Es paradisus gratiae;
Cur diescat gratiose
Favor favens favorose
De tua mihi facie.

27. Larga donis et abunda,
Da, quod fletu gemebunda
Mis anxia petitio
Per te fiat exaudita.
Si hoc potes? immo ita,
Ut munder omni vitio.

28. Ob amorem tui nati
Fac me gratum caritati,
Qua idem amantissime
Me indignum sic dilexit,
Quod ad mortem se despexit
Tam summe contemptissime.

29. O pudoris, heu, gravedo!
Cum sim vermis et putredo,
Condignus nulli homini,
Unde miser superbivi,
Quod mandatis contraivi
Tam gratiosi Domini?

30. Sequar ergo paenitendo,
Suam crucem deferendo
In umeris memoriae,
Spinis, clavis stimulatus
Et flagellis agitatus,
Da, properem cursorie.

31. Nec me sinas retardari,
Immo hasta militari
Per ictus affectabiles
Induratum cor peccatis
Tu transfigas, caritatis
Dans plagas insanabiles.

32. Ob quas mundo moriturus
Vivam grate fruiturus
Tis benedicto filio
Atque tibi, florum flori,
Quae es sola mis favori
Tutamen in exsilio.

33. Cum citatus comparebo
Tremebundusque videbo,
Heu, iudicem iustissimum,
Tam districte iudicantem,
Ut nec sinat vel quadrantem,
Quin ponderet, novissimum,

34. Ubi non est appellare,
Sed oportet adprobare
Sententiam finaliter,
Virgo mater, o Maria,
Tunc adiutrix assis pia,
Ne damner aeternaliter,

35. Sed me vocet laetabundum
Verbum bonum et iucundum,
Repletum omni gratia,
Verbum dulce verbum mite,
Praeoptatum *Huc venite*
Ad gloriae palatia.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a III 20. A. — Orat. ms. S. Petri saec. 14. [et 15.]. Cod. Petrin. a I 20 B. — 2, 4 profundis AB. — 5, 1 Certis A. — 13, 6 Compassae sicut A. — 18, 6 Vertetur secundus et A. — 24, 5 Nec culpa A. — 32, 2 suiturus A. — 33, 1 Tum A. — „Planctus oratorius cuiusdam pauperis ad beatam virginem, filium de cruce depositum quasi sinu tenentem.“ AB.

80. De V Doloribus BMV.

1. Maria christifera,
Clara stella maris,
Salutis puerpera,
Mente vulneraris,
Simeon dum gladio
Mitem te et blandam
Christi de supplicio
Prodit perforandam.

2. Alma mater, pectore
Maerore confecto
Tu amisso pignore
Doles de dilecto,
Qui laborem abstulit
Mundi et reatus
Nec dolorem intulit
Tibi de te natus.

3. Rosa spinae nescia,
Spinis puncta doles,
Dum, qui tenet omnia,
Cara tua proles
A captivis criminum
Nuntiatur tenta,
Lux secreta hominum
Lustrans circumventa.

4. Illustrata iubare
Sacro, o serena,
Passa sine compare,
Doles Deo plena,
Quem portabant viscera
Tua, videns tensum,
Nostra propter scelera
In ligno suspensum.

5. Eia, de patibulo
Dominum virtutum
Quam maerenti oculo
Aspicis solutum,
Factum ut vas perditum
Forma speciosum,
Darique depositum
Terrae pretiosum!

6. Acerbis doloribus
His compatientem
Divinis dulcoribus
Pota sitientem,
Salvum fac ab inferis
Tecum congaudere,
Regna parem superis
Poli possidere.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a III 20. — Nach Ausweis des Akrostichons Maria müfste Str. 5 spätere Zutat sein.

81. De V Doloribus BMV.

1. En, ego, heu, vilissimus,
Prae cunctis despectissimus,
Virgo, mater Dei pia,
Ob quintuplicem doloris
Poenam gravis et maeroris
Deprecor, te, Maria,

2. Et collaudo veneranter
Teque moneo instanter,
Ut mihi sis adiutrix
In necessitatibus
Et anxietatibus
Sis firma mihi tutrix.

3. Ob primam poenam, quam infixit
Simeonis, quae praedixit,
Tibi prophetia,
Quod esset tuam transiturus
Doloris gladius praedurus
Animam, Maria.

4. Ob secundam, quod amiseras
Natum, quem quaesieras
Cum gladio timoris
Per tres dies, cum dolore,
Gravi corde et maerore,
Coacta vi amoris.

5. Ob tertiam, cum caritatis
Spiritus et veritatis
Tibi revelavit
Tuum filium detentum
Passionis et eventum,
Qui te solamine privavit.

6. Ob quartam poenam, cum videres,
Pro quo nimium doleres,
Ipsum stipiti affigi,
Per manus atque pedis duras
Clavorum, heu, impressuras
Sic animam affici.

7. Ob quintam, cum exspirare
Vidisti filium amare,
Quid tu pertulisti!
Et in ulnas tremorosa
Tuque maerens, virgo rosa,
Gemens assumpsisti.

8. Ob has poenas, mater Dei,
Semper tu sis memor mei,
Memento, quod vocaris
Mater tu clementiae,
Locum da paenitentiae,
A quibus invocaris.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 Te virgo mater. — 1, 6 te fehlt. — 3, 5 Animam gladius. — 6, 2 nimis. — 6, 4 durus. — 6, 5 impressurus. — 6, 6 Sic animam Maria. — 7, 1 Ob quintam poenam, cum. — 7, 2 Vidisti nimium amare. — 7, 4 Et in animam tremerosa. — 8, 5 Et locum da. — 8, 6 Mihi et a quibus.

82. Planctus Virginis.

1. Heu, heu, Christe Deus,
Heu, heu, amor meus,
Te damnavit pharisaeus
Viventem sine crimine.
Iam pendens in patibulo,
Iuvare te non valeo,
Mori tecum desidero,
Iesu, Iesu dulcissime.

2. Orbata mater filio,
Apostolos non video,
Sola quo vadam, nescio,
Non possum ultra vivere.
O Iudaei, per errorem
Occidistis redemptorem,
Mundum salvabit per amorem
Sua sancta passione.

3. Dixit Christus matri: [Mea],
Non vos turbet poena mea,
Praecedam vos in Galilea,
Resurgam die tertia.
Iohannes tibi filius,
Custos tibi et famulus
Eritque tibi baculus
In hac mundi miseria.

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Capit. Veronen. 823(819) A. — Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Capit. Veronen. 825(821) B. — 2, 1 Deorbata A, Deorbatata B. — 2, 7 Lies salvat? — 3, 3 Galilaeam AB. — 3, 6 et fehlt AB. — 3, 7 Eque tibi B.

83. Planctus B. Mariae V.

1. Contemplemur crucifixum,
Cruentatum et derisum
Cum Maria virgine.

2. Plorat virgo suum natum
Denudatum, flagellatum,
Cruci dirae condemnatum
In sui praesentia.

3. Heu, fili, quid fecisti,
Heu, dolens me vidisti,
Heu, mortem sustulisti
Cum maximo supplicio.

4. Heu, vidi te dolentem,
Heu, vidi lacrimantem
Et maerore deficientem
Pro Maria virgine.

5. Gens ingrata Iudaeorum
Perfidorum et malorum,
Compassione vacuorum,
Sic te morti tradidit.

6. Plangat mecum plebs fidelis,
Astra plangant et in caelis,
Me privavit mors crudelis
Dulci meo filio.

7. Vos, christiani, quos creavit,
Quos redemit, exaltavit
Filius meus et salvavit,
Deo dicatis gratias.

De Levis, Anecdota sacra, p. 115 u. f. mit der Notiz „ex nostro codice."

84. De Beata Maria V.

Tempore Paschali.

1. Mater Christi, noli flere,
Cessit dolor, quia vere
Iam surrexit, hoc dixere
Angeli, qui adfuere.

2. Gaude, plane cesset fletus,
Redit victor leti laetus
Et sanctorum secum coetus
Immortali dote fretus.

3. Fac ergo nos resurgere
Cum electis et sapere,
Deum frui et cernere,
Quod erit vere vivere.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

85. Ad Beatam Mariam V.

Tempore Paschali.

1. Ave, virgo verecunda,
Rubicunda, laetabunda,
Cuius vultum quisquis videt,
De te gaudet, ad te ridet.

2. Gaude, quae tripudio
Laetabaris nimio
Resurgente filio
Mortis ab imperio.

3. Fac a nostro scelere,
Pia, nos resurgere,
Sursum tolle variis
Cor oppressum vitiis.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 quisque. — 3, 3 Et sursum.

86. De V Gaudiis BMV.

Gaude, virgo, concipiens,
Gaude, clausa parturiens,
Gaude nato resurgente,
Gaude illo ascendente.
Gaude, caelo collocata,
Pacem nobis da, beata,
Et sis nobis advocata
Apud Deum, virgo grata.

Collect. ms. Parisiense[?] saec. 15/16. Cod. Parisin. 3639. — 8 virgo pia.

87. De V Gaudiis BMV.

Ave, virgo concipiens,
Ave, virgo parturiens,
Ave nato resurgente,
Ave ipso ascendente,
Ave, caelo collocata,
Pacem nobis da, beata
Virgo Maria.

Collect. ms. S. Iacobi in Insula Leodii saec. 12/14. Cod. Darmstadien. 2777. add. saec. 14. — Wahrscheinlich ist überall statt Ave Gaude zu lesen; vgl. Nr. 86.

88. De V Gaudiis BMV.

1. O Maria, mater Christi,
Quae de sancto concepisti
Spiritu mirifice,
Gabrieli credidisti,
Praemunita quo fuisti
Veritatis indice.

2. Verbo sacro mox repleta
Spe conceptus eras laeta;
Propter hanc laetitiam,
Cum qua salus est concreta,
Fac, Maria, mortis meta
Ut salutem sentiam.

3. Naturalem contra morem
Peperisti genitorem,
Virgo, mater, filia;
Tuae laudis ad honorem
Me praesenta debitorem
Patri cum familia.

4. Tu de partu laeta tali
Mihi luce sis finali
Salus et solacium,
Ne sim igne gehennali
Pro reatu criminali
Datus ad supplicium.

5. Mentem tuam conturbavit
Et dolorem provocavit
Sequens nati passio,
Te post mortem confortavit
Et post laetam restauravit
Eius resurrectio.

6. Virgo plena pietate,
Resurgente novitate
Laeta me laetifica,
Me oppressum gravitate
Ne repelli sinas a te,
Sed tu me salvifica.

7. Elevatus ascendebat,
Ascendentem subvehebat
Nubes supra sidera;
Astra tenens eligebat
Sedem dignam, qua sedebat
Patris Dei dextera.

8. Propter eius elevamen
Tibi erat consolamen
Tua post gravamina;
In extremis adiuvamen
Et ruinae relevamen
Esto mihi, domina.

9. Quinta vice laetabaris,
Dum in caelum levabaris,
Spes salutis hominum,
Quorum noxam recordaris,
Sed pro quibus deprecaris
Incessanter Dominum.

10. O medela noxae dirae,
Mihi velis subvenire
Mortis in itinere,
Et cum dies erit irae,
Quam quis nequit praeterire,
Noli me relinquere.

Collect. ms. S. Iacobi in Insula Leodisen. aec. 13/14. Cod. Darmstadien. 2777. add. saec. 13/14. — 10, 4 Ut cum dies.

89. De IX Gaudiis BMV.

1. Gaude, cuius uterum
decenter ornavit
Et ad opus proprium
sibi coaptavit
Caeli rex et dominus
et, qui te creavit,
Totus novem mensibus
in te repausavit.

2. Stella sole clarior,
gaude, stella maris,
Ex te clarus exiit
radius solaris;
Singularis gloriae
dono gloriaris,
Dum solem iustitiae,
virgo mater, paris.

3. Pastores accelerant
Bethlehem tendentes,
Verbum, quod audierant,
factum requirentes;
Quaerunt et inveniunt
et invenientes
Te gaudere faciunt,
tibi congaudentes.

4. Sic et magi de longe
veniunt dicentes:
Ubi est, qui natus est?
ad quem venientes
Adorant et offerunt
dona procidentes;
Laeta magos aspicis
ista facientes.

5. Gaude, cuius brachiis
puer deportatur
Ad templum, cum hostiis
patri praesentatur,
Offertur pro perditis,
sic pater placatur,
Et pax tuis meritis
reis redonatur.

6. Cum Christus ad nuptias
in vinum mutavit
Aquam, quibus hydrias
impleri mandavit,
Signorum primitias
hoc signo monstravit,
Quo primas delicias
mundo propinavit.

7. Ex te, vitae vinea,
botrus vitae natus
Crucis ligno figitur,
dirae morti datus,
Cuius sic te cruciat
crux et cruciatus,
Mire te laetificat
mire suscitatus.

8. Partus tui munere
perit mors consumpta,
Porta patet gloriae
spe vitae resumpta,
Cum de morte rediens
ex morte caro sumpta
Ad paternae dexterae
sedem est assumpta.

9. Quando caeli solium
laeta ascendisti,
Laeta caeli civium
turbis occurristi,
Occurrentem filium
plus laeta vidisti,
Ad cuius consortium
laeta tunc venisti.

10. Iam regina resides
in regno caelorum,
Ubi cunctis praesides
choris angelorum,
O pia pax pectoris,
salus peccatorum,
Esto tui memorum
memor miserorum.

R⁰ Per hoc dulce gaudium,
virgo, mater Dei,
Apud tuum filium
esto memor mei.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 2 ad Bethlehem. — 7, 4 mortis. — 9, 3 Laetata. — Der Rundreim wiederholt sich nach jeder Strophe und ist nur Kürze halber an den Schlufs des Ganzen gestellt.

90. De XII Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio;
Gaude, quia, dum cantasti
Magnificat, exsultasti
Miro cordis gaudio.

2. Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio;
Gaude, plaude, nam pastores
Genu flectunt adorantes,
Quem tenes in gremio.

3. Gaude, quia magi dona
Tuo nato ferunt bona
Cum magno mysterio;
Gaude, quia iuxta legem
Obtulisti mundi regem
In templi sacrario.

4. Gaude, quia, quem quaesisti,
Laeta nimis invenisti
In doctorum medio;
Gaude, nam ex aqua vinum
Te optante fecit bonum
Pro primo prodigio.

5. Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio;
Gaude Christo ascendente,
Qui in caelos te vidente
Motu fertur proprio.

6. Gaude, virgo, quia misit
Paraclitum, quem promisit,
Sacrorum collegio;
Gaude, quae post ipsum scandis,
Et est honor tibi grandis
In caeli palatio,

7. Ubi fructus ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.

Orat. ms. Parisiense[?] saec. 15/16. Cod. Parisin. 3639. — 5, 5 caelis.

91. Septem gaudia caelestia gloriosae Virginis Mariae.

1. O Maria, lux divina,
Flos sanctorum et regina,
Plena Dei munere,
Peccatorum medicina,
Me conserves a ruina
Praesumentem dicere:

2. Gaude, per quam angelorum
Gaudet chorus et sanctorum
Perenni laetitia,
Quos praecellis, gratiosa,
Super omnes gloriosa,
Speciali gloria.

3. Gaude, gemma, templum Dei,
Per quam datur lux diei
Solis de praesentia;
Per te magis illustratur,
Illustrata iucundatur
Tota caeli curia.

4. Gaude, lampas saeculorum,
Cui parent supernorum
Omnes caeli curiae,
Vultum tuum deprecantes,
Tamquam matrem venerantes
Summi regis gloriae.

5. Gaude, cella fluens melle,
Cui totum Christi velle
Satiavit caritas;
Quidquid tuae pietati,
Summae placet trinitati,
O pura virginitas.

6. Gaude, virgo, quae decoras
Servos tuos et honoras
Hic et in caelestibus;
Nos cum ipsis ad amoena
Paradisi, laude plena,
Transfer tuis precibus.

7. Gaude, rosa, princeps florum,
Super choros angelorum
Gloriosis laudibus
Exaltata iucundaris,
Trinitati sociaris
Et sanctorum milibus.

8. Gaude, cuius non marcescit
Laus et honor, non decrescit
Gaudiorum gaudium;
Iam secura gloriaris,
Iuncta Christo coronaris
Super regni solium.

9. Omni laude mater digna,
Te laudanti sis benigna
In hac vita misera;
Imperatrix gloriosa,
Consolatrix viscerosa,
Nos a malis libera.

10. Quando dies venit irae,
Fac tormenta non sentire
Haec colentes gaudia;
Sed nos tecum gloriemur,
Sine fine collaetemur
In caelesti patria.

Orat. ms. Haarlemense saec. 15 (Privatbesitz). — 4, 6 Sui regis. — Nach jeder Str. Ave, Maria.

92. Super Ave Maria.

Semper *ave*, dia genetrix et virgo *Maria*,
Es fontis vena vivi, quoque *gratia plena.*
Dulcedo mecum tua sit, *Dominus* quia *tecum.*
Tu benedicta feres laudem *supra mulieres*,
Atque *tui* victus *fructus ventris benedictus.*
Per te solamen habeat meus exitus. Amen.

Collect. ms. Zwetlense saec. 12. Cod. Zwetlen. 36. add. saec. 14.

93. Super Ave Maria.

Ave, regina caelorum,
Pia virgo tenella,
Maria [virgo], flos florum
Christi[que] clausa cella,
Gratia, quae peccatorum,
Dira tulisti bella
Plena, odor unguentorum,
Stirpis David puella,
Dominus, rex angelorum,
Te gignit, lucens stella,
Tecum manens, ut nostrorum
Toleret saeva tela.
Benedicta mater morum,
Nostrae mortis medela,
Tu signatus fons hortorum,
Manna [das] dulcimella,
In . . . .
. . . .
Mulieribus tu chorum
Regis, potata fella,
Et vincula delictorum
Frangis nobis rebella.
Benedictus rex cunctorum,
Quo pino de te mella,
Fructus, quo [caelo] iustorum
Clare sonat cunella,
Ventris sibi parat thorum
Nec in te corruptela;
Tui zelo satis horum
Languescit animella.

Collect. ms. incertae orig. saec. 14. Cod. Oxonien. Canon. Lat. 112. — 6 Dira abstulit bella. — 19 sq. stehen hinter 24. — 20 Regis ob nos potatus felle. — 23 Veneranda lux cunctorum. — 25 Et fructum quo. — 29 Tui celo fabris horum. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

94. Super Ave Maria.

1. *Ave*, virgo singularis,
Pulchrior quam lux solaris,
Sponsa Christi specialis,
Nos cunctis defende malis.

2. *Maria*, tu caeli porta,
Spina, per quam est exorta
Nobis rosa, qua retorta
Vis est hostis et absorpta.

3. *Gratia* sic illustrata,
Nos illustra, o beata,
Ut agamus, quae sunt grata
Tibi, mente praeparata.

4. *Plena* virtutum floribus,
Nos poli bonis moribus
Et in caeli honoribus
Nos serves ab erroribus.

5. *Dominus*, qui cuncta regit,
Te in matrem praeelegit
Et carnem de te collegit,
Per quam hostem mox subegit.

6. *Tecum*, mater pietatis,
Vis est tota deitatis;
Ergo nostris pro peccatis
Roga, stella claritatis.

7. *Benedicta* nos tuere,
Hora mortis cum urgere
Nos intendat, velis vere
Te praesentem exhibere.

8. *Tu* pulchre vernans lilium,
Tuum deposce filium,
Ut in sorte humilium
Nobis det domicilium.

9. *In* quo ipsum contemplemur
Nec ab ipso sequestremur,
Sed cum ipso gloriemur
Et in ipso collocemur.

10. *Mulieribus* praelata,
Es prae cunctis honorata
Es et privilegiata,
Quia es deificata.

11. *Et* sic digne adoraris,
O praeclara stella maris,
Collaudaris, honoraris,
Adamaris, sublimaris.

12. *Benedictus* tuus natus,
Qui pro nobis vulneratus
Exstitit et lanceatus
Nec non spinis coronatus.

13. *Fructus* tuus noster esus,
Ille Christus dulcis Iesus,
Per te ita fiat esus,
Ne exsistat inde laesus.

14. *Ventris* aulam virginalis
Proles intravit regalis,
Quae nos eruat a malis
Mortis sic exitialis.

15. Tui sumus, mater digna,
Multum dulcis et benigna,
Tuo nato nos consigna,
Ne nos laedat mors maligna.

Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacen. 2873. — 1, 4 Nos a cunctis. — 10, 1 praeclara. — 11, 1 Et sicut digne. — 14, 2 Prolis. — 14, 3 nos fehlt.

95. Super Magnificat.

1. Unius numinis
   Sed trium nominum
Mea magnificat
   anima Dominum,
Quia laetificat
   filios hominum
Impetus fluminis
   De fonte fluminum.

2 a. *Et* in patris unico,
Salutari meo,
Meo singulariter,
Ut qui fit de meo,
Exsultavit spiritus
meus, quod in eo
Tam gentili salus est
orta quam Iudaeo.

2 b. Eja, Sion filiae,
meae consodales,
Meae coancillulae,
meae consponsales,
Mecum sponso canite
cantus spiritales;
Praecino, succinite
modulos aequales.

3 a. Sub damno veteri
Plasmator hominem
Iam dudum deteri
Cernens per daemonem,
Misericorditer
et fortiter acturus
Surgit, pro homine
hostem debellaturus.

3 b. Salvandi miseri
Modus mirabilis!
Homo vult fieri
Vis immutabilis,
Ancillae Dominus
Videt humilitatem,
De me fortissimus
sumit infirmitatem.

4 a. Consulit homini
per hominem,
Subvenit virgini
per virginem,
Homo sibi nascitur,
Virgo sibi parit,
Nihil Deo quaeritur,
Quidquid actitarit.

4 b. Militat in milite,
pro milite,
Dimicat cum daemone
pro homine,
Vetus praeda tollitur,
Victus praedo cadit,
Captivator capitur,
Captivus evadit.

5 a. Per me salus mundi salo,
Per me malus caret malo,
Boni fit plantatio,

5 b. *Ex hoc, ecce, me beatam*
Dicent et sibi creatam
Cuncta generatio.

6 a. *Fecit*, quae voluit,
Magna qui potuit,
Sanctum, quod latuit,
Nomen innotuit
Cunctis in gentibus.

6 b. *Misericordiae*
Eius et gratiae
Sunt *a progenie*
Et *in progenie*
Eum timentibus.

7 a. *In* extenso *brachio*
fecit potentiam,

7 b. In potenti parvulo
fregit superbiam.

8 a. Iudaeos incredulos,
Pharisaeos pseudulos
Dispersit singulos
Per orbis angulos.

8 b. Sublimes imperio,
Celsos magisterio
Deponit solio,
Privat officio.

9 a. *Exaltavit humiles*
rex humilitatis
Et *esurientibus*
panem dedit satis,
Panem fortitudinis
et satietatis
Et *replevit* vacuos
bonis vitae gratis.

9 b. *Et dimisit divites*,
quorum mensae plenae,
Quorum lauta prandia,
delicatae cenae
Nunc *inanes* factae sunt,
viles et egenae,
Quia mendicantibus
non fecerunt bene.

10 a. *Recordatur* ut fidelis
Servi sui *Israelis*
Et ad vocem Gabrielis
Misso filio de caelis
Sumit hunc in gloria.

10 b. Implet, quod per ora vatum
Patribus est revelatum,
Abrahae semen beatum,
De quo datum fero natum,
Cui laus *in saecula.*

Collect. ms. Victorinum saec. 15. Cod. Parisin. 15163. A. — Cod. Mazarin. 1002 (948). B. — 3 a, 3 deseri B. — 3 b, 6 Vidit A. — 5 a, 3 Bonis. — 6 a, .. Secum quod B. — 9 b, 5 Nec inanes B. — 10 a, 1 Recordatur infidelis. — Die Überschrift lautet in A: Canticum beatae virginis et matris Iesu Christi, studio Godefridi, subprioris Sancti Victoris extensum.

96. Super Salve regina.

1. *Salve*, mater miserorum,
Consolatrix peccatorum,
Quae caelos aperuisti,
Ad te nos animo tristi
Venimus collacrimantes,
Ut nos iuves.

2. *Regina* totius orbis,
Medicinam nostris morbis
Afferendo pietate
Nemo vera caritate
Te maior profecto fuit
Praeter Deum.

3. *Misericordiae* et salutis,
Demum cuiusque virtutis
Plena es, nobis ostendis;
Velis ergo, ut intendis,
Miseris nobis favere,
Pia virgo.

4. *Vita*, salus et iuvamen
Nobis es atque tutamen
In dies atque in horas;
Nolis ergo ullas moras
Facere, cum moriemur,
Ad iuvandum.

5. *Dulcedo*, sapor et gustus,
Albedo, color venustus,
In te sunt atque resplendent,
Sed, quot nobis mala pendent,
Nisi tu auxilieris,
Non te latet.

6. *Spes* firma es nostrae vitae,
Nunquam ergo nos omitte
In tui conspectu nati,
Eius tandem maiestati
Grata sint opera nostra
Te praesente.

7. *Nostra* cui sint dicenda
Errata, facta dolenda,
Pia virgo, nisi tibi,
Quisquis est conscius sibi,
Nullum adit tam audenter
Quam te matrem.

8. *Salve* ergo, mater nostra,
Nosque sic amare monstra,
Ut nos velis consolari,
Nam in terra nec in mari
Nihil est nobis iucundum
Te absente.

9. *Ad* quem vis, nostri clamores,
Planctus nostri et dolores
Dirigantur, si non audis?
Nisi tu, mater, exaudis,
Iam nos frustra laboramus
Ad salutem.

10. *Te* nos semper invocamus,
Ut discrimen evadamus,
Et non dees opitulari,
Non debes ergo mirari,
Si antiquum nobis morem
Observamus.

11. *Clamamus* voce ploranti,
Ut velis illo infanti
Contra hostem opem ferre,
Damna, quae potest inferre,
Nobis sunt intoleranda,
Si non iuvas.

12. *Exsules* ob primam matrem
Nos oportet sicut patrem
Laborare cum sudore;
Utinam tanto errore
Caruissent primi illi
Genitores.

13. *Filii* sumus dolentes
Casum nostrum nec habentes,
Qui nos velit relevare;
Ad te ergo supplicare
Properamus, ut adoptes
Nos in tuos.

14. *Evae* sumus coheredes,
Quae nostras tam pulchras sedes,
Quas in caelis habebamus,
Amisit, unde ploramus,
Et non est, qui consoletur,
Ni tu, virgo.

15. *Ad* quantas calamitates,
Damna, clades, paupertates
In hac valle sumus nati!
Nostrae est hereditati
Angi, pati et dolere
Die, noctu.

16. *Te* nos omnes aegrotantes
Per orbem atque palantes
Adimus atque precamur,
Ut, cum saepe moriamur,
Antiqua peste parentis
Tu nos sanes.

17. *Suspiramus* lacrimando
De peccato tam nefando,
Quod ingrati contra Deum
Nulla quasi apud eum
Movemur dilectione,
Ut praecepit.

18. *Gementes* luctu dolenti,
Labore, cura intenti
Ambulamus in deserto,
Mala nobis in aperto
Sunt futura, nisi iuves,
Alma mater.

19. *Et* quamquam semper vadamus,
Quo pergamus, ignoramus,
Tantae sunt nobis tenebrae,
Luctuosum et funebre
Est nobis tempus, quod adest
Hac in vita.

20. *Flentes* sumus cum maerore,
Quod seiuncti ab amore;
Caritas non est in nobis,
Proximis viis improbis
Nitimur semper nocere
Contra legem.

21. *In* vanum saepe iuramus,
Quae sunt Dei, non curamus
Inimico suadente,
Te ergo nos dirigente
Missum faciamus morem
Tam scelestum.

22. *Hac* vita brevi et vana
Omnia, quae sunt profana,
Deberemus evitare,
Sabbata sanctificare
Legem Dei observando,
Ut mandavit.

23. *Lacrimarum* imbre fusi,
Fatemur, sumus abusi
In parentes et cognatos,
Sed tu, mater, fac nos gratos,
Ut in eos impleamus,
Quod tenemur.

24. *Valle* hac plena doloris
Deberemus cunctis horis
Pietatem exercere,
Sed manu, verbis nocere
Nos studemus occidendo
Multis modis.

25. *Eia,* etiam, benigna,
Non ignoras, quam maligna
Sunt nobis carnis momenta,
Illa sunt nostra tormenta,
Et in illis delectamur,
Unde dolor.

26. *Ergo* te valde oramus,
Ut, cum male nos vivamus
Aliena possidentes,
Simus satisfacientes,
Antequam nos moriamur,
Et contriti.

27. *Advocata* misericors,
Tu scis, quam vicina [sit] mors,
Suis telis est agressa,
Attamen non est defessa
Lingua nostra, ut producat
Falsum testem.

28. *Nostra* salus atque vita,
Nolis, moriamur ita,
Ut ad miseros vadamus
Neque, velis, cupiamus
Proximi nostri uxorem
Nec ancillam.

29. *Illos* etiam affectus,
Qui nostros augent defectus,
Non ignoras, mater pura;
Nostras ergo mentes cura,
Ne tanta concupiscamus
Aliena.

30. *Tuos* cantus, tuas voces
Petimus, ut nos revoces
Ad legem Dei servandam,
Aliter valde plorandam
Dubitamus diem illam
Tribunalis.

31. *Misericordes* debemus
Proximos, quos nos habemus,
Tamquam fratres amplexari,
Hoc agendo imitari
Nos possemus vitae morem
Iesu Christi.

32. *Oculos* tuos benignos
Si ad nos, quamvis indignos,
Aliqua vertebas hora,
Certo essent meliora
Ea, quae nos operamur
Hac in vita.

33. *Ad* te matrem lacrimando
Properamus, postulando,
Ut a morbis nos curemur,
Nam tu scis, quantum veremur,
Ne leprosi nos vadamus
Ad examen.

34. *Nos* maesti atque plorantes
Deo sumus supplicantes,
Ut pro nobis intercedas;
Scimus enim, si discedas,
Nos tristes atque turbatos
Permanere.

35. *Converte* oculos tuos,
Ut Iesus etiam suos
Matris more ad nos vertat,
Dubitamus, ne avertat,
Tam nefanda sunt errata,
Quae patramus.

36. *Et* ne unquam pereamus,
Sed secure incedamus,
Da nobis, qui nos conducat,
Da nobis, qui nos perducat
Ad aeternum illum locum
Paradisi.

37. *Iesum* petimus ductorem,
Tuum fructum, tuum florem,
Quem tu, virgo, germinasti,
Tu lactasti, educasti,
Vera mater verum agnum
Dei vivi

38. *Benedictum* et laudatum,
Coruscans et dilatatum
Fuit lumen, quod portasti,
Tu nos illo relevasti,
Qui eramus titubantes
In tenebris.

39. *Fructum*, quem tu attulisti,
Quem tu, virgo genuisti,
Nolis nobis denegare;
Tuus est, tu potes dare,
Ut, qui sumus contristantes,
Collaetemur.

40. *Ventris* tui inviolati,
Incorrupti et sacrati,
Quantum fuit arca digna,
Patent nobis clara signa,
Cum sub illa clausus fuit
Verus Deus.

41. *Tui* ergo Iesu, mater,
Qui noster verus est pater,
Ostende vultum benignum
Nobis, hoc erit in signum,
Ut velit, ne condemnemur
In aeternum.

42. *Nobis* tu debes amorem,
Solamen, opem, dulcorem,
Cum sis vera mater nostra;
Nobis ergo hic demonstra,
Qui ploramus cum lamentis
Casum nostrum.

43. *Post* tantas miseras curas
Nonne, virgo, tu procuras,
Ut laeti tandem vivamus?
Vivemus, si sapiamus
Te semper nos edocente
Ad salutem.

44. *Hoc* tempus nobis est maestum,
Vanum, triste et molestum,
In convalle lacrimarum
Multo magis est amarum,
Quia scimus praeterisse
In peccatis.

45. *Exilium* et dolores,
Longas clades et labores
Passi sumus in hac vita,
Sed te iuvante finita
Erunt mala cuncta nostra
Moriendo.

46. *Ostende*, mater benigna,
Ubera tua tam digna,
Ostende, quem lactaverunt,
Hostes nostri iam fugerunt,
Scientes nos clippeatos,
Si videmus.

47. *O* quanta sumus perpessi,
Utque mortem iam defessi,
Virgo materque, sperantes
Quamdiu sumus exsulantes,
Nil magis habemus boni,
Quam spem illam.

48. *Clemens*, pia, dulcis, pura,
Non ignoras, quanta cura
Indigemus ad salutem,
A visceribus in cutem
Cuncta sunt nobis aegrota,
Si non sanas.

49. *O* quis potest memorare
Tuum nobis salutare,
Quantum erat opportunum?
Sine ipso importunum
Haberemus inimicum
Semper nostrum.

50. *Pia* fuit illa hora,
Qua tu Deo sine mora
Respondisti esse promptam,
Angelus invenit comptam,
Non studio neque cura
Sed natura.

51. *O* inquam, virgo laudanda,
Quis potest, quae praedicandae
Sunt de te, recte narrare?
Tibi dicimus: Laetare,
Quae portasti salvatorem
Vitae nostrae.

52. *Dulcis*, pura atque mitis,
Nonne tu es vera vitis
Vitae fructum afferendo?
Gabriel sic referendo
Te laudavit benedictam
Inter omnes.

53. *Virgo* vivens sine labe,
In te tamquam firma trabe
Mentes nostrae sustentantur,
Corda nostra te precantur,
Ut ne unquam patiaris
Nos desertos.

54. *Maria* iuste vocaris,
Nam tu, pulchra stella maris,
Totum orbem luminasti,
Genus nostrum decorasti
Afferendo nobis Deum
Incarnatum.

55. *Amen* dicat ille Deus:
Mater, hic populus meus
Ascendat in paradisum,
Iste, quem in te confisum
Libens audis te precantem
Et laudantem.

Orat. ms. Parisiense [?] saec. 15|16. Cod. Parisin. 3639. — Nach Str. 5 scheint eine Strophe, mit *Et* beginnend, ausgefallen zu sein. — Bei dem Gedichte steht in der Hs. der Vermerk: „Petri Ludovisi".

97. Alia pulchra metra super Salve regina.

Salve, flos florum, lux, vita, salus miserorum,
Semita iustorum, mediatrix alma tuorum,
Felix mater, ave, qua mundus solvitur a vae,
Quae genetrix Evae vae fecit omnia breve.
O genetrix pia, me salva, virgo Maria,
Et mea peccata dele tu, rogo, virgo Maria.

Orat. ms. Lambacense saec. 15/16. Cod. Lambacen. 756.

98. Psalmus L. Beatae Mariae V. laudibus accommodatus.

1. Miserere, mater Dei,
Miserere huius rei,
Rogo, miserere mei,
Fons misericordiae.
Miserationis multae
Mater, quidquid egi stulte,
Nequiter vel inconsulte,
Dele, datrix veniae.

2. Christi mater, virgo munda,
Peccatorem hunc emunda
Pietatis lavans unda
Peccati contagium.
Meum agnosco reatum,
Delictis attenuatum,
Pondus aufer, ne peccatum
Mihi sit contrarium.

3. Filio tuo peccavi,
Placa tu, quem irritavi,
Hostis ne sermone gravi
Vincar in iudicio.
Sola quae tu non dolorem
Passa tuum paris florem,
Solve natum peccatorem
A peccati vitio.

4. O dilectrix aequitatis,
Mihi summae veritatis
Manifesta lucem gratis,
Sole, luna pulchrior.
Hysopo compungitivae
Virtutis et purgativae
Asperge me, fac, ut nive
Niteam candidior.

5. Metum tolle mortis dirae,
Cum damnabit dies irae
Reprobos, et fac audire
Gaudium laetitiae.
A peccatis meis verte
Vultum tuum et diverte
Me ab ipsis, ut sic per te
Reddar innocentiae.

6. Cordis pravi purgans sordem
Fac, Maria, tibi cor dem,
Spiritum Deo concordem
Meis dans visceribus.
Roga fructum ventris tui,
Ne a luce vultus sui
Repellat, sed donet frui
Donis spiritalibus.

7. Tuum mihi salutare,
Iesum dona, quem precare,
Ut dignetur mihi dare
Principalem spiritum.
Doce me virtutum viam
Veramque philosophiam,
Qua profectum verum sciam,
Verbum ex te genitum.

8. Libera me, spes reorum,
A sanguine peccatorum,
Ut exsultem commissorum
Impetrata venia.
Mentis aegrae morbum cura,
Quo te laudem laude pura,
Aperi te laudatura
Cordis mei labia.

9. Iesu mater, nato cara,
Holocaustum in me para,
Cor ardens, in cordis ara
Sanctum desiderium;
Spiritum contribulatum
Atque cor humiliatum
Mihi praesta, quod est gratum
Deo sacrificium.

10. O benigna, fac benigne,
Da mirari posse digne
Salutis signum insigne
In caeli palatio.
Hoc accepta, mater Dei,
Holocaustum voti mei;
Tibi, precor, huius rei
Grata sit oblatio.

11. Salve, nostri salutaris
Parens, sed ignara paris,
Salve, rosa puellaris,
Salve, mundi lilium.
Ave, mater salvatoris,
Mater munda, miri moris,
Audi, licet peccatoris,
Laudes et praeconium.

12. Offer quoque tuo nato
Grato et propitiato
Holocaustum pro peccato
Carmen hoc Davidicum.
Ne permittas mihi claudi
Aurem tuam, sed exaudi
Immolantem tuae laudi
Suppliciter canticum.

13. Per saecla metae nescia
Sit tibi, virgo Maria,
Laus, honor, virtus, gloria,
Decus et imperium.

Orat. ms. Parisiense saec. 15/16. Cod. Parisin. 3639. — 5, 2 Quam damnabit. — 11, 6 mundo miri. – 12, 1 nato tuo. — Zwischen 12, 4 und 5 eingeschoben folgende unechte Strophe:

Ergo mei curam habe,
Cura cor ab omni labe,
Corpus a corrupta clade,
Spiritumque meum trade
Ventris tui filio. Amen.

Ob Halbstrophe 13 echt oder Zutat, erscheint fraglich. — Aufschrift: Idem Psalmus (scl. L.) ad honorem et laudem beatissimae Mariae, virginis et matris Iesu Christi, Domini nostri, transmutatus.

99. Cursus de B. Maria V.

Ad Laudes.

1. Caeli porta, nobis orta,
Virgo sancta, cerne quanta
Labe dolet, peius olet
Totus mundus furibundus.
Dic, quid spectas? vias rectas
Da, perimus; cum tui simus,
Cur nos deseris in acie?

2. Placa natum tuum gratum,
Quod dignetur, cui debetur
Laus aeterna in superna,
Hos salvare, quos amare
Angit poena, forti vena
In hoc mari fluctuari,
Cum sit abundator gratiae.

3. Pangit, angit, voce clangit
Plebs fidelis verbis, melis
Ad te, stella, Dei cella;
Recordare, virgo, quare
Praeelecta sis effecta
Mater Christi; genti tristi
Da salutem tua facie.

Ad Primam.

1. O aurora rutila,
Dies, noctem mutila,
Sol, terram illumina,
Quae super cacumina
Caeli resides sublima.

2. O magnum mysterium!
Te laudat imperium
Terrenum et caeleste;
Nos liberes a peste,
Ne decidamus ad ima.

3. O vas, virgo, gratiae,
Fruens Dei facie,
Tibi laus et gloria;
Confer adiutoria,
Regnans post Christum prima.

Ad Tertiam.

1. Nata, natum adora,
Sancta, sanctum honora.
Munda, mundum decora
Per tua suffragia.

2. Praeclara, clarum placa,
Sic iusto, iusta, vaca
Et regem regno paca,
Tolle necis plagia.

3. O digna, dignam laude
Fecit factor te, gaude,
Stratos levas a fraude
Relaxans obstagia.

Ad Sextam.

1. Iesse florem produxit,
Flos fructum exstruxit,
Fructum sapientiae,
Plantam paenitentiae
Sacro beante flamine.

2. Is flos, virgo, fuisti,
Quae fructum peperisti,
Christum, fructum salutis,
Mirificae virtutis,
Mirabili velamine.

3. Virens arbor dulcoris,
Ramus magni decoris,
Fructum nobis largire,
Quo iamiam resilire
Possimus a peccamine.

Ad Nonam.

1. Cardo caeli,
Punctum meridiei,
Mater veli
Regnantis Galilaei,
Lux perfecta et erecta,
Lumen nobis infunde.

2. Aufer labem
Adgravantis criminis,
Redde trabem
Fortis adiuvaminis,
Ne obscena ferox poena
Nos puniat abunde.

3. Sed gratia
Uberantis pneumatis
Nos satia
Et dulcore neumatis,
Quo repleti simus laeti
Perpetuo fecunde.

Ad Vesperas.

1. Ave, clarum miraculum,
Prophetarum oraculum,
Summi solis umbraculum,
Libri vitae signaculum,
Ave, clavis deitatis.

2. Ave, qua lapsi curantur
Et curati confortantur,
Confortati confirmantur,
Confirmati collaetantur,
Ave, smigma suavitatis.

3. Ave, templum Salomonis,
Perornatum miris donis,
Obiectum divi sermonis,
Cum imis summa componis,
Ave, codex trinitatis.

Ad Completorium.

1. Te lucis sinceritas,
Precamur, proselitas
Gentes Christi protege
Hoc nocturno tempore.

2. Cedat somni gravitas,
Et quietis lenitas
Festinet accedere
Cum salutis opere.

3. Tibi laudis pietas
Et honoris bonitas,
Trinitatis nomine
Semper vale prospere.

Cursus ms. BMV. (Ruperti iunioris) saec. 15. Cod. Vatic. Palat. 541. — Ad Laud. 1, 4 Tuus mundus. — Ad Tert. 3, 3 sternis a fraude. — Ad Non. 2, 4 Fortis numinis. — 3, 5 Quod repleti. — Ad Vesp. 3, 3 divini. — 3, 4 imis tu summa.

100. Rosarium Beatae Mariae V.

1. Gaude, virgo, iure matris,
Quae splendorem Dei patris
Concepisti caelitus,
Quae Iohannem illustrasti,
Ut cognatam visitasti,
Donis sancti spiritus.

2. Quem gestans sine taedio,
Enixa es cum gaudio,
O virgo singularis,
Verbum patris, carnem factum
Ex te, tuo lacte pastum,
Ut Deum veneraris.

3. Quem mox pannis involvisti,
In praesaepe posuisti,
Nec dura reprobavit;
Quem caelorum exercitus
Glorificat, et angelus
Tunc natum nuntiavit.

4. Quem pastores quaesierunt,
Bethlehem hunc invenerunt
Flentem in praesaepio;
Qui carne circumciditur,
Ipsi nomen imponitur
Die Iesus octavo.

5. Quem tres magi adorarunt,
Verum Deum declararunt
Mysticis muneribus,
De quo Simeon laetatur,
Dum in templo praesentatur
Tuis sanctis manibus.

6. Cum quo maerens aufugisti
In Aegyptum et redisti
Monita ab angelo;
Quem non sponte perdidisti,
Post tres dies invenisti
Hierusalem in templo.

7. Quique matrem consolatur,
Quando pie querulatur
Exhibens se subditum;
Hic est tuus commensalis,
Quem terdenis annis alis
De labore manuum.

8. Quem Iohannes baptizavit
In Iordane, sed expavit
Stupens de miraculo;
Quem mox daemon ter tentavit
In deserto, Satan statuit
Monte et pinnaculo.

9. Nuptiis congratulatur,
Fons in vinum transmutatur
Praeter rerum ordinem,
Cum in mundo praedicavit,
Multos languidos curavit,
Pavit multitudinem.

10. Lazarum flens suscitavit,
Omnem mortem effugavit
Corporis et animae,
Cuius pedes Magdalena
Abluit ardore plena,
Munda fit a crimine.

11. In Thabor montis vertice
Splendet ut sol mirifice
Cum nimio candore,
Cui turbae Iudaeorum
Salvatori populorum
Occurrunt cum honore.

12. Corpus suum salutare
Et sanguinem dans gustare
Nobis se commendavit,
Ex horrore et pavore
Imminentis mortis horae
Tunc sanguinem sudavit.

13. Quem Iudaei et gens ausa
Ut latronem sine causa
Vinclis stringunt fortiter;
Annae, Caiphae delatus
Et ad mortem accusatus
Iudicatur turpiter.

14. Cuius vultum speciosum
Et aspectum gratiosum
Velabant conspuentes;
Quem malitiose laedunt
Colaphis et palmis caedunt
Ac pilos evellentes.

15. Purpura et alba veste
Stat illusus inhoneste,
Pellitur e limine;
Qui columnae alligatur,
Innocenter flagellatur,
Totus rubet sanguine.

16. Dire spinis coronatur,
Genu flexo salutatur,
Caesus est arundine;
Quem gens sua reprobavit,
Hunc Pilatus condemnavit
Absque legis ordine.

17. Cum scelestis deputatus
Crucem portat incurvatus,
Sternitur sub pondere;
Pius sexus lacrimatur:
Mei causa, contestatur.
Fletum noli fundere.

18. Quem nudatum crucifigunt,
Sacrum corpus sic affligunt
Tensum crudelissime;
Cuius artus et iuncturae
Disrumpuntur, vis naturae
Dolet amarissime.

19. Huic dolori addiderunt,
Vah Iudaei clamaverunt
Vexantes blasphemiis;
Pro his patrem rogat mere,
Qui eum crucifixere;
Parce, inquit, nesciis.

20. Ipse pendens cum latrone
Amen, dixit in agone,
Mecum eris citius;
Te Iohanni commendavit,
Illum sibi adoptavit,
Ut sit tuus filius.

21. Gemens spirat et post pauca
Heli clamat voce rauca,
Est vox ista flebilis;
Fel, acetum et murratum
Vinum gustat sibi datum
Sitiens et debilis.

22. Filius intactae matris
Tunc in manu Dei patris
Commendavit spiritum;
Consummatum exclamavit,
Lacrimando exspiravit,
Mortis solvit debitum.

23. Ecce, agnus immolatur,
Tamquam reus morti datur
Reos solvens crimine;
Cuius latus perforavit
Miles, hastam cum vibravit,
Fluxit unda, sanguine.

24. Terra tremit, sol expavit,
Heu, cor meum obduravit
Adamante durius;
Virgo, trita margarita,
Utinam me pungat ita
Tui cordis gladius.

25. Quem de cruce deponentes
Viri iusti, tecum flentes,
Tibi dant iustissime;
Quem in novo monumento
Pretioso cum pigmento
Condunt honestissime.

26. Limbum patrum penetravit,
Consolatur, quos amavit,
Vinctos inde liberat;
Post haec surgens in triduo
Immenso fulgens gaudio
Valde te laetificat.

27. Rapit nubes hunc repente,
Caelum scandit te vidente
In virtute propria;
Inde misit, quem promisit,
Pneuma sacrum, quo invisit
Pauperum praecordia.

28. Super aethera elevans
Et in dextra te collocans
Advocatam constituit;
Quae caeli scandis verticem,
Placatum nobis iudicem
Reddas ac propitium.

29. Laus, gratiarum actio
Mariae sit cum filio
Nunc et in perpetuum.

Orat. ms. Parisiense [?] saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 3639. — 8, 5 statuit **ist Korrektur** in der Hs.; vielleicht **stand** dort stavit; oder lies: In deserto **et portavit.**

101. De Beata Maria V.

I.

Rite diem festum colimus, mundo venerandum
In toto, sanctae Mariae, Domini genetricis,
Quae praeclara thronum caeli conscendit ad altum
Ingenti pompa sanctorum cum comitatu.
Ergo, Dei mater, miseris succurre pusillis,
Assis et desolatos refove, sacra virgo,
Ora pro populo, pariter pro supplice clero
Et pro femineo sexu devota rogato,
Optima cuius odor ceu balsama nectare multo
Funditur aut pulchri vernantia lilia campi.
Fasciculus murrae sponso tua membra superno
Consecrata, favos liquidi superantia mellis.
Semper ave, Christi genetrix et virgo fidelis,
Stella maris, tu porta poli, saecli reparatrix,
Cuius in eximiae, praeclarae virginitatis
Electi merito sacrantur caelitus omnes.
Hinc exaltaris hodie super astra polorum,
Angelicos super alma choros, per quam paradisi
Panduntur hodie nobis portae, reverenda,
Quas intras inter cunctas mulier benedicta.
Cantica sic dicunt de te: Vidi speciosam
Ceu volucrem, quae felle caret, rivos per aquarum
Currentem, cuius dulcedo decens inopina,
Vallabant flores et eam quasi vere sereno.
Tute redi, Sunamitis ovans, quo te videamus;
Sicut qui digne gaudent, habitatio nostra
In te cuncta, Dei mater, mundi induperatrix;
Pro servis deposce tuis natum tibi carum.
Gens, inquit, claram me tota loquetur et amplam,
Maxima nam mihimet fecit, qui pollet ubique.
Cuius virginei quoque dona favore pudoris
Exsequar, ignoro, portas quod cuncta regentem.
En, oculi, regina, tui divinitus orbis
Tamquam fons Esebon, piscinae nobilioris,
In porta quae fit genitae multiplicitatis,
Divini fructus in te tibi nunc animantur.
Virgo Maria, nites cunctum benedicta per aevum,
Viscera nempe tui meruerunt lucida Christum
Ferre, decora super natas felicius omnes
Israel, unguentis et aromate plena superno.

* * *

Tota dies laudis cumulum dicatur in altum
Haec et cum iubilo personet a populo.

Virginis hinc recitent pueri, iuvenes in honore
Atque senum coetus nobilium niveus.
Sumitur in caelum genetrix pulcherrima Christi,
Gaudet et angelicus civis et obsequitur.
Lucis ad aethereae thalamum vehitur bona virgo,
In quo rex miro considet in solio.

* * *

Plurimus occurrit sanctorum sede senatus
De caelis; te, Christe, canit, laudemus, amice,
Virgineumque decus praesertim voce triumphat,
Cordis ob hoc modulisque frequentibus organa dicit.

II.

Virgo, Dei mater, David clarissima proles,
Funde preces nato pro famulis proprio,
Praemia perpetuae quo iam potiora coronae
Possimus digne te duce percipere.
Tu cunctas haereses perimis virtute [tonantis]
Pulchraque d[as] asseclis gaudia perfacilis.
Angelicis credens dictis magni Gabrielis
Post partum pueri virgo nites celebris.
Fortunata tuo placuisti femina Christo
Exemplo, titulis dignior his nitidis.
Imperium regni retines post splendida natum,
De te caelorum nam generas Dominum.

III.

Laus veneranda bonis, Iesu clementia Christi,
Virgo Maria Dei, laus veneranda bonis.
Omnis ubique colit Iesum super astra benignum,
Sic matrem Domini omnis ubique colit.
Tollitur ad superos meritis iuvacibus Enoch,
Post partum virgo tollitur ad superos.
Caelicolae iubilant Christo scandente superna,
Propter heri Mariam caelicolae iubilant.
Obsequio celebri vir fertur ad alta fidelis,
Femina summa petit obsequio celebri.
Obvia turba fuit puerorum plurima Christo,
Ac eius matri obvia turba fuit.
Subvenias populo, petimus, fili inclite Dei,
Oramus, virgo, subvenias populo.
Virgineum specimen laetum citharizat honorem
Et dominae carmen virgineum specimen.
Munera perpetuae nobis da, Christe, salutis,
Sponsaque, da patriae munera perpetuae.
Cuncta venena fugat superi benedictio Christi,
Sic mulier sancta cuncta venena fugat.

Vocibus angelicis credens genuit cito Sara,
Dansque fidem peperit vocibus angelicis.
Quae generas Dominum, mundo venerabilis exstas,
Ad caelum migras, quae generas Dominum.

IV.

Ludimus heroico versu, matrona perennis,
Nunc tibi promeritos iterum sacramus honores,
Quae Gabriele salutaris praecone superno.
Pneumate mox uterum sancto gravidata beatum
Tempore decurso Iesum cum lumine magno
Virgo paris, populum salvat qui crimine fidum.
Nutritur nimia pulchrae cura genetricis,
Pascitur et modico lactis sumptu venerandi.
Huncque resurgentem devicto funere cernens
Altaque scandentem caelorum plaudis in aevum.
Uberius hodie magna cum luce triumphas,
Ad dextram nati residens solio rutilanti.

Collect. ms. Fossatense (?) saec. 9—13. Cod. Vatican. Reg. 566. add. saec. 11. I. 4 tum comitatu. — 27 cuncta clamant Dei. — 29 loquitur. — 43 recitent.

Diesen Versen geht in der Handschrift ein anderes, längeres Gedicht auf den hl. Benedikt voraus mit dem Anfange: Longobardorum gens impia cum reproborum und der Aufschrift: „Hoc opus edidit domnus Giraldus, Floriacensis monachus. Incipit translatio corporis beati Benedicti et Scholasticae sororis eius.“ Dann folgt das hier mitgeteilte Gedicht mit der Überschrift: Incipiunt versus eiusdem de Sancta Maria und der Schlufsbemerkung: „Explicit ludus Domini Giraldi monachi.“

102. De Beata Maria V.

1. Magnificare piaM decet omni laude MariaM.
Ardua reginA, quam summa verentur et imA,
Rite celebratuR, qua lapsus homo reparatuR,
Immo dolor morbI veteris detegitur orbI,
Alma precum votA cui solvat contio totA.

2. Me monet ipsoruM pia virtus mysterioruM
Ad laudis signA depromere carmine dignA.
Recte laudatuR, per quam Deus haec operatuR.
Ipsa rubum MoysI signat flammare nec urI,
Astruitur portA typico sub aenigmate clausA.

3. Mox Aaron virgaM cum manna signat et urnaM,
Arida nam virgA florens cum prole MariA,
Rursus et urna datuR, qua Christus manna probatuR.
In te, virgo DeI, redeunt convivia caelI,
Ad quae nos regnA perduc, regina benignA.

S. Gregorii Moralia (ol. Wessobrunen.) saec. 12. Clm. Monacen. 22010 A. — Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Petrin. I a 14. B. — 2, 2 laudes AB. — 2, 5 Astringitur — per ea B.

103. De Beata Maria V.

I.

1. Alma, serena, pia, praecelsa, beata Maria,
Tu fons hortorum, tu certa salus miserorum,
Lumen caecorum, réquies optata laborum;
Da mihi te care, carissima, semper amare,
Te mihi da clare clara cum laude vocare.

2. Alma, serena, pia, praecelsa, beata Maria,
Dulcior es melle, te laudant quaeque puellae,
Mirantur stellae, fugiunt metuendo procellae;
Sis mihi solamen, sis aeternale levamen,
Sis et tutamen, sis et per cuncta iuvamen.

3. Alma, serena, pia, praecelsa, beata Maria,
Tu delictorum veniam mihi posce meorum
Et fac me morum vernare decore proborum;
Sis mihi salvatrix, sis, obsecro, semper amatrix,
Sis consolatrix, sis mater et auxiliatrix.

4. Alma, serena, pia, praecelsa, beata Maria,
Tu perpulchra genis, oculis tu grata serenis,
Tu dulcis, lenis, cunctis tu mater egenis,
Me tam ferventer clamantem tamque frequenter,
Respice clementer mihi subveniendo libenter.

II.

1. Diva parens, maerore carens, dilecta Maria,
Sponsa Dei, memor esto mei, miserere dolenti;
Sum fragilis, non sum stabilis, succurre cadenti.
Quid faciam, quid deveniam, quid ero miserandus?
Te rogitans, ad te fugitans venio recreandus.

2. Diva parens, maerore carens, dilecta Maria,
Te precibus, te carminibus rogo, semper adesto,
Iam venias, iam subvenias, pia, tu mihi praesto;
Culpa premit, mens pressa gemit, tormento gravatur
Da baculum, releva tremulum, te sustineatur.

3. Diva parens, maerore carens, dilecta Maria,
Si pereunt, si praetereunt, quaecumque videmus,
Nos, teneri vestri pueri, quonam fugiemus?
Stella maris, quos ipsa paris, solita pietate,
Ipsa tua nos dulciflua salva bonitate.

4. Diva parens, maerore carens, dilecta Maria,
Te lacrimis precor, oro nimis, flos optime florum,
Sis requies, sis laeta dies, sis cura tuorum;
Mire decor, te, virgo, precor, digneris adesse,
Nosque polo pereunte solo fac semper inesse.

III.

1. Clara pudicitia, pulcherrima prole Maria,
Tu vitae portus, tu delectabilis hortus,
Dulcior es manna, te felix edidit Anna;
Hortum virtutis, portum largire salutis
Et mannam vitae mihi da sine fine cupitae.

2. Clara pudicitia, pulcherrima prole Maria,
Caelorum porta, mundo feliciter orta,
Eruat a portis tua me clementia mortis,
Lacta me mamma, dulcissima mater et amma,
Lacta languentem, lacta, rogo te, sitientem.

3. Clara pudicitia, pulcherrima prole Maria,
Omnes tu flores, omnes tu vincis odores;
Flos honestatis, sit odor mihi virginitatis;
Pulchrior es luna, sublimior omnibus una,
Fac sim sublimis, mea vita levetur ab imis.

4. Clara pudicitia, pulcherrima prole Maria,
Tu vitae pomum, tu mellifluum cinamomum,
Purpureis violis radiisque simillima solis;
Da mihi, quod quaero, quod per te cernere spero,
Regnum caelorum veniam scelerumque meorum.

IV.

1. Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Dulcis alumna, superna columna decusque perenne,
Tela maligna repelle, benigna, metumque gehennae;
Nostra mamilla Deique papilla, mei miserere,
Quem fugienda nimisque cavenda diu tenuere.

2. Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Dira cupido, caeca libido regnat ubique,
Quisque malorum quemque bonorum truncat inique·
Casta virago, sancto propago, corrige vanos,
Aula pudoris, mater amoris, protege sanos.

3. Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Lux orborum, dux claudorum, dirige iustos,
Os mutorum, spes cunctorum, sis mihi custos;
Sis dilectrix, sis protectrix, sis mihi mater;
Pulcher Iesus, dulcis Iesus, sis mihi frater.

4. Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Dia puella, venusta puella, puella colenda,
Virgo iucunda Deoque secunda nimisque stupenda,
Tolle timorem, pelle dolorem perpetualem,
Fac me fortem vincere mortem spiritualem.

V.

1. Mater casta, pia, clarissima virgo Maria,
Fac mihi, quae posco, melius, quam poscere nosco,
Et, quae corde peto, tribuas mihi munere laeto;
Fac me mundari, mundatum iustificari,
Iustum firmari, firmatum salvificari.

2. Mater casta, pia, clarissima virgo Maria,
Sit mihi, oro, pater carus tibi caraque mater,
Fratrum nostrorum memor esto simulque sororum
Et fac gaudentes notosque meosque parentes,
Consolans cunctos in amore pio mihi iunctos.

3. Mater casta, pia, clarissima virgo Maria,
Fac nostros reges iustas componere leges,
Principibus praesta dominari mente modesta,
Divitibus praebe cum Christi vivere plebe,
Pauperibus dona vitae gaudere corona.

4. Mater casta, pia, clarissima virgo Maria,
Ecclesiae patres concordi, protege matres,
Dilige catholicos fidei reprimens inimicos
Et non credentes fac Christo credere gentes.
. . . .

VI.

1. Virgo puerpera, sis mihi prospera, sancta Maria,
O venerabilis, o memorabilis, o generosa,
Mater amabilis, inviolabilis, imperiosa,
Suscipe carmina, dilue crimina, suscipe vota,
Funde precamina, ferto iuvamina, spes mea tota.

2. Virgo puerpera, sis mihi prospera, sancta Maria,
Tu violaria tuque rosaria vincis odore,
Lactea lilia, pulchra monilia vincis amore;
Te modulamine, te iubilamine vocis honoro,
Te quoque pectore, te quoque corpore totus adoro.

3. Virgo puerpera, sis mihi prospera, sancta Maria,
Te, carissima, te clarissima gloria caeli,
Oro supplico, laudo, praedico mente fideli;
Tu pulcherrima, tu celeberrima, tu decus orbis,
Tu nostris pia ac ad omnia consule morbis.

4. Virgo puerpera, sis mihi prospera, sancta Maria,
Splendida moribus, altior omnibus, optima victrix,
Me, rogo, dirige, me, pia, dilige, sis mihi tutrix;
Iam mea cantica, spes precor unica, dulcius audi,
Iam mea tympana, iam, precor, organa praecipe claudi.

VII.

1. O flos egregia nascens de stirpe, Maria,
Sancta tua dextra benedic nos intus et extra,
Per te vivamus, per te Christo placeamus;
Fac nostras animas meritis, oramus, opimas,
Corpora purifica, virgo sacra, virgo pudica.

2. O flos egregia nascens de stirpe, Maria,
Assis oraclis, assis nostris habitaclis,
Assis et rebus cunctis, benedicta, diebus,
Non has flamma voret, non hos ardere laboret,
Non sit tempestas, non saeviat ulla potestas.

3. O flos egregia nascens de stirpe, Maria,
Terrae fecundae, plenae sint piscibus undae,
Conserva fructus, undarum comprime fluctus,
Ventos refrena, caelum pluviale serena,
Fulminis ardorem, tonitrus depelle fragorem.

4. O flos egregia nascens de stirpe, Maria,
Magnos algores, nimios moderare calores,
Pestis tollatur, bellum non inveniatur,
Crimina linquantur, cuncti veniam mereantur,
Christus adoretur, Christus, rex verus, ametur.

Collect. ms. Lirense saec. 12. Cod. Ebroicen 48. A. — Collect. ms. Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. B.

I. 1, 1 wiederholt sich nicht B. — Nach 1, 1 in B: Suscipe vota pia servorum cum melodia. — 1, 4 te clara A. — 2, 3 metuunt fugiendo B. — 4, 4 Te tam B; tamque libenter A. — 4, 5 fehlt A. —

II. 1, 1 wiederholt sich nicht B. — 1, 4 quo deveniam B. — 1, 5 venio revocandus B. — Str. 2 fehlt A. — 3, 2 Si pereunt, si non tereunt, quaecunque tenemus B.

III. 1, 1 wiederholt sich nicht B. — Str. 1 fehlt B. — 2, 5 me sitientem B. — Vor 3, 2: Mater casta pia etc. wie unten V.; Zeilenfolge in Str. 3: 4, 5, 2, 3 B.

IV. 1, 1 wiederholt sich nicht B. — Vor 1, 2 steht 4, 3 B. — 1, 3 De maligna de peste benigna metuque B. — 1, 4 Vestra mamilla B. — 1, 5 Qui B. — 2, 3 premit ubique B. — 2, 5 mater honoris B. — 3, 2 Dux orborum, dux B. — 3, 5 dulcisque B. — 4, 4 und 5 umgestellt B. — 4, 5 praefortem B.

V. 1, 1 nicht wiederholt B. — 4, 4 fehlt B. — VI und VII fehlen B. — IV steht bereits allein aus anderer Quelle Anal. XXXII, 168.

104. De Beata Maria Virgine.

1. Virgo Dei genetrix mundique potens reparatrix,
Regula virtutis, divini forma decoris,
Tu primos lapides vario splendore micantes
Excellis merito signasque decore venusto.

2. *Iaspidis* insignem fidei virtute virorem
Exprimis imprimis, hinc prolis honore bearis,
Qui vetus a populo solvit phantasma redempto.

3. Spes in caeruleo te vestit honore *sapphiro*,
Quae regis mater cum virginitate refulges,
Digna Dei solio caeloque serenior ipso.

4. Tamquam *chalcedon* caelestis canduit ardor
In te, stella maris, divini exemplar amoris,
Quae pulchra ut luna es, ceu sol electa refulges.

5. Herbida vernantis species et grata *smaragdis*
Nec mediocris honos te prospicit, inclita virgo,
Quae fons signatus vernas conclusus ut hortus.

6. Gratia *sardonii* te signat honore triformi,
Cuius mens humilis candentia lilia vincit,
Pulchrior ipsa rosis niveo splendore pudoris.

7. *Sardius* ex toto rubet ut cruor ordine sexto,
Quo rubuit Christus hora sexta crucifixus,
In quo purpuream meruisti passa coronam.

8. Aurea *chrysolithi* te forma notat speciosi,
Quod, Christi genetrix, regum regina probaris,
Cuius es a dextris induta cycladibus aureis.

9. Limpidus et purus ceu sol in aqua radiatus
Digne confertur tibi, virgo Maria, *berillus*,
Cuius ab intacta sol iustitiae micat aula.

10. Maximus in pretio primusque decore *topaton*
Aetheris ac fulvi speciem simul exhibet auri,
In quibus arridet tua virtus et meritum ingens,
Quo superos superas, melior mortalibus exstas.

11. Lumine purpureus, facie viridis *chrysoprassus*
Distinctusque auro tua fert insignia, virgo,
Quae solido fidei prudens patiensque fuisti.

12. Prasso guttatus viret ut maris unda *iacyntus*,
Et tu, nostra salus ac mundi praeclue sidus,
Virtutum titulis in nostra carne notaris.

13. Optime purpureus ac suave rubens *amethystus*
In te virtutis specimen speciale refundit,
Regia progenies christorumque inclita proles,
Qua fulsit mundo verus rex atque sacerdos.

Maius Chronicon ms. Fontanellense saec. [9.] 12. [15.]. Cod. Portus Gratiae 332.

105. De Beata Maria V.

Salve, virgo pia, caeli regina Maria,
Exemplis clara, miseris succurre, regina,
Dura velut saxa tu crimina nostra relaxa.
Ianua tu caeli, tu porta patens paradisi,
Posce tui fructum ventris qui nos benedictum
Collocet in caelis, tribuens pia gaudia cunctis.
Filius ille pater tibi, cui tu filia, mater,
Si petis, ipse dabit, quia matri nulla negabit.

Collect. ms. Zwetlense saec. 12. Cod. Zwetlen. 355. add. saec. $^{13}/_{14}$.

106. De Beata Maria V.

Virgo restauratrix mundique salutis amatrix,
Lucis adornatrix, tenebrarum stella fugatrix,
Vitae larga datrix, dirae mortis superatrix,
Caelica regnatrix, mediatoris mediatrix,
Sis consolatrix, sis nobis auxiliatrix.

Antiph. ms. Lambrechtense saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Graecen. 258 add. $^{12}/_{13}$. (mit Neumen). A. — Collect. ms. Gottwicense saec. 15. Cod. Gottwicen. 507. B. — 3 mortis imperatrix B.

107. De Beata Maria V.

Mater virgo Dei, decus orbis, ianua caeli,
Ad te clamantum suscipe vota precum.
Tu, regina poli, tu sidus praeclue mundi,
Ora pro nobis, confer opem miseris.
Tu suspirantes de caelo respice, mater,
Et ne labamur, tende, benigna, manus.
Quamvis in solio sedeas, regina, superno,
Nos tamen in terra compatienter iuva.
Placa censorem miseris, averte mucronem
Nobis atque pium concilia Dominum.
Inter fluctivagi rege nos discrimina mundi
Ac semper stella caelitus irradia,
Et, subito vita cum mors spoliaverit ossa,
Sis praesens animae, ne pereat misere.
Arce procul hostes, furvas dirasque phalanges,
Spiritus incedat per loca luciflua.
Non videat manes, Orci non sentiat ignes,
Pallentes umbras te duce profugiat.
Obviet angelicus sibi mox cum lumine coetus,
Qui ferat hunc aulam regis ad aetheream,
Rex ubi caelestis propriis partitur amicis,
Qui placuere sibi, praemia pro meritis.

Orat. ms. Benedictin. (Monial.) saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Bibl. Capit. Schaffnaburgen. 181. — Zu v. 3 vgl. Nr. 104, Str. 12, 2.

108. De Beata Maria V.

Virgo, maris stella, Iesse de stirpe puella,
Quam de gente David virtus divina vocavit,
Ut verbo patris fieres substantia matris,
Ut pareres Christum, qui mundum solveret istum,
Sic etiam pareres, ne virginitate careres,
Foedere digna pari genetrix et virgo vocari,
Te voco, virgo pia, genetrixque, requiro, Maria,
Ut miserum sanes, curas qui tractat inanes,
Et miseri curas divinis ignibus uras.
Sum miser, obscenus nimiaque putredine plenus,
Complue peccatis caelestis aquas pietatis
Facque tuo lotum dulci medicamine totum,
Quidquid post sacrum commisit culpa lavacrum.
Qui per me labor, nunquam sine te revocabor,
Porrige, virgo, manum, subito me sentio sanum.

In partem laevam quem traxit culpa per Evam,
Ad dextram releva, tu, mater mitior Eva;
Porta patet, saevam fuerat quae clausa per Evam,
Placatrix irae, quibus illam vis aperire.
Cum sub extremo poterit succurrere nemo,
Quis faciet tutum turpissima quaeque secutum,
Ni mihi tutelam des iudicis ante querelam?
Cum mundus flebit, cum terra polusque timebit,
Sola potes terrae miseris suffragia ferre.
Sors ubi sanctorum desperat opem meritorum,
Flectitur irati per te sententia nati;
Quare ad examen misero concede iuvamen.
Sentio damnari, si differs auxiliari;
Nam datus ad mille tormenta Theophilus ille
Per te salvatur Christoque reconciliatur.
Hic ita peccavit, qui Christum teque negavit,
Nec caruit venia te, virgo, iuvante, Maria;
Ergo peccator, non corde vel ore negator,
Credo salvari per teque reconciliari,
Propter peccantem si vis orare tonantem.
Haec, sacra, dispone, quae transfers ex Babylone,
Fac, pia, Ierusalem conscendere spiritualem,
Pax ubi succedat, quam nulla calumnia laedat,
Rex ubi virtutis sit potus escaque salutis,
Lux ubi reginae sit apta mihi sine fine,
Ante redemptorem sortitae sedis honorem.
Vox peccatoris te clamitat, aula pudoris,
Ad caeli numen metuentis vertere lumen
Et nihil audentis de nomine cunctipotentis.
Audi clamantem, te, virgo beata, vocantem,
Si non turberis, quod ab illius ore voceris,
Qui vitiis foedus permansit ut mollis hoedus.
Paenitet errorum, iam foetet ineptia morum,
Labilis et vanus sum plus quam quatriduanus;
Suscipe conversum, noviter Babylone reversum,
Fac male deceptum, fac cum pietate receptum.
Sic veniam posco, sic flens mea crimina nosco;
Non ego damnari, non debeo iam reprobari,
Nam decet auctorem non exercere furorem,
Iam debet pietas odiis imponere metas.
In te sperantem non vidi, virgo, vacantem,
In te iactatum non vidi ludificatum.
Me tibi commendo, reus ad te, spes mea, tendo,
Eripe labentem, culpas absolve fatentem,
Offensum natum mihi redde reconciliatum,
Dimerso mundo tenebris mortisque profundo.
Sancta parens Christi, dare praesidium potuisti,

Si plures stellis animas a morte revellis,
Quam vetus illorum transgressio, culpa duorum;
Ergo mihi soli *Non possum* dicere noli.
Par tibi maiestas et adhuc manet ipsa potestas,
Post tantum munus levius salvabitur unus.
Nec dicas: „Natum vereor tam saepe rogatum."
Vult mediatricem Deus esse suam genetricem,
Qui se pulsari, pro peccatore rogari
Non indignatur, sed cum petitur, miseratur,
Qui super errantum gaudet revocamine tantum,
Et faciet secum caelos gaudere per aevum,
Qui prius ad vitam traxit populum Ninivitam,
Quo miserante bonis sors est coniuncta latronis,
Qui Lazarum flevit, triduana morte quievit,
Praeda superborum cum sit pro morte duorum.
Prolatae sortis Iesu de munere mortis,
Dans mundo pacem fac me, regina, capacem,
Simque redemptorum per te concivis eorum,
Pro quibus est Iesus mortali corpore laesus.

Collect. ms. incert. originis saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. — 13 culpae ratum. — 17 te leva tu. — 43 vertite lumen. — 64 transgredio. — Abschrift von Adr. Carrère S. J.

109. Versus in honore sanctae Mariae.

Naturam nostram Christus, non crimine nostro
  Participare volens, crimine solvit eam.
Tempore dignatur nasci sine tempore natus,
  Ut supra legem temporis esset homo.
Servus de domino, pauper de divite factus,
  Nos a pauperie liberat atque iugo.
Ad patris imperium sacram de flamine sacro
  Conceptam prolem femina sacra parit.
Concipiens, pariens non sentit damna pudoris
  Casta parens, partu sanctificata suo,
Et quod nulla fuit in concipiendo voluptas,
  Matri nullus adest in pariendo dolor.
Fert radix Iesse florem, profert Aaronis
  Arida virga nucem, regia virgo Deum,
Regem caelorum paupercula, filia patrem,
  Iustitiae solem stella Maria maris.
Nec perdit radix emisso flore virorem,
  Nec nascente Deo virginis illa decus.
Flos Christus, fructum vitae generans et odorem,
  Perpetua matrem virginitate beat.

Fracto naturae mirantur saecula iure,
Quod sit facta Dei filia mater ei.
Virgo tenet puerum, puer omnia, nata parentem,
Ubera dat, sugit, replet et illa Deus.
Hic vere rutilat gemmis ornata beatae
Virginis effigies speculumque reverberat auri.

Collect. ms. S. Mariae de Prato saec. (12 ex. et) 13. Cod. Parisin. 16699. — Diesem Gedichte gehen in der Hs. noch folgende drei Verse voraus, die ersichtlich nicht dazu gehören, vielleicht ein Ganzes für sich bildeten, vielleicht ein anderwärts entlehntes Bruchstück sind:

Salve, digna parens Dominoque per omnia parens,
Solaris splendor, divina luce serena,
Me miserum serva, clemens, pia, dulcis, amoena.

Nach Vers 20 sind neun Hexameter eingeschaltet, die in der folgenden Nummer als ein Gedicht für sich mitgeteilt sind.

110. Versus in honore sanctae Mariae.

Virgo parit florem, flos fructum, fructus odorem,
Virgo redemptorem, veniae vitaeque datorem.
Insolito more cum virginitatis honore
Fit fecundata sine semine virgo beata.
Lumine solari nescit vitrum violari,
Nec vitrum sole nec virgo puerpera prole.
Cuncta creata regens fit et hic in corpore degens,
Lux et imago patris per sacrae viscera matris
Ad nos accessit, sed non a patre recessit.

Collect. ms. S. Mariae de Prato saec. [12. ex. et] 13. Cod. Parisin. 16699. Eingeschoben zwischen Vers 20 und 21 des vorhergehenden Stückes.

111. De Beata Maria V.

Te mihi pacifica, vitae fons, virgo Maria,
Immaculate decor, mundifica bene cor.
Me tibi concilia lacrimae parcendo, Maria,
Esto lapsis pes, propria tu mihi spes.
Me tere, me gere, me preme, virgo regia, deme
Saevia, da socium me fore nobilium.

Collect. ms. Anglican. saec. 14. Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 232. Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

112. De Beata Maria V.

Stella Maria maris, quae caelis praedominaris,
Et quae praeclaris hic laudibus intitularis,
Expers sola paris tu, quae per Ave gravidaris
Et fecunda daris, mater virgoque vocaris.
Luce tui iubaris me, deprecor, intuearis,
Subvenias hilaris et pro me, quaeso, loquaris.
Quodsi dignaris, frustra, Satan, insidiaris,
Si dedignaris vel quantumcunque moraris,
O mora, damna paris, et velle nocere probaris.

Collect. ms. Carth. Maguntin. saec. 14. [13. et 15]. Cod. Maguntin. 186.

113. De Beata Maria V.

Salve, Christi parens et nata Dei benedicta,
Omni labe carens, quae lumine solis amicta
Lunae sub plantis calcas iubar irradiantis,
Sertum de stellis prae virginibusque puellis,
Regia matrona, geris, alma puerpera Christi.
Hic, elegisti, quod tua veneretur icona,
Per tua condigna miracula, virgo benigna.
Me tibi consigna Satanae de fraude maligna.
Tu patrona bona, tu glorificata beata,
Tu speciosa rosa, tu mater honoris, amoris.
O fons dulcoris, caeli regina superna,
Me prece materna tuearis in omnibus horis.
Mater humillima, spes miserorum certa reorum
Atque facillima propitiatio semper eorum,
Mystica cella, benigna puella, suavis, amoena,
Lumine plena, decore serena, maris quoque stella,
Virgo sacrata, per astra levata, Deo sociata,
Sis miserata mei, pia, grata Davitica nata.
Diva propago, dulcis imago, floriger hortus,
In maris unda valde profunda ancora, portus,
Fons bonitatis semper inundans, vas pietatis
Prorsus abundans, cum deitatis prole iucundans,
Auxiliatrix, induperatrix, alleviatrix,
Sis medicamen, da relevamen, pelle gravamen.
Amen, implores, ores, ut gaudia caeli
Heli det, dia, diadema mihique, Maria.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. A. — Collect. ms. Insulae Reginae Caeli (prope Wesaliam) anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. B. — 4 pia virginibusque. — 13 spes miseratio certa B. — 20 undis valde profundis B. — 23 insuperatrix B. — 24 mediamen A. — Aufschrift:

„Sequitur oratio metrica magistri Iohannis de Beka poetae et habet fere omnem colorem metricum.“ A. — „Hoc dictamen metricum scripsit magister Iohannes de Beka, egregius poeta, quod dominus Iohannes de Arkel, episcopus Traiectensis, confirmavit, concedens omnibus devote dicentibus xl dierum indulgentias et unius carenae. Et habet fere omnem colorem metricum.“ B.

114. Oratio metrica de laude beatae virginis Mariae.

O mater matrum, materno more medere,
Parce reis et opem fer eis, miserere, tuere,
O benedicta David proles, tu manna saporis,
Tu generosa Iudith, Abigail, Hesther honoris.
Fixa polo stella, tu legis glosa novella,
Foederis arcella, Moysi duplata tabella,
Cum nato mella, quoque lac tua sancta labella
Stillent, debella vires Satanaeque flagella.
Dux morum, lux caecorum, regina polorum,
Spes veniae, fuga tristitiae, medicina dolorum.
Turbant saligia, pia respice virgo Maria,
Cum sis sola via patriae, duc, dirige, dia.
Surgens aurora, tu sancta theotocon, ora
Protinus, absque mora pro me pereunte labora.
Astripotens mater, mundi stupor et generosa,
Me perimens ater hostis petit arte perosa;
Os, cor, opus, vim, res muni, duc daque iuvamen,
Ut meritis sim pres, cum mors hinc separet. Amen.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod Darmstadien. 521. A. — Collect. ms. Domus Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. B. — 4 gloriosa Iudith B. — 6 Foederis cartella Moysi est dupla A. — 7 Tu nato A — 8 Stillant A. — 15 Astripotis B. — 17 sq. fehlen A. — Dies Gedicht folgt in B unmittelbar auf das vorhergehende (Salve Christi parens) mit neuer Initiale, doch ohne neue Aufschrift. Ob es ebenfalls Iohannes de Beka zum Verfasser hat, bleibt daher zweifelhaft. Die vorgedruckte Überschrift gibt A.

115. De Beata Maria V.

Virgo serena, mater amoena, virgo sacrata,
Iustitiae dux, laetitiae lux, sponsa beata.
Blanda precanti, dulcis amanti, vas deitatis,
Dura malignis, grata benignis, fons pietatis.
Sancta propago, lucis imago, virgo decoris,
Cellula mellis, nescia fellis, fructus honoris.
Virgo benigna, femina digna, virgo pudica,
Ianua solis, filia prolis, regis amica.

Lucida stella, pura puella, sacra sacrarum,
Fructificans mons, mellificans fons, spes animarum.
Praevia iuris, virgula turis, lux tenebrarum,
Flos sine spina, stella marina, pulchra rosarum.
Pax odiorum, meta dolorum, consilii ros,
Cedrus odora, gemma decora, munditiae flos.
Regula morum, forma bonorum, vera lucerna,
Pacis alumna, summa columna, porta superna.

Collect. ms. Domus Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. „Aliud pulchrum et laudifluum dictamen.“

116. De Beata Maria V.

Ianua solis, filia prolis, lucida stella,
Arca decoris, mater honoris, munda puella.
Nescia fellis, stillula mellis, regis amica,
Blanda precanti, dulcis amanti, virgo pudica.
Virgo suavis, caelica clavis, summa columna,
Regula morum, forma bonorum, pacis alumna.
Lux tenebrarum, pulchra rosarum, gemma decoris,
Summa bonorum, pax odiorum, cedrus odoris.
Munditiae flos, consilii ros, porta superna
Et rosa florum, meta laborum, vera lucerna.
Praevia iuris, virgula turis, flos sine spina,
Mellificans flos, fructificans fons, stella marina.
Spes animarum, sacra sacrarum, femina digna,
Gemma decoris, fructus honoris, amanda, benigna.
Vas deitatis, fons pietatis, lima malignis,
Grata benignis, gloria dignis, prodita signis.
Iustitiae lux, laetitiae dux, sponsa beata,
Aula suavis, caelica clavis, inviolata.
Tu camera templi. lilium, tu puteus altus,
Tu portus verbi, de caelo clausaque saltus.
Tu lectus, thalamus caelestis et arca sophiae,
Tu victrix, tutrix, mercedis praevia diae.
Navis et ancora, nostra sis orbita, gemma probata;
Platanus, hortus, virgula, portus, palma vocata.
Urbs murata, benigna velata, corona sacrata,
Esuriam, sitiam, cupiam te, virgula nata.
Virtutum species, via caelica, mater amoena,
Post mortem videam te, caeli munere plena.

Collect. ms. Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. — 18 clavis unica lata. — 26 Esuriem. — Dies Gedicht hat viele Verse mit dem vorhergehenden gemeinsam.

117. De Beata Maria V.

Alma poli stella, lux mundi, pura puella,
Quae concepisti verbo, sine vae peperisti,
Servum ferventem tibi me fac et trahe mentem
Ad Christum sursum, qui vitae det mihi cursum
Sancte finire braviumque poli reperire.,
Suscipe servorum pia vota precesque tuorum,
Ablue peccata tu, Theophili miserata.

Collect. ms. Domus Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. — In derselben Handschrift wie auch in Cod. Darmstadien. 521 findet sich auch noch ein anderes Gedicht in leoninischen Versen auf Maria, mit dem Anfang Mater formosa, tu nobilis et generosa; jene nennt es „Aliud laudifluum dictamen“, diese macht die Bemerkung: „Item sequuntur alia metra laudiflua de gloriosa virgine Maria.“ Das Gedicht ist aber nur ein Bruchstück eines längeren, wie das Akrostichon ausweist, welches nur die Worte Mulieribus et benedictus fructus ventris umfaſst. Da die Worte „Mater formosa“ etc. also nicht den Anfang des Gedichtes bilden, habe ich dasselbe nicht aufgenommen.

118. De Beata Maria V.

Gaude, sola pia sine crimine virgo Maria,
Sancte concepta, specialius omen adepta,
Quo superas cunctos supera iam sede beatos,
Me vitiis natum caelo da purificatum.

Collect. ms. Domus Insulae Reginae Caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. — Ob dies kurze Gedicht ein selbständiges Ganzes oder aber vielleicht Entlehnung aus einem gröſseren, vermag ich nicht zu sagen.

119. De Beata Maria V.

Stella maris, candoris ebur, speculum paradisi,
  Fons veniae, vitae ianua, virgo, vale.
Caeli scala, boni schola, pacis fibula, turis
  Virgula, pigmenti cellula, virgo, vale.
De te tot laudum rutilant insignia, nescit,
  Quo plus ascendat, tantus honoris apex.
Omnes virtutum species et aromata totam
  Te simul aspergunt turis odore sui.
Tu sine defectu radius, tu flos sine spina,
  Tu sine nube dies, tu sine viro parens.
Quid loquor? hinc nullum crementum laus tua sumit;
  Frustra luce facis tempto iuvare diem.
Quanta tuis pateat virtutibus area, nullis
  Flosculis laudum claudere lingua potest.

O flos munditiae, nostri, petimus, miserere,
Sis medicina reis crimina nostra levans.
Sponsa redemptoris, salva nos omnibus horis
Piaculis Satanae carnis et illecebris.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

120. Versus ad laudem Virginis Beatae.

Laus tibi,	caelorum	dux,	morum	maxima	mater,
Caelorum	domina,	nitidum	vas,	patris	amoeni
Dux,	nitidum	sidus	miserorum,	gloria	regis,
Morum	vas,	miserorum	gloria,	splendor,	honestas,
Maxima	patris	gloria,	splendor,	libera	virgo,
Mater	amoeni	regis,	honestas,	virgo,	Maria.

Collectan. ms. Gemmeticense saec. 15. Cod. Rotomagen. 587 (A 263).

121. Salutatio alphabetica et mystica de beata virgine Maria.

Ave, sancta Dei genetrix, o virgo Maria,
Botrus Cypri, fraglans balsamus, alma Maria,
Cupressusque Sion, Libani cedrus alta, Maria.
Dogma salutis, lux bonitatis, clara Maria,
Exemplar morum, virtutum norma, Maria.
Fons signatus, favus stillans, divina Maria,
Gloria mundi, gemma poli, regina Maria.
Hospita regis, principis aula, beata Maria,
Ignea flamma, rubus non ustus, mira Maria.
Kathedra doctrinae, via recta, colenda Maria,
Lucida nubes, fulgida luna, decora Maria.
Mitis ovis, formosa columba, benigna Maria,
Nardus odorans, fumus turis, aroma, Maria.
Ortus conclusus, flos campi, pulchra Maria,
Porta domus clausa, tu caeli scala, Maria.
Quercus Basan, turris David, firma Maria,
Regia proles, sponsa Dei, speciosa Maria.
Stella maris, solis aurora, serena Maria,
Templum pacis, mannatis arca repleta, Maria.
Virga virens, vellus Gedeonis, casta Maria,
Xristotocos digna, te dulcis, quaeso, Maria,
Ymnus sit gratus, tibi quem pro laude, Maria,
Zelo depromo; misero miserere, Maria.
Ave, salve, vale, spes mea, virgo Maria.

Collect. ms. Mellicense saec. 15. Cod. Mellicen. 77. A — Collect. ms. Mellicense saec. 15. Cod. Mellicen. 121. B. — Collect. ms. Lambacense

saec. 15. Cod. Lambacen. 328. C. — Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Petrin. I a 14. D. — Collect. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. b VI 3. E. — 6 diva Maria ABCD. — 8 principalis aula C. — 10 Maria fehlt D. — 11 Lucida nubes fehlt D. — 12 Mitis avis E. — 13 Nardus odoris A. — 15 Porta conclusa (reclusa E) rubens rosa tu DE; Porta domus clausa, tu rubens rosa C. — Aufschrift aus A; statt dessen in C: De laude beatissimae virginis Mariae.

122. De Beata Maria V.

Mater ave Christi, sanctissima virgo, Maria,
Partu, post partum, sicut et ante manes.
Virgo, quae Christum peperisti, lacte educasti,
Mergere me serva, me tueare potes.
Me tibi commendo, me, virgo, relinquere noli,
Ne peream, Christo funde, Maria, preces.

Breviarium et Oration. ms. S. Servuli Venet. saec. 15. Cod. Cicogna 36 (2373). — 3 lacte ducasti. — 5 derelinquere.

123. De Beata Maria V.

Stelligeri splendor, salve, tu gloria poli,
Mater insignis, salve, formosa Maria.
Tu maris immensi praelucida stella vocaris,
Mundi labentis nam candida nubila pulsas.
Antidotum felix mortis, regina, salubris,
Monstres in tenero dulcem mihi corpore natum,
Sumpsit quem Simeon canus ad brachia laetus,
Spiritus angustas nusquam contempserat auras.
Te duce tartareos contingat linquere campos
Officiatque nihil furibunda felle Megaera;
Protinus, casta, precor, ostendas lumen Olympi.

Collect. ms. Eberspergense saec. $^{15}/_{16}$. Clm. Monacen. 6007.

124. De Beata Maria V.

Splendida stella maris, pia virgo Maria, vocaris
Et veri solis deicaeque puerpera prolis.
Venter et intactus, in quo Deus est homo factus,
In medio cuius Deus est homo conditus huius.
Esto Dei media nostrique, benigna Maria,
Per tua lux merita datur orbi veraque vita.

Orat. ms. Parisiense(?). saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 3639.

125. De Beata Maria V.

Gaude, Deo plena, gaude, pariens sine poena,
Gaude, resurgenti congaude, superna petenti,
Cum Christo gaude, regnans dignissima laude;
Elegit qui te, det nobis gaudia vitae.

Orat. ms. Parisiense(?) saec. 15/16. Cod. Parisin. 3639.

126. Carmina de Laudibus Virginis.

I.

Caeli reginam te iure, Maria, fatemur,
Ex cuius thalamo processit iustitiae sol.
Virgo, creatoris caelorum mater et orbis,
Innocuis manibus mundo quoque corde beata,
Rite Dei pinguem meruisti scandere montem.

II.

Gratia caelestis, reparatrix totius orbis,
Diffusa est labiis, virgo Maria, tuis;
Propterea regum te rex benedixit in aevum
Et facit a dextris casta sedere suis,
Aurea quam fulvo vestis circumdata limbo
Ambit et exornat riteque condecorat.

Missale Turonense imp. Rothomagi 1492, 1493 A. — Missale Turonense imp. Parisiis 1533. B. — In beiden Quellen nach dem Kalendarium.

127. Ad Beatam Mariam V.

1. Maria, summa
orta ex prosapia,
Angelus tibi:
Ave, plena gratia,
Dominus tecum;
sume nostra cantica,
Quae tibi canunt
electorum agmina.

2. Ecce, beata,
credidisti nuntio
Et patris verbum
concepisti utero,
Virginitatis
nulla est corruptio,
Ubi est sancti
spiritus infusio.

3. Lucem, Maria,
genuisti saeculo,
Involvens pannis
locasti praesaepio,
Mundum qui regit
potenti imperio
Et arvis lucet
lumine sidereo.

4. Ubere tuo
bibit guttas Dominus,
Qui mari undas,
fluere dat fontibus;
Hunc, virgo, roga,
laxet culpas omnibus,
Qui dat coronas
suis confessoribus.

5. Sacri ad templi
quem portasti limina,
Huic caelestis
deservit militia,
Qua comprehendit
tanta mirabilia,
Quae sunt concessa
tibi splendidissima.

6. Perrexit templum
iustus senex Domini,
Est videns Christum,
quam beati oculi!
Suscepit eum
a te matre nobili,
Gratias agens
uni Deo homini.

7. Regina caeli,
osculasti filium,
Ex patre magnum
et ex te parvissimum,
Hominem verum
et Deum fortissimum,
Quem genuisti
manens virgo virginum.

8. Ex te, Maria,
sublimis puerpera,
Carnem suscepit
Dei sapientia,
Quae caelum girat
et fundavit aequora,
Terrena regit
simul et caelestia.

9. Scala caelestis
et Dei hospitium,
Ex te est ortus
finis et principium,
A patre natus
est ante luciferum,
Hunc, virgo mater,
fac nobis propitium.

10. Beata valde
tua est humilitas,
Quam gloriosa
simul et virginitas,
Per quam divina
venit ad nos pietas,
Audi, cum rogat
te nostra fragilitas.

11. Ille, beata,
tibi erat subditus,
Qui cunctis mundi
imperat virtutibus,
Respicit terram,
et tremescit funditus,
Regnat in caelo
et tonat in nubibus.

12. Tuumque nomen
maris stella dicitur,
Gens namque per te
luce vera ducitur,
Dum trinitatis
lumine perfunditur,
A protoplasti
tenebris excluditur.

13. Ex ventre tuo
verbum sumpsit hostiam,
Quam immolavit
extra Ierosolymam,
Hanc manducamus
ob eius memoriam
Et hoc per fidem
tenemus orthodoxam.

14. Regina, regis
mater, regum filia,
Cum voluisti,
o gloriosissima,
Ut inchoaret
Christus mirabilia,
Tunc fecit vinum
ex aqua in hydria.

15. En, Christus pendens
crucis in patibulo,
Quo liberaret
mundum a supplicio,
Te matrem dedit
virgini discipulo,
Ut semper virgo
non careres filio.

16. Tunc Simeonis
iuxta vaticinium
Gladius tuum
pertransivit spiritum,
Quando occidi
tuum vides filium,
Licet credebas
surgere post triduum.

17. Mortuus Iesus
cruce est depositus,
Quem sepelivit
Ioseph et Nicodemus
Novo sepulcro,
in quo nullus positus,
Tristatur mater
et fidelis populus.

18. O alma virgo,
gaude cum apostolis,
Qui crucifixus
fuit Ierosolymis,
Die surrexit
tertia a mortuis,
Sacris vidisti
tuis illum oculis.

19. Nec non vidisti
cum plebe fidelium,
Quando ad regnum
ascendit aethereum,
Ibi erexit
matris desiderium,
Ubi cum patre
regnat ante saeculum.

20. Ascendit postquam
super caelos Dominus,
Tu, virgo, atque
coetus apostolicus
Permanebatis
in orationibus,
Hoc tibi erat
diebus ac noctibus.

21. Caelesti regno
assumpsit te filius,
Et exsultavit
Iesus benignissimus;
Tibi post Deum
omnis servit spiritus,
Regina, nobis
esto tu propitius.

22. Hoc certe credit
Christianus populus,
Quod tuus sponsus,
filius et dominus
Exaudit, virgo,
te prae sanctis omnibus,
Quodcunque petis,
donat tibi protinus.

23. Ut nos coniungas
cum sanctorum cöetibus,
Pias inclina
aures nostris precibus,
Quibus rogamus
et obnixe petimus,
Procul absistat
fornicator spiritus.

24. Spiritum irae
tolle et tristitiae,
Castrimargiae
atque philargyriae
Invidiaeque
nec non et acediae,
Gloriae vanae
simul ac superbiae.

Cod. Oxonien. Canon. Pat. Lat. 175. saec. 11/12. — 6, 3 Et videns. — Akrostichon: Melus, presbiter et monachus. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

128. De Beata Maria Virgine.

1. O Maria, gloriosa
angelorum domina,
Maris stella, vincens cuncta
claritate sidera,
Virgo pulchra, virgo casta,
me clementer adiuva.

2. Sumpsit enim ex te carnem
Dei sapientia,
Ut humano per te vita
generi est reddita,
Quod subegit neci culpa
primae matris noxia.

3. Super astra manens mira
potiris laetitia,
Ibi servit omni die
tibi phalanx caelica;
Mihi, quaeso, fer iuvamen
presso mole terrea.

4. Assit mihi tua manus
semper invictissima,
Nec me diri Leviathan
extinguant certamina,
Sed sim victor coronandus
in aula stelligera.

5. Ubi sanctis animabus
datur lux assidua,
Angelorum turmae larga
iunctis Dei gratia,
Qua repleri memet tua
faciant precamina,

6. Ut eadem sim mundatus
a culparum macula
Et decenter exornatus
virtute multimoda,
Summo regi voce dulci
Canam laudum chrismata.

7. Hunc qui laudat operando,
quae sunt illi placita,
Obtinebit vere summi
felix regni culmina
Et manebit sine fine
dives omni gloria.

8. Hac me dita, Iesu Christi
mater integerrima,
Et eidem me commenda
tua prece sedula,
Ut cum illo plene gaudens
maneam per saecula. Amen

Collectan. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Alenconien. 1. add. saec. 12. — 6, 6 crysmata. — 8, 5 Et cum. — Aus dieser Quelle publiziert von Léop Delisle im Annuaire Bulletin de la Société de l'Histoire de France Paris 1863; II. partie, p. 9 sqq. Dort unmittelbar verbunden mit dem Reim gebet „Micael cum Gabriele“, entsprechend der Quelle. Schon da „Amen“ zeigt aber deutlich, daſs es sich um zwei Gedichte handelt. Al Auctor vermutet Delisle — wohl mit Recht — Ordericus Vitalis.

129. De Beata Maria V.

1. O Maria, mater Dei,
Miserere, precor, mei
Atque pro me roga Deum,
Ut absolvat istum reum.

2. Ecce, tibi me commendo
Meque tibi servum trado,
Ut domina me suscipe
Et clementer me respice.

3. Respice huc, o Maria,
Dei mater et filia,
Et visita hunc miserum,
Oppressum mole scelerum.

4. Serva tibi commendatum,
Tibi servire paratum,
Tuae donum pietatis
Me absolvat a peccatis.

5. O Maria piissima,
Omni laude dignissima,
Fac me digne te laudare,
Venerari et amare.

6. O domina dominarum,
O regina reginarum,
Propter tuam pietatem
Tolle meam paupertatem.

7. Pauper enim et egenus,
A Deo sum alienus,
Adversum me irritavi
Deum, in quem tam peccavi.

8. Deum mihi pacifica,
Dei mater et amica,
Hoc te posse impetrare
Nullus debet dubitare.

9. O praeclara stella maris,
Quae cum Deo gloriaris,
Fac me ad portum venire,
Nunquam sinas me perire.

10. O Maria, flos virginum,
Ora pro me ad Dominum,
Ut ad caeli palatia
Perveniam te praevia.

11. In qua miser nequissimus
Possim esse vel ultimus,
Laudans Deum per omnia
Saeculorum saecula.

Collect. ms. Radingense saec. 12. Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 79. add. saec. 12. — 9, 4 Nusquam. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

130. De Beata Maria V.

1. Mole gravati criminum
Ad te, regina virginum,
Confugientes poscimus,
Adesto nostris precibus.

2. Aeternae vitae ianua,
Aurem nobis accommoda,
Per quam spes vitae rediit,
Quam Eva peccans abstulit.

3. Virgo, tu mater iudicis,
Vitam deposce famulis
Et paenitendi spatia
Nobis, oramus, impetra.

4. Exora, virgo, filium,
Praesens confer auxilium,
Ut perpetrata nequiter
Purgentur efficaciter.

5. Vere, virgo, post genitum
Preces exaudi supplicum,
Et quid poscenti Dominus
Tibi negabit filius?

6. Si tantum velis, domina,
Nostra delentur crimina,
Quapropter te praecipue,
Servos, oramus, respice.

7. Te orante, sanctissima,
Sanctorum orant agmina,
Si te adversam praevidet,
Caelestis ordo conticet.

8. Per te, mater castissima,
Nobis donetur venia
Tuisque sanctis precibus
Concilietur Dominus.

9. Virgo Maria, respice
Precesque nostras suscipe,
Peccata iam praeterita
Remittat nobis, obsecra.

10. Exaudi, virgo virginum,
Pro nobis ora filium,
Futura mala prohibe
Miserisque compatere.

11. O virgo, mater Domini,
Attende voces populi,
Per te cleri criminibus
Ignoscens parcat Dominus.

12. Virgo gloriosissima,
Vota comple fidelia
Nosque post vitam fragilem
Ad veram perduc requiem.

Orat. ms. incertae orig. saec. 12. Cod. Oxonien. Canon. Miscel. 266. A. — Collect. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Vindobonen. 532. add. saec. 12. B. — Orat. ms. Lunaelacense anni 1451. Cod. Vindobonen. 3835. C. — 1, 2 reginam B. — 3, 2 deposce miseris B. — 3, 3 Et paenitentis A; Ac paenitenti B. — 4, 2 Patris confer B. — 4, 3 Ut per peccata A. — 4, 4 purgemur A. — 5, 3 petenti C; Dominus fehlt A. — 5, 4 Denegabit tibi Dominus B; Tibi deneget filius C. — 6, 1 velit A. — 8, 4 Nobis reconcilietur Dominus BC. — Str. 9-12 fehlen B. — 12, 4 Perduc ad veram. C. — In B und C als Lectiones wie Anal. XXIV, 55, aus jüngeren Quellen; in A unmittelbar angeschlossen an Nr. 134. Unser Gedicht ist ein selbständiges Stück, aber von demselben Verfasser wie dieses; das beweist hier Str. 7, dort Str. 28.

131. De Beata Maria V.

1. Stella maris, o Maria,
Porta caeli, vitae via.
Maris portus naufragantum,
Naufragantes duc ad portum.

2. Nos submersos in peccatis
Salva, mater pietatis,
Da, quod per paenitentiam
Veniamus ad veniam.

3. Tu piscina probatica,
Miserorum spes unica,
Ablue nos exterius
Et munda nos interius.

4. Vitiorum de sentina
Nos erue, virgo pia,
Ignem extingue Veneris,
Ne crememur cum miseris.

Collectan. ms. S. Orientii Auxitani saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 456. add. saec. 13.

132. De Beata Maria V.

1. Virgo, mater melliflua,
Te deprecantes adiuva,
Surge, virgo puerpera,
Hostis repelle machinas.
Ave, Maria.

2. Gregis caulas ne deseras,
Lupum mordacem conteras
Et hostiles versutias
Procul a nobis facias.
Ave Maria.

3. Surge, materna pietas,
Tua nos reple gratia,
Quae hostium insidias
Effuget et nos muniat
Per te, Maria.

4. Surge, virgo fructifera,
Genetrix integerrima,
Confer nobis iuvamina
Auferens cuncta noxia,
Pia Maria.

5. Quae baiulasti filium,
Vitae et mortis dominum,
Fuga catervas daemonum,
Donans nobis remedium,
Virgo Maria.

6. O consolatrix domina,
Quae omnibus es omnia,
Delicti solve vincula,
Quae me torquent tam gravia,
Mater Maria.

7. Heu, quam nefanda crimina
Et omni labe sordida,
Plenus sum immunditiis
Et foetore libidinis;
Parce, Maria.

8. Heu, dirae mortis sarcina,
Quae ut fur omnes enecas!
Quo mea ibit anima,
Quae tot complevit vitia?
Audi, Maria.

9. Heu, quam fuerunt dulcia
Plena foetore crimina!
Si comparantur omnia,
Quis est, qui me eripiat?
Parce, Maria.

10. Parce iam culpis, domina,
Parce, mater piissima,
Rumpe Satanae retia,
Nostras dirige semitas,
Virgo Maria.

11. Funde preces pro miseris,
Colentibus te subveni,
Ut puri a contagiis
Poli fruamur gaudiis
Per te, Maria.

12. Mater supremi iudicis,
Virgo, misellis subveni,
Ut per te cum caelicolis
Personemus hymnidicis
Aula, Maria.

13. Tu igitur ad sidera
Nos ad te sursum eleva,
Ut inter sacras epulas
Tecum simus in gloria,
Sancta Maria.

14. Hoc nobis trina unitas
Et simplex donet trinitas,
Ut non sit nobis sarcina
Mortis finis, sed gloria.
Ave, Maria.

Orat. ms. Benedictin. (Monial.) saec. 12/13. Cod. Capit. Schaffnaburgen. 181. — 2, 7 caulas ne differas. — 8, 3 Plena. — 12, 5 Lies Ave, Maria?

133. De Beata Maria V.

O regina angelorum,
mitis hera gentium,
Porta caeli, mater Dei,
flos et gemma virginum,
Funde preces apud tuum,
quo laetaris, filium,
Ut caeleste nobis regnum
tribuat post obitum.

Orat. ms. Benedictin. (Monial.) saec. 12/13. Cod. Capit. Schaffnaburgen. 181.

134. Oratio ad laudem beatae Mariae, matris Domini.

1. Salve, regina omnium,
Virgo mater, post filium,
Salve caelestis ianua,
Peccatoribus patula.

2. Salve, tu Dei genetrix,
Virgo florens et fertilis,
Tuo processit utero
Tamquam sponsus de thalamo,

3. Qui nos venit redimere,
Mundum dignatus visere,
Ne sit mihi damnatio,
Piissima redemptio.

4. Ecce, quantum horribilis
Castis assisto oculis,
Tuis primum, post omnium
Felicibus caelestium,

5. Quorum mea luxuria
Mordetur pudicitia;
Nec solum istud vitium
Mihi infert iudicium,

6. Sed quot dicuntur nomina,
Tot mihi insunt vitia,
Quorum miser dominio
Assiduus inservio.

7. Et quia moles criminum
Me malis facit miserum,
Ad te solam confugio,
Tuum solamen quaerito.

8. Pande mihi piissimum
Pietatis sacrarium,
Pateant aures beatae
Meae vocis angustiae.

9. Appella pro me filium
Dei tuique unicum,
Ut sit mihi remissio,
Quod te prae omnibus quaero.

10. Audi voces miseriae,
Quas non possum exsolvere,
Nisi tibi, sanctissima,
Virgo post partum unica.

11. Ne tibi sit offensio
Tot scelerum confessio,
Nam se calcari pedibus
Meis nollet diutius,

12. Si me terra cognosceret,
Se supter me dehisceret,
Sum enim bonis omnibus
Malis meis contrarius.

13. Quod diligis, non diligo,
Virginitatem fugio,
Perversus, mendax, invidus,
Illicitorum cupidus,

14. Ira frendens et odio
Et semper studens otio.
O quam lugere debeo,
Tot vitiis quod servio!

15. Nam non urbis excidium,
Sed animae periculum;
Imago Dei deperit,
Anima caelo decidit.

16. Quid dicam ante iudicem,
Caelis, terris terribilem,
Dum statuet iudicium
Et iudicabit saeculum?

17. Vix iustus tunc salvabitur
Et impius damnabitur,
Ibi parebunt omnia
A saeculis abscondita.

18. Unusquisque pro merito
Recipiet a Domino,
Boni bonorum gaudia,
Mali malorum praemia.

19. Locus mei similibus
Cum igne, gelu, vermibus,
Infelices, qui talia
Passuri sunt supplicia,

20. Ego tamen prae omnibus
His horum ero socius.
Heu, heu, mihi misero!
Cur processi ex utero,

21. Cur lactatus uberibus,
Cur nutritus remissius,
Ut infernales pascerem
Et caeli regna perderem?

22. Mors mea nimis misera;
Lugete mecum, omnia,
Dole, caelum, superius,
Terra, nec non inferius,

23. Immo Christum exposcite
Et pro me intercedite.
Quonam miser confugiam,
Quem advocatum repetam?

24. Sum peccator prae omnibus,
Idcirco nec sublimius;
Expedit me transcurrere
Et adiutorem quaerere.

25. Tu, sancta Dei genetrix,
Hac es in re possibilis,
Te spem meam constituo,
Tibi me servum offero.

26. Fide mea me suscipe,
Nato tuo restitue,
Mea infelix anima
Ne sit in fine perdita.

27. Praesta mihi subsidium,
Dum hoc suspiro saeculum;
Et cum recedet spiritus,
Adesto castis precibus.

28. Nam te orante, domina,
Sanctorum surgent milia,
Si tu sola silueris,
Vox nulla erit aliis.

29. Nam es regina caelitum,
Rectrix, redemptrix omnium,
Noli silere, domina,
Esto mihi propitia.

30. Non vult enim me perdere,
Qui me redemit sanguine,
Ille, regina, unicum
Quem genuisti filium.

31. Fac festum eius angelis,
Fac nunc vacare gaudiis,
Mea enim conversio
Fiet eis laetatio.

32. Et conversum a vitiis
Custodi, Dei genetrix,
Me cunctis locis protege,
In viam pacis dirige.

33. Stantem, sedentem corrige,
In cunctis factis dirige,
Manum sacratam porrige
Labentem nec non erige.

34. Marina stella, obsecro,
Serva me maris taedio,
Aufer a me periculum,
Ut vales et scis indigum.

35. Vales enim prae omnibus,
Quos praecellis virtutibus.
Tu angelorum domina
Et prophetarum gloria,

36. Apostolorum, martyrum,
Confessorum et virginum
Nec non sanctorum omnium,
Ut est ordo caelestium,

37. Quorum iuncta consortio
Ora pro me miserrimo,
Solve mei miseriam
Et impende clementiam.

38. Ab hoedis tristem eripe
Et ovibus intersere,
Fac me gaudere floridis
Paradisi deliciis,

39. Ut Christi vocem audiam,
Per quam regnum possideam,
Per te, regina omnium,
Virginitatis speculum.

40. Audi, Christe piissime,
Patris matrisque unice,
Illius absque termino,
Istius in hoc saeculo,

41. Audi matrem piissimam,
Quam sic fecisti inclitam.
Haec est, cuius visceribus
Dulcis prodisti dulcibus.

42. Dulcedinem inveniam,
Quam in te spero unicam.
Tu es enim suavitas
Et singularis pietas.

43. Adiuro te, rex, iterum
Per hoc nomen mirificum,
Cunctis rebus terribile,
Cunctis saeclis mirabile,

44. Ut sit mihi proficuum
Et avertat periculum,
Cumque micabit terminus
Omnium rerum caelitus,

45. Eius mihi confessio
Sit scelerum remissio,
Et adipiscar veniam
Evadendo sententiam.

46. Nec imputes stultitiae,
Rex Christe clementissime,
Quod nominare audeo,
Exponere quod nequeo.

47. Legem enim necessitas
Neque habet adversitas.
Vale, redemptor omnium,
Generale dominium,

48. Vale, beata trinitas
Et triplicata unitas,
Vale per omne saeculum
Et dele massam scelerum.

49. Salve, tu Dei genetrix,
Virgo inaestimabilis,
Salve, caelestis pietas
Et pietatis caritas,
Sis servi tui, deprecor,
Immeriti non immemor.

Orat. ms. Benedictin. (Monial.) saec. 12/13. Cod. Capit. Scaffnaburgen. 181. A. — Orat. ms. incertae orig. saec. 12. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 266. B. — 2, 1 Salveto Dei B; vgl. 49, 1. — 5, 2 Virgo B. — 4, 3 prae omnium B. — 5, 3 Nec solum unum vitium A; Nec istud modo vitium B. — 6, 3 misera A. — 6, 4 Assidua A. — 7, 2 malus B. — 8, 3 aures beatae Mariae A; aures sanctissimae B. — 9, 3 Et sit A. — 9, 4 quaero prae omnibus AB. — 11, 1 Ne sit mihi A. — 12, 2 Me subter se discerperet B. — 12, 4 contraria. — 13, 3 Perversa, mendax, invida B. — 13, 4 cupida B. — 14, 2 Studensque semper A. — 16, 3 Cum B. — 19, 1 meis B. — 20, 2 socia A; Si horum B. — 20, 3 miseram A. — 21, 1 lactata A. — 21, 2 nutrita A. — 21, 3 infernale A. — 23, 3 misera effugiam A. — 23, 4 expetam A. — 24, 1 Cum peccator B; Sum peccatrix A. — 25, 4 me ancillam offero A. — 29, 1 caelorum A. — 31, 4 Fiat A. — 34, 2 Servare maris B. — 34, 3 Aufer mihi B. — 34, 4 indigam A; indignum B. — 35, 2 Quas A. — 37, 2 miserrima A. — 40, 3 Illiusque B. — 43, 1 Adoro te B. — 43, 2 mirificum tetragrammaton A. — Str. 47 fehlt A. — 49, 5 Sis ancillae tuae obsecro A. — 49, 6 Iam meritis non A. — Ein Bruchstück dieses Liedes siehe Anal. XXXII, 193. In B schliefst sich an dies Lied unmittelbar Nr. 130 an. — Die Kollation von B nach Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

135. De Beata Maria V.

1. Maria, virgo regia,
Sponsa regis et filia,
Quam Dei sapientia
Elegit ante omnia.

2. O benedicta femina,
Universorum domina,
Summi regis arcaria
Et eius secretaria,

3. Dei reclinatorium
Et eius consistorium,
Armarium paracliti,
Sacrarium altissimi.

4. Domus regis eburnea,
Eius interna camera,
Quam dedicavit caelitus
Missus ab eo spiritus,

5. Maria, fons iustitiae
Et vena indulgentiae,
Casti pudoris cumulus
Ac pietatis titulus.

6. Caritatis signaculum,
Totius boni speculum,
Aurora veri luminis,
Arca divini seminis.

7. Columba placidissima,
Turtur, avis castissima,
Cui faber Deus aureas
Praeparavit murenulas,

8. O margarita candida,
O stella mundi splendida,
Vera eius pacifera,
Facta caeli clavigera,

9. Tu paradisi porta es,
Ad caelum scala facta es,
Per quam Deus ad homines,
Ad Deum scandunt homines.

10. In domo Dei supera
Oliva es fructifera,
Tu cella olearia,
Repleta Dei gratia,

11. Aromatum areola,
Ab hortulano consita,
Tu in horto arbuscula
Salubris, aromatica.

12. Aeterni sponsa principis,
Tu affluis deliciis,
Decora et spectabilis,
Tota desiderabilis.

13. In Salomonis ferculo
Tu es lignum de Libano,
Columna es marmorea
De base surgens aurea.

14. Turris David fortissima,
Quae habet propugnacula,
Contra Damascum respicis,
Cives regis ac protegis.

15. Tu frigus idolatriae
Et gelu ignorantiae,
Tu Aquilonem deicis,
Cum regem Austri concipis.

16. Sublimis es puerpera,
Virga Iesse florigera,
Flos ille tuus filius,
Ortus ex tuis ilibus.

17. Cui caeli servit solium,
Tu genuisti filium,
Creatura principium,
Deum, regem mancipium.

18. Mira regis humilitas,
Miranda tua sanctitas!
Qui tua suxit ubera,
Caelo locavit sidera.

19. Lucis solaris artifex
Sub sole homo factus est
Et, qui creavit omnia,
Creatur inter omnia.

20. Qui erat sine tempore,
Humanatur in tempore,
Et verbum invisibile
Per carnem fit visibile.

21. Ut sexus omnis gaudeat,
Ut Dei laudes ambiat,
Puer ille, qui nascitur,
Femina, unde nascitur.

22. Laetetur ergo femina,
Sua solvuntur crimina;
Quod in Eva peccatum est,
In Maria donatum est.

23. Virgo quae caret macula,
Tersit eius piacula,
Mater per suum filium
Evae tulit opprobrium.

24. Quam benedicta virgo es
Inter omnes mulieres,
Quae mediatrix facta es
Inter Deum et homines!

25. Quam capax tuus uterus,
Quam magnus urbis ambitus,
Quo Deus et ecclesia
Laeti celebrant nuptias!

26. Quam laeta haec coniugia
Et quanta plena gratia,
Ubi sponsus, qui filius,
Pater et ipse dominus!

27. Qui sibi matrem eligit,
Sponsam eandem perficit,
Ex eius ortus semine
Suo lustravit sanguine.

28. Tanti pompam mysterii
Laeti celebrant angeli,
Dum Deo canunt gloriam
Terrisque pacem nuntiant.

29. Et tu, mater sanctissima,
Virgo gloriosissima,
Dum sedes ad praesaepia,
Cantas epithalamia.

30. In iubilo psalterii
Assumpta tuba ductili
Dulci cantu et supplici
Vagitus tenes pueri.

31. Quam laeta tympanistria,
Quae sua canit gaudia,
Inter sua convivia
Sancta discurrit saltria!

32. Laeta stupet mysterio,
Quo mater nubit filio,
Ubi ancilla domino
Et humilis altissimo.

33. Quicunque fidei brachiis
Dei cultum amplecteris,
Tantam pensa potentiam
Et admirare gratiam.

34. Tu non eras, creavit te,
Tu lapsus es, erexit te,
Ut dives caelo fieres,
In terra pauper factus est.

35. Terra transit in hominem,
Homo in Dei subolem,
Ut homo Deus fieret,
Deus homo effectus est.

36. Assumens carnis pallium
Carnis extinxit vitium,
Secus decursus fluminum
Lignum fuit firmissimum.

37. Exsultat fortis ut gigas
Mundi percurrens semitas,
Suo exemplo currere
Et mundum docens vincere.

38. In summi patris vinea
Vitis fuit plenissima;
Iudas per avaritiam
Distraxit hanc vindemiam.

39. Iudaeus prelum posuit,
Sanguis et unda profluit;
Inde te, homo, abluit
Et paradiso reddidit.

40. Botrus ille dulcissimus
In vecte crucifigitur,
Incredulus confunditur,
Sed christianus pascitur.

41. Quot lacrimarum rivulos
Tuos lucentes oculos
Dicam fudisse, domina,
In cordeque suspiria,

42. Cum tuum, mater, unicum
Pati vides suspendium,
Dira transpunctum lancea,
Corona saeptum spinea,

43. Agnum de tuo semine
Rubro vernante flumine
Inter manus carnificum
Torqueri hominem-deum!

44. Quot edidisti gemitus,
Quando tibi vicarius
Pro magistro discipulus,
Pro rege datur famulus!

45. Doloris acutissimo
Transverberata gladio
In passione filii,
Mater, martyr efficeris.

46. Sciebas quidem, domina,
Afflata Dei gratia,
Quia de morte filii
Salus manaret homini,

47. Quod mortis abolitio,
Quod vitae reparatio
De hoc crucis mysterio
Exiret omni populo,

48. Quod agnus obit innocens,
Ut mortis vincat principem,
Ut mortem mors exterminet,
De morte vita pullulet.

49. Sciebas, quod in filio
Mundi esset redemptio,
Quod de hoste victoria,
De passione gloria.

50. Maternus tamen animus
Pios effundit gemitus,
Et insitiva caritas
Dulces extorquet lacrimas.

51. Redemptionem hominum
Plenum habebas gaudium,
Sed tua carne genitum
Prosequeris per gemitum.

52. Sed et salvantis gratiam
Ac pietatis unicam
Dum attendens circumspicis
Et admirans amplecteris,

53. De pietatis opere
Egrediuntur lacrimae,
Pro salvatrice gratia
Pia mentis angustia.

54. Hunc, mater, mihi filium
Praesta, quaeso, propitium,
Fac, mihi manum porrigat,
Me male lapsum erigat.

55. Ego peccator sordidus
Lepraque turpi tabidus,
Omni leproso turpior,
Omni nequam miserior,

56. Cururri per nefaria
Iniquitatis opera,
Non declinavi omnia
Pollutionis genera.

57. Quod culpae est, quod criminis,
Nunquam implere destiti,
Omni reatu sordui
Et omni sorde putui.

58. In torpore socordiae,
In foetore malitiae
Ut iumentum in stercore
Longo cubavi tempore.

59. Iam pro natura vitium,
Iam versum est in habitum,
Iam rationis oculus
Caligine confunditur.

60. Sed ora, precor, filium,
Ut per lucis collirium
Malam tollat albuginem
Et mentis hebetudinem.

61. Per spiritalem faculam
Solvat peccati nebulam,
Ad sequendam iustitiam
Lucem refundat perditam.

62. Det aspernari noxia
Et amplecti utilia,
In me confringat omnia
Lutulenta negotia.

63. Sic me transire faciat
Huius mundi tendiculas,
Ne me captum retineat
Saecularis illecebra.

64. Sit mihi ductor, sit via,
Qua revisatur patria,
In qua pater et filius
Regnant cum sancto spiritu.

Orat. ms. Benedictin. (Monial.) saec. 12/13. Cod. Capit. Scaffnaburgen. 181. A. — Collect. ms. saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. B. — 4, 2 in terra B. — 5, 1 Maria splendor gratiae A. — 12, 3 es spectabilis AB. — 20, 4 Crescescens fit B. — 21, 2 Et Dei B. — 22, 3 sq. fehlen B. — 27, 4 Sine virili sanguine B. — 28, 3 Cum B. — 29, 3 Cum sedes B. — 31, 4 psalteria B. — 33, 4 factus es B. — 36, 3 Tuo B. — 38, 2 Unde B. — 40, 1 Quos A. — Nach 41, 4 in B nur noch 51, 3 und 4; 52, 1 und 2 und 53. — 43, 1 Quos edidisti geminus A. — 51, 3 Cum B. — 53, 4 De male B; lapsam A. — 54, 1 peccatrix sordida. A. — 54, 2 tabida A. — 62, 3 captam A.

136. De Beata Maria V.

1. Ave, virgo gloriosa,
Sponsa Dei speciosa,
Summi regis thalamus,
Templum sancti spiritus,
Creatoris omnium
Genetrix et filia,
Es solamen peccatorum
Et iustorum gloria.

2. O Maria, stella maris,
Medicina salutaris
Corporis et cordium,
In hac valle lacrimarum
Sis dux et propitia,
Ut in fine sine fine
Mereamur pervenire,
Ubi sancti voce pia
Cantant Ave Maria.

Collectan. ms. S. Mariae Rivipellensis saec. 13. in. Cod. Parisin. 5132.

137. De Beata Maria V.

1. Ave, virgo, mater pia,
Dei genetrix Maria;
Ave, diu praedicata
Et figuris demonstrata.

2. Ave, virgo patri cara,
Plus quam sol et stella clara,
Ave, Christi mater munda,
Sancto spiritu fecunda.

3. Ave, virgo gloriosa,
Dei mater speciosa,
Ave, caeli nitens porta,
Per quam terris lux est orta.

4. Ave, virgo Deo grata
Et ab ipso consecrata,
Ave, pulchra plus quam luna,
Quam fideles petunt una.

5. Ave, virgo praeelecta,
Dei genetrix effecta,
Ave, omni labe pura,
Desperatis spes futura.

6. Ave, virgo admiranda,
Iam a cunctis veneranda,
Ave, decens et decora,
Clarior lucis aurora.

7. Ave, virgo et intacta,
Salvatoris mater facta,
Ave, cunctorum regina
Et dolorum medicina.

8. Ave, virgo benedicta,
Incorrupta mater dicta,
Ave, clemens et serena,
Pietate semper plena.

9. Ave, virgo, maris stella,
Quae post partum es puella,
Ave, fulgens margarita,
Per quam nobis data vita.

Collect. ms. liturgicum incert. orig. saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. — 1, 3 Que diu. — 2, 2 sol et caelo clara. — 3, 4 Per quam caelis lux. — Abschrift von André Carrère S. J.; vgl. Revue des langues Romanes 1895, p. 121. Verbunden ist mit dieser Dichtung der Rhythmus „Vale virgo regia“, der offenbar ein Ganzes für sich bildet.

138. De Beata Maria V.

1. Vale, virgo regia,
Dei plena gratia;
Vale, Iesse virgula,
Florida per saecula.

2. Vale, stirps Davidica
Et mater deifica,
Vale, decus virginum,
Quae portasti Dominum.

3. Vale, mater Domini,
Grata sancto flamini;
Vale, caeli domina,
Nostra delens crimina.

4. Vale, quae per filium
Es salus fidelium,
Vale, expers criminis,
Mater veri luminis.

5. Vale, in quam caelitus
Venit sanctus spiritus,
Vale, quae caelestia
Regis et terrestria.

6. Vale, per quam Dominus
Delet nostrum facinus,
Vale, vita saeculi
Et spes vera populi.

7. Vale, sole clarior
Atque luna pulchrior,
Vale, plus quam lilium
Candida convallium.

8. Vale, semper floribus
Redolens prae omnibus,
Vale, virgo habilis,
Mater ineffabilis.

9. Vale, virgo inclita,
Iuxta Christum posita,
Vale, super aethera,
Pia gestans viscera.

10. Vale super omnia,
Omni digna gloria,
Vale, quae peccantium
Misereris omnium.

Collect. ms. incert. orig. saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. A. — Collect. ms. incert. orig. saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1544. B. — Str. 1—6 inkl. fehlen B. Nach Str. 10 fügt dieses bei:

Virgo perennis, ave, qua mundus solvitur a Vae,
Porta salutis, ave, per quam patet exitus a Vae;
Venit ab Eva Vae; Vae quae tollis, ave!

In A verbunden mit dem Rhythmus „Ave, virgo, mater pia". Abschrift daraus von André Carrère S. J.; vgl. Revue des langues Romanes 1895, p. 121 sq.

139. De Beata Maria V.

1. O regina sanctitatis
Et magistra pietatis,
Disciplina veritatis,
Instrumentum bonitatis,
Nutrimentum libertatis,
Documentum lenitatis.

2. Audi preces, quas fundimus,
Te placare contendimus,
Quam semper offendimus,
Nosmetipsos confundimus,
Non peccata defendimus,
Cicatrices ostendimus.

3. Tibi, mater, quam laesimus;
Quidquid enim commisimus
In fide, quam promisimus,
In te, pia, peccavimus
Nec te pie vocavimus,
Cum a bono vacavimus.

4. Tu diadema regium,
Tu miseris refugium,
Contra hostes praesidium
Et suave remedium,
Confer nobis auxilium
Et utile consilium.

5. Placare cura filium,
Qui lumen est fidelium.
Audi, virgo virginum,
Quae lactasti Dominum,
Verum lumen luminum,
Redemptorem omnium,

6. Preces supplicantium,
Sese accusantium,
Te desiderantium,
Ad te suspirantium,
Per te dimicantium,
In te gratulantium,

7. De te praesumentium,
In te confidentium,
Lacrimas fundentium,
Misere gementium,
Amare dolentium,
Vere paenitentium.

8. Virgo beatissima,
Sanctarum sanctissima,
Piarum piissima,
Dulcisque dulcissima,
Magnarum permaxima,
Mater amantissima.

9. Singularis femina,
Dominarum domina,
Dele nostra crimina
Et tuorum nomina
[Per tua iuvamina]
[Scribe] vitae pagina.

10. Attende suspiria
Ad te suspirantia,
Comple desideria
Te desiderantia.
Innumerabilia,
Tuis odibilia

11. Vitiorum retia
Disrumpe propitia,
Ut caeli palatia
Ingressi te praevia,
Calcata superbia
Et eius familia,

12. Absorpta miseria
Et omni penuria,
Cum summa victoria
In caelesti curia
Regnemus in gloria
Per aeterna saecula.

Collect. ms. incert. orig. saec. 13. in. Cod. Tolosan. 871. — 9, 6 Suis in vitae pagina. — 11, 6 Ut eius. — Abschrift von André Carrère S. J.; vgl. auch Revue des langues Romanes 1895, p. 123.

140. De Beata Maria V.

(Figurae veteris Testamenti.)

1. Gaude, virgo laudabilis,
Gaude, mater mirabilis,
Nati per exordia,
Dei mater et filia,
Ipsi nos reconcilia
Impetrando gaudia.

2. Gaude, mater virginalis,
Gaude, virgo triumphalis,
Per Dei potentiam,
Inter matres nulla talis,
Nato consubstantialis
Per carnis materiam.

3. Post esum pomi vetiti,
A sponsa sponso traditi
Serpentis astutia,
Post collatam miseriam
Traheris in memoriam
Praemunis malitia.

4. Praedixit Deus veteri
Serpenti caput conteri
Muliebri capite;
Tu caput es femineum,
Concalcans vipereum
Paupertate divite.

5. Sponsis serpens mortem parat,
Frater fratris caput arat
Vulnere letifero;
Fratricida fit Iudaeus,
Cum mortem passus est Deus
Ligno salutifero.

6. De lumbis Adae prodiens,
Ab arcae claustris exiens
Successorum germine,
Collata benedictio
Tua multiplicatio
In sanctorum agmine.

7. Dumque patris nuda videt
Cham pudenda, male ridet
Sibi dans opprobrium,
Deridentes facta Dei
Crucifixi sic Iudaei
Sibi dant exitium.

8. In filio iucundare,
Promisso filio Thare
Procedente tempore,
Tres videns unum honorat,
Cibos ponit et adorat
In prostrato corpore.

9. Theos Abrahae sic dicam:
Benedicens benedicam
In data progenie,
Nam filium Sarae dabo,
Ismael multiplicabo
Numero familiae.

10. Sacerdos magnus, rex Salem
Vini, panis immortalem
Placat sacrificio;
Sic verus sacerdos fratri
Misertus obtulit patri
Se crucis supplicio.

11. Tu es odor agri pleni,
De quo memoria seni
Caligatis oculis,
Postremum benedicenti
Placet Deo et parenti
Fitque notum saeculis.

12. Videns Deum Iacob luctat,
Benedictus sic eructat:
Vidi Deum facie;
Datur nomen, salus datur
Et nobiscum minoratur
In humana specie.

13. Redemptorem Christum credit
Iob temptatus nec recedit
A fidei solio,
Resurrecturum se clamat
Et visurum se, quem amat,
Ultimo iudicio.

14. A patre missus accedit
Ad fratres Ioseph, recedit
Venditus in pretium.
Noster a patre descendens
Verus Ioseph fit ascendens
Post crucis supplicium.

15. Primus Ioseph venumdatus
Honoratur et temptatus
Profecit scientia,
Noster pie humanatus,
Temptatus et cruci datus
Resurgit potentia.

16. Fraternitas non cognoscit
Fratrem, nec minus ignoscit
Humilis in prosperis;
Ab angelo minoratus
A proximis ignoratus
Miseretur miseris.

17. Dixit Iacob: Princeps erit
Iudas nec stirpi deerit
Sceptralis potentia,
A gentibus exspectatus
Donec veniet rex natus,
Dei sapientia.

18. Rubum videt inflammatum
Moyses nec minoratum
Pastor factus ovium;
Stat rubus in incendio,
Sic stat in puerperio
Virgo gignens filium.

19. A servitute lutea
Surgens abit gens Hebrea
Sequens Dei famulum;
Ab inferni potentia
Redemit sapientia
Deus Dei populum.

20. Dat Hebraeis salutare
Nubis, ignis luminare
Auferendo devium;
Sic geminat in renatis
Luminare caritatis
Pellens omne noxium.

21. Manna mandunt in deserto,
Carnes pluunt in aperto,
Tollitur inopia;
Manna replet vas aureum,
Sic uterum virgineum
Deus Dei copia.

22. Pontificis virga floret,
Fructificat, cum ignoret
Naturae suffragium;
Virgo, natura mirante
Illibata post et ante
Dei paris filium.

23. Per Balaam appellaris
Stella Iacob, lux solaris,
Luminis initium;
Ex Israel surgens domo
Praeparans Deus et homo
Ducibus exitium.

24. Turbis inquit legislator:
Post me surget profanator,
Tamquam me suscipite;
Prophetam qui recipiet
Venturum, nunquam periet
A sanctorum tramite.

25. Signa quaerit, dantur signa
Gedeoni duo digna,
Pluvia madentia;
Ibi Deus a simili
Divina confert humili
Rorans beneficia.

26. Samson ducit alienam,
Revocat Christus egenam
Gentium ecclesiam;
Samson urbis claustra tulit,
Inferni Christus abstulit
Captivam familiam.

27. Anna sterilis a pari,
Cum te vidit fecundari,
Grates agit Domino;
Praedicit Christum regnare
Et deinceps iudicare
Ignorato termino.

28. Regem dedit Israeli
Loquens Deus Samueli
Facie ad faciem;
Reprobat, cum non obedit,
Deus hunc, alterum dedit;
Cognitus per speciem.

29. Regnat David et post eum
Regnare promittit Deum
Deus suo semine;
Semen David assevero
Verbum in homine vero,
De te natum virgine.

30. Ego flos campi, lilium
Sum, Deus, et convallium
Spes, salus humilium.
Tibi, mater, virginitas,
Tibi, virgo, fecunditas,
Duplex beneficium.

31. Salomonis consecrata
Mulier quaerit a data
Frui sapientia;
Sterilis et viduata
Ad Christum est revocata,
Cedit idolatria.

32. Veniet rex, inquit illa
Austri regina Sibylla,
Sceptra praebens regibus,
Novus nova signa dabit
Et in fine iudicabit
Cum suis principibus.

33. Iuxta vaticinium
Isaiae filium
Profers maris nescia;
Rorat caelum, nubes pluunt
Salvatorem et effluunt
Eius beneficia.

34. Novum fecit Deus mirum,
Cum tu sine viro virum
Concepisti, femina;
Placantem genus hominum
Deo patri tu Dominum
Peperisti, domina.

35. Clausam vidit portam sera
Ezechiel et revera
Notatur sacrarium;
Clausa semper exstitisti
Parens, Deo tribuisti
Humile refugium.

36. Adventu sancti sanctorum
Cessabit circumcisorum
Regalis inunctio,
Fiat licet temporalis
Eius virtus, triumphalis
Sic sanctorum natio.

37. Signum datur sannianti
Regi lapis, ignoranti
Lapidis officium;
Lapis Christus struens reges,
Idolatris novas leges
Dans vitae commercium.

38. Tres illaesi sunt ab igne,
Quia Deus suos digne
Salvat salvans omnia;
Patri, nato, paraclito
Laudes referunt subito
Sopita calumnia.

39. Mira videns mira refert
Rex indignus, cui defert
Superna clementia;
Quantus, inquit, Dei natus
His apparens miseratus
Adest cum laetitia.

40. Sic eructat Virgilius:
De caelo natus filius
Et nova progenies
Procedet tam subtilius,
Quam ipse mirabilius
Novat novas facies.

41. De te, virgo singularis,
Prodit lapis angularis
Aptus aedificio,
In structura, cum surrexit,
Duas uno circumtexit
Gentes beneficio.

Serm. mss. incert. orig. saec. 13. in. Cod. Oxonien. Laud. miscell. 269. add. saec 13. ex. — 21, 1 Magna mandunt. — 21, 4 Magna replet. — 35, 2 Iezechiel. — 36, 6 sanctorum facio. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

141. De Beata Maria V.

1. Ad sermonem nostrae laudis,
Miseris quas nunquam claudis,
Aures tuae pietatis
Nunc inclina,
Orbis terrarum regina.

2. Dona nobis intellectum,
Ut loquamur, quod est rectum,
Ne iuxta pravorum morem
Incidamus in errorem.

3. Fac, vox nostra sit sonora,
Quo te laudet omni hora,
Et concelebret mens munda
Laudatione iucunda.

4. Mater Dei o benigna,
Angelorum laude digna,
Non ad plenum tua gesta
Cuiquam sunt manifesta,

5. Tua facta nec referre
Gens valet totius terrae,
Dum quisque pro posse suo
Psallit in honore tuo.

6. Si quis preces pro peccato
Adfert, has praesenta nato,
Offerre quae tibi cernis,
Mente devota non spernis.

7. Virgo sancta, mater Dei,
Ad quam confugiunt rei,
Ab his poenis, quas meremur,
Tua prece liberemur.

8. Splendor expers tenebrarum,
Quo processit lumen clarum,
Maria, virgo beata,
Sic fuit in mundo nata.

9. Orta genere regali
Gratia spirituali
Affluenter est imbuta,
Servans legis instituta.

10. Haec diligenter nutrita
Et honeste custodita,
Ioseph sancto desponsata,
Permansit inviolata.

11. Gabriel, Dei electus,
Ad quam est post haec directus,
A quo pulchre salutata
Erubuit perturbata.

12. Verbis consolatur blandis,
Documentis venerandis
Ab angelo edocetur,
Quod mater Dei vocetur.

13. Cui sic respondet illa:
Ecce, Domini ancilla,
Fiat mihi, ut dixisti,
Sim genetrix Iesu Christi.

14. O puerpera sublimis,
O sancta, laudanda nimis,
Cui mysterium caeleste
Creditur angelo teste.

15. Suscipiens illud Ave,
Dulce verbum et suave,
Quod cunctis nimis est mirum,
Concipis nesciens virum.

16. Est tuum corpus intactum
Templum Dei in te factum,
Quem revera genuisti
Et [tuo] lacte pavisti.

17. Caelum, terram gubernantem
Dum conspiceres reptantem,
Piam dextram porrigebas
Et sustinens erigebas.

18. Hic in cunis dum vagiret,
Blandimentis, ut dormiret,
Saepius obtinuisti
Et pannis operuisti.

19. Mater Dei atque nutrix,
Esto nobis nunc adiutrix,
Sicut nos cognoscis velle,
[Et] peccata procul pelle.

20. O nova res et miranda,
Per saecula memoranda,
Qui terram palmo concludit,
Cum virgine matre ludit!

21. Qui caeli continet thronum
Et a quo est omne bonum,
Quemadmodum illi placet,
In sinu puellae iacet.

22. Quae laetatur, sicut debet,
Et oscula ei praebet,
More feminei sexus
Nato suo dat amplexus.

23. A quibusdam dubitatur
Haec viro cur desponsatur;
Dicamus, ne quis ignoret,
Nimirum, ut custos foret.

24. Demonstrat sancta scriptura,
Istud factum propter plura,
Scilicet, ut hunc antiquus
Non cognoscat inimicus.

25. Nam si vere cognovisset,
Deum non crucifixisset,
Pretio sanguinis empti
Nec fuissemus redempti.

26. Dedit illi Deus tale
Solacium maritale,
Ne corupta crederetur
Et ob hoc lapidaretur.

27. Princeps virginum, Maria,
Per te reddita est via,
Quam clauserat nobis Eva
Pro suasione saeva.

28. Forma, decus puellarum
Et sanctior feminarum,
Regem, iustitiae solem,
Gaudens esse tuam prolem.

29. Ut sanctus evangelista
Fideliter dicit ista,
Deum verum incarnatum
Confitemur tuum natum.

30. Verba, quae dixit propheta,
Cognoscimus adimpleta,
Dat Deus benignitatem
Propter suam caritatem.

31. Terra nostra dedit fructum
De caelestibus adductum,
Quo cibati et refecti
Universi sunt electi.

32. Hanc, ut psalmista praedixit,
Terram Deus benedixit,
Avertens captivitatem
Et dans nobis libertatem.

33. Praefulgida maris stella,
Iesum Christum interpella,
Ut tua prece placatus
Nostros expurget reatus.

34. In mundo pro quo pressuram
Tu sustinuisti duram,
Martyrium passa forte
Illius conspecta morte.

35. Capta nimio maerore,
Sauciata es dolore,
Dum dator aeternae lucis
Toleraret poenam crucis.

36. Tu assumptionis hora
Consurgens velut aurora,
Sicut cunctis est compertum,
Mundum relinquis desertum.

37. Adest angelorum coetus,
Et Iesus occurrit laetus,
In caelesti throno secum
Te locans, ut fuit aequum.

38. Inter claras margaritas,
In caelesti sede sitas,
Das fulgorem claritatis,
Nil habens obscuritatis.

39. Sancta sic glorificata,
Dilue nostra peccata,
Rogans regem sempiternum,
Ne cadamus in infernum,

40. Regnum quo possideamus,
In quo semper gaudeamus
Cum agminibus sanctorum
Per saecula saeculorum.

Collect. ms. incert. orig. (Gallicum?) saec. [12. et] 13. Cod. Bernen. 702. — 6, 2 quas praesenta. — 19, 1 et nutrix. — 25, 1 cognovissent. — 25, 2 Dominum non crucissent. — 27, 1 virginum regina. — 29, 2 dicit ita. — 36, 4 relinquisti. — 40, 1 Regnum ergo possideamus. — Die Handschrift überschreibt das Gedicht: S. Gregorius de beata Maria. Selbstverständlich ist dasselbe höchstens aus der zweiten Hälfte des elften, wahrscheinlicher erst aus dem 12. Jahrhundert. 15, 2 zitiert die Sequenz: Verbum bonum et suave.

142. De Beata Maria V.

1. Stillat in stellam radium
Caeleste stillicidium,
  Mel stillans, quo nil melius,
Virginale praecordium
Praeter naturae studium
  Dum replet Dei filius.

2. Gaudet virgo, quae filium
Patrem parit humilium,
  Praeter quem non est alius;
In luctum vertit gaudium
Crucis sustinens taedium
  Stella praesente radius.

3. Maternum cor fit anxium,
Dum videt, quod supplicium
  Filius sentit anxius.
Nam propitiatorium,
Sacri cordis sacrarium,
  Percussit ipse gladius.

4. O virginale lilium,
Rosa per hoc martyrium,
  Donum nacta beatius,
Ora patrem, pia, pium,
Post huius vitae stadium
  Ut sit nobis propitius.

Collect. ms. Gallicum saec. 13. Cod. Parisin. fr. 25408.

143. De Beata Maria V.

1. Salve, parens adornata
Virtutibus et signata
Signo pudicitiae,
Praeclectum vas honoris,
Sanctissimum vas odoris,
Vas omnis munditiae.

2. Vas decoris, vas sacratum,
Vas splendoris, deauratum
Auro sapientiae,
Vas prae cunctis sublimatum,
A Deo miseris datum
In necem miseriae.

3. Vas sine pari formatum,
Omni bono perornatum,
Plenum omnis gratiae,
Vas mundatum, nos emunda,
Saepe munda et remunda,
Vas misericordiae.

4. O theotocos, flos florum,
O redolens arca morum,
Tu candes ut lilium;
Parum dixi, nam candore
Nivem vincis et odore
Omne aromaticum.

5. O electa spreta Vasthi,
Gentem tuam liberasti
Aman morti tradito,
O fiscella Mosaica,
Vultum benignum indica
Gregi tibi subdito.
Virgo munda, nos emunda,
Saepe munda et remunda,
Gratis, non ex merito.

6. Salve, mater pietatis,
Adnullatrix vetustatis,
Novae vitae formula.
Salve, virgo, noster [risus],
Archa Noe, paradisus
Et Aaron virgula.
Virgo munda, nos emunda,
Saepe munda et remunda,
Iustitiae regula.

7. Mater dulcis, clemens, pia,
Mundi [salus], caeli via,
Tu Engaddi vinea,
Gemma caeli, mundi rosa,
Proles David gloriosa,
Tu es urna aurea.
Virgo munda, nos emunda,
Saepe munda et remunda
Eruens a framea.

8. Mater veri Salomonis
Atque vellus Gedeonis,
Nos in pace visita,
Quae per rubum designaris
Et regina nuncuparis
Prae omnibus inclita,
Virgo munda, nos emunda,
Saepe munda et remunda
Et nobiscum habita.

9. Felix Anna, iucundare,
Quae meruisti portare
Genetricem gloriae,
Quae puteum sine fundo
Arenti dedisti mundo,
Unde potus veniae.

10. Sancta Lucia, laetare,
Quae parenti sine pare
Servis vera nuntia,
Illi prae amore iuncta,
Servitio rite functa
Pietatis gratia.

11. Sancta Fides cum socia
Elisabeth, matre pia,
Nobis posce veniam,
Ad hoc rei suspiramus,
Te propter hoc exoramus
Et caelestem curiam.

12. Ad te, Maria, redimus,
Quia sine te perimus,
Porta caeli pervia,
Omnis intrans intrat per te,
Hoc scit et videt aperte,
Qui manet in patria.

13. Fac nos immunes a malo,
Quod attulit Eva malo,
Et post mortem in gloria
Nos recipe cum gaudio
Regnaturos cum filio.

Collect. ms. S. Mariae de Noa saec. 13. Cod. Parisin. 3388.

144. De Beata Maria V.

1. Ave, gloriosa,
Dulcis et formosa,
Mater gratiae,
Stirpe generosa,
Prole pretiosa,
Fons clementiae.

2. Gemma pietatis,
Nexus unitatis,
Lanx iustitiae,
Norma sanctitatis,
Dulcor caritatis,
Datrix veniae.

3. Tu laus angelorum,
Speculum tuorum,
Caeli gloria,
Tutrix pupillorum,
Ductrix captivorum
Ad praesidia.

4. Tu maestis solamen,
Aegris medicamen,
Piis praemia,
Lapsis dans levamen,
Salus post certamen
Caeli gaudia.

5. Ave, flos pudoris,
Parens salvatoris,
Plena gaudio,
Donis sacri roris,
Cordis, artus, oris
Carens vitio.

6. Tu virgo sacrata,
Flore comparata
Rosae, lilio,
Moribus ornata,
Vernas sicut prata
Flore vario.

7. Tu es fons salutis
Robore virtutis
Et clementia,
Caecis, surdis, mutis,
Ope destitutis
Das remedia.

8. Tu post Deum prima,
Summis ligas ima
Pacis fascia,
Nobis zeli lima
Culpae purgas zima,
Sis propitia.

9. Ave, margarita
Pura, non polita
Fulgens lumine,
Turris monte sita,
Fortis et munita
Sancto flamine.

10. Tu es benedicta,
Nesciens delicta,
Vatum carmine,
Virga, rubus dicta,
Constans et non ficta,
Sine dumine.

11. Tu sacro pudore,
Sacro fusa rore,
Paris lilium,
Nec te matris more
Cruciat dolore
Puerperium.

12. Tu, virgo beata,
Maria vocata,
Spes fidelium,
Pure salutata
Votis et parata
Te precantium.

13. Ave, vas virtutum,
Salutis imbutum
Aromatibus,
Cui nil hirsutum
Haeret nec pollutum
Culpae sordibus.

14. Tu desiderata
Diu, tandem data
Sanctis patribus,
Viam das post fata
Mente tibi grata
Famulantibus.

15. Tu nautarum stella,
Nautas in procella
Salvans, diceris,
Tu es Dei cella,
Favus stillans mella,
Arca foederis.

16. Tu pons et piscina,
Portus et carina,
Quae prae ceteris
Confers in ruina
Gratia divina
Opem miseris.

17. Ave, puellarum
Speculum sanctarum,
Splendor gloriae,
Praemium sanctarum,
Palma viduarum,
Flos munditiae.

18. Scala peccatorum
Ad regna polorum,
Dono gratiae
Nos per viam morum
Duc ad lucis chorum
Et laetitiae.

Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 119. — 3, 2 suorum. — 5, 4 sacris. — 6, 2 phaona comparata. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

145. De Beata Maria V.

1. Res nova mirabilis,
Virgo semper amabilis,
Virgo venerabilis,
Omnibus comes utilis.

2. Virgo, decus virginum,
Caeleste lumen luminum,
Ave, salus gentium
Firmaque spes fidelium.

3. Virgo, caeli regia,
Referta plena gratia,
Deitatis pluvia
. . . .

4. Virgo super omnia,
Tu dele nostra vitia
Et percepta venia
Perducas nos ad gaudia.

Liber ms. Miraculorum BV. saec. 13. Cod. Parisin. (Arsen.) 3517. — Aus derselben Quelle Gautier, Oeuvres Poétiques d'Adam de St. Victor II, 356.

146. De Beata Maria V.

1 a. Area,
Rosea,
Vinea
Poderis,
Scirpea,
Vitrea,
Laurea,
Aetheris
Lux miseris
Assereris.

1 b. Aurea,
Turea,
Mellea
Nasceris,
Gemmea,
Lactea,
Myrthea
Superis
Et inferis
Extolleris.

1 c. Olea
Iudaea,
Iessea
Diceris,
Tu dea
Nivea,
Laus mea,
Aderis,
Quae flecteris,
Dum posceris.

2 a. Erravimus,
Peccavimus
Et Dominum offendimus,
Id luimus,
Quod lusimus,
Hoc bravio, dum currimus
In stadio, deficimus.

2 b. Sed gemimus
Et petimus,
Ut emundetur animus,
Nam serimus,
Quod fecimus,
Sed ad portum confugimus,
Dum virginem requirimus.

2 c. Rex optimus,
Altissimus
In hac regnat humillimus,
Quo surgimus,
Quo vivimus,
Quo veterem exuimus
Adam, novum induimus.

3 a. Plebi miserae,
Lapsae temere,
Sere
Propere
Nectar ab aethere.

3 b. Prolis liberae
Parens, nitere
Vere
Reddere
Vitam pro munere.

4 a. In te sidere
Detur surgere,
Mente cernere,
Munde vivere,
Iugo subdere
Lasciviae iumentum.

4 b. Caeco vulnere
Nos occumbere
Dat carnis blandimentum,
Sed da vivere,
Da conterere
Vipereum pigmentum.

5 a. Speciosa
Virgo rosa,
Salva peccatores,
Gratiosa,
Virtuosa,
Fac nos meliores.

5 b. Trans clivosa,
Trans saxosa
Rege in amores,
Per spinosa,
Per umbrosa
Dirige cursores.

6 a. Generosa,
Luminosa,
Tuos da fulgores,
Ne lutosa,
Bituosa
Trahant transgressores.

6 b. Animosa,
Gloriosa,
Submove tortores,
Hic annosa
Procellosa,
Stringe percussores.

7. Ave, virgo caelica,
Flos specialis
De stirpe Davidica,
Laus virginalis,
Sponsio prophetica,
Sanguis regalis.

8 a. Lux maritalis,
Spes vidualis,
Da gaudia,
Lux, via
Praevia,
Thalamus decoris,
Mater salvatoris.

8 b. Tu curialis
Pagina moralis,
Tu Maria,
Tu pia
Venia,
Salus peccatoris,
Genetrix pudoris.

8 c. Stella navalis,
Lux verticalis
In patria.
Gloria,
Filia,
Tui genitoris,
Summi conditoris.

9 a. Nostris hostibus
Subrepentibus
Tuis viribus
Subeas,
Niteas
Et nos adeas,
Cynthia fulgoris.

9 b. Tuis precibus
Tersis sordibus
Nostris mentibus
Deleas,
Paleas
Et exhibeas
Pascua viroris.

9 c. Nobis flentibus
Et labentibus
In his rupibus
Advehas,
Augeas,
Nostri foveas
Gratiam vigoris.

10 a. Singularis
Stella maris,
Decor et flos florum,
Sublimaris,
Adornaris,
Vernans aula morum.

10 b. Exemplaris,
Militaris
Vita beatorum,
Popularis,
Praesularis
Laus et spes reorum.

11 a. Virgo parens absque pari
Munda nos, emunda,
Pietate puellari
Nobis inunda,
Mellis . .
. . . . unda.

11 b. In gehenna carcerari
Plebe cum immunda
Nobis absit, sed ornari
Stola iucunda
Fac in Christi
corona rotunda.

12. Propera, libera,
Sanes ut vulnera
Animae mortifera,
Resera, lux, sidera.

13 a. Nostrum desiderium,
O desiderata,
Extingue cauterium,
Quo fervent peccata,
Caro dum incendium
Parit inflammata.

13 b. Sed tu, candens lilium,
Deo conformata,
Flentium refugium,
Absterge reata
. . . .
. . . .

14. Cantica
Lyrica,
Rhythmica finio,
Mystica
Caelica
Cantans in gaudio,
Quiete fruar praevio
Praesidio.

Collect. ms. Vedastinum saec. 13. Cod. Cadomen. 14 (IV° 18). — 1a, 5 Cirpea. — 1c, 6 Vinea. — 1c, 7 Laus manens. — 5b, 3 amore. — 5b, 6 cruores. — 6b, 4 amosa. — 8c, 3 In fehlt. — 9a, 6 nos adhesis. — 9b, 4 Doleas. — 9c, 4 Adveas. — 11b, 3 adsit. — 11b, 4 Stola nos. — 13b, 4 Abstergens rata. — Der Form nach zu urteilen, möglicherweise auch Cantio. Von demselben Verfasser das Lied Veris flos, Herba, ros.

147. De Beata Maria V.

1. Mente gaudens praedicabo
Dei matrem et laudabo,
Tibi carmen decantabo.

2. Cordis mei nosce votum,
Malum a me pelle totum
Et amoris auge votum.

3. Mater, audi et exaudi,
Miserere miseri,
Me nunc cerne nec hunc sperne
Cantum tui servuli.

4. Ave, mater desponsata,
Dei mater praenotata,
Virgo semper illibata.

5. Ave, lumen Simeonis,
Vellus madens Gedeonis,
Sponsa prudens Salomonis.

6. Ave, solis florens hortus,
Stella maris, tutus portus
Et optatus semper potus.

7. Ave, moris disciplina,
Tu caelorum es regina
Et dolorum medicina.

8. Ave, virgo puellarum,
Lux sanctorum et sanctarum,
Per te crescunt nec marcescunt
Flores pudicitiae.

9. Ave, rosa speciosa,
Gemma splendens pretiosa,
Virga Iesse fructuosa.

10. Deum caeli peperisti,
Mundo lapso succurristi,
Nexum mortis denexisti.

11. (O) virgo Dei sanctissima,
Tu pax mundi tutissima
Et vitis fecundissima.

12. O mater virtutum,
Servis tuis scutum
Semper praebe tutum.

13. Ut hostis mali sortes
Ipsi vincant fortes
Nec malorum sint consortes.

14. O Maria, mater pia,
Mundi salus, vitae via,
A te, quidquid gessi,
Virgo, non recessi,
Te in corde gessi.

15. Opem a te quaero,
Mater, nec despero.
Sed iuvamen quaero.

16. Solve meorum
Vincla peccatorum,
Lumen angelorum.

17. O fons indeficiens,
Dulcis et reficiens,
Ad te curro sitiens.

18. Imple desiderium
Cordis et suspirium,
Dulce refrigerium.

19. Tu in me robur insere,
Ut hostem possim vincere
Et tecum semper vivere.

20. O quam beata,
Per quam reserata
Sunt Adae vitia!
O quam laudanda
Mater et amanda
Per quam tanta munia!

21. O quam serena
Virgo, fide plena,
Cuius mira iustitia
Nostra fuit laetitia.

22. Haec despexit haec terrena,
Caelis regnat haec suprema,
Ubi nulla tristitia.

23. Haec est vita mortuorum,
Dulce carmen angelorum,
Interventrix scelerum,
Per quam Christus, rex caelorum,
Vincla solvit peccatorum,
Preces audit contritorum.

24. Haec est illa, quae nescivit
Thorum viri, dum . . . .
Porta patens caelica,

25. Haec est virgo, quae portavit
Deum verum, quem amavit,
Quem laudat plebs angelica.

26. Haec in caelis veneratur
Et in terris adoratur
A plebe catholica.

27. Mater dulcis, nos dignare
Tua laude confirmare
Et virtute roborare.

28. Ne in mundo hoc cadamus,
Te iuvante evadamus,
Lapsi per te resurgamus.

29. Virgo, dulcis parens,
Tactu viri carens.
Modo miro peperisti,
Deum caeli genuisti,
A quo facta tu fuisti,
Post quem virgo permansisti.

30. Tu a Christo es electa
Et ab ipso es protecta,
Cuius mater es dilecta.

31. O res mira, virtus diva
Illibata permansisti,
Natum caelis praemisisti,
Ad cuius dextram resedisti:
Quando mundum reliquisti.

32. Ibi semper veneraris,
Virgo parens, et laudaris,
Quae cum Christo gloriaris.

33. O quam pium est laudare
Dei matrem et amare,
Toto corde suspirare,

34. Quae laudantem protegit
Nec plorantem despicit,
Sed quasi mater respicit.

35. Gaude, mater pietatis,
Gaude, norma caritatis,
Gaude, forma sanctitatis.

36. Gaude, virgo castitatis,
Gaude, templum trinitatis,
In manus tuae pietatis
Me commendo, lux claritatis,
Ut me mundes a peccatis.

37. O virgo
Dei piissima,
Ad me pia
converte viscera.

38. O quae via es filiis,
Tuis succurre servulis,
Cunctis fer opem miseris.

39. Mater dulcis, non me fraudo,
Quando Iesum teque laudo,
Preces audi, carmen claudo.

Lect. ms. Villariense saec. 13/14. Cod. Palat. Vindobonen. 1134. — 25, 2 dum sanivit oder fanivit. Hs.

148. De Beata Maria V.

1. Avc, mea specialis,
Pulchra, suavis, curialis,
Meus amor, spes in malis,
Non est tanta, non est talis,
Tu omnium pulcherrima.
Ave, mater, audi, cara,
Sancta parens, aurem para,
Salutanti, supplicanti,
Te amanti, te laudanti
Tu semper esto proxima.

2. Tu imago Dei viva,
Sanctitatis expressiva,
Vultum tuum rosulentum,
Adornatum, luculentum
Recogito, considero.
Vellem, vellem te sentire,
Quod sis praesens, fac me scire,
Intuentem intuere,
Sinum tuum fac patere,
Me totum tibi offero.

3. Ave, ave, dulcis rosa,
Delicata, pretiosa,
Diligenter inquisita,
Sitienter concupita,
Cur diligentem despicis?
Diu, diu me neglectum,
Praetermitis ut abiectum,
Pia mater appellaris,
Ne in finem irascaris,
Amantes te non decipis.

4. Ave, mea singularis,
Rosa, rosa tu vocaris;
Et quid dicam tuis caris,
Si sperantem aspernaris,
Si diligentem despicis?
Ad te vadam et te quaeram,
Cuius ero, sum et eram,
Quoadusque lacessita
Convertaris vel invita,
Quae diligis, quos eligis.

5. Ave, dico te salutans,
Non ingratum tibi putans,
Signum da, quod sis vicina,
Tuam aurem huc inclina,
Me qualemcunque audias.
Ave, cuius cor amavi,
Vivas, vivas exclamavi
Et cor meum coaptavi
. . . .
Quod nescio, si nescias.

6. Ave, ave tibi dico,
Me habeto pro amico,
Nec sit, cara, tibi grave,
Quod frequento tuum ave,
Nec, qualis sim, memineris.
Ave suave tibi fero,
Te complexus corde mero,
Esto praesens, dum te quaero,
Te praesentem non despero,
Amantem te ne oderis.

7. Ave, mea quam dilecta,
Cuius melle mens allecta
Currit, ardet, gaudet, amat,
Ave, salve, gaude clamat,
Quam dulcis es amantibus.
Ave, clemens advocata,
Sic a tuis es vocata,
Licet vilis sim persona,
Mea tamen tu patrona,
Praesidium in omnibus.

8. Ave, cuius amor mirus,
Qui te fugit, est delirus,
Propter te qui stulti fiunt,
Omne bonum per te sciunt
Agentes vitam liberam.
Tuus stultus esse volo,
Quam ex toto corde colo,
Causa tui si confundor,
Inde laetor et iucundor,
Libènter cuncta sufferam.

9. Ave, bonum magnum meum,
Salus mea tu post Deum,
O amata, o beata,
Semper sis mihi parata,
Nec tua desit gratia.
Ave, ave, quam amare
Est in Christo iam regnare,
Cuius cor ad te pertingit,
Totum se ad te compingit,
Cohaerens cum fiducia.

10. Ave, ave, quam sentire
Est amando te sitire,
Nam tu es in veritate
Maior omni suavitate;
Felices, qui te cupiunt.
Ave, ave, quam nescire
In torpore est perire,
Te qui ardent, ad te vadunt,
In amplexus tuos cadunt,
O quid est hoc, quod sapiunt?

11. Ave, dives et sublimis,
Mea merces magna nimis,
Post laborem, post maerorem
Transfer nos ad tuum florem,
In pratum verni nemoris.
Ave, pro qua non quiesco,
Quam amando iuvenesco;
Tuus amor totus suavis,
Lenis, levis et non gravis,
Impinguans flatum pectoris.

12. Ave, cuius pro amore
Mori vellem in dulcore;
O beata mortis hora,
Ubi ades, o decora!
Quam felix, cui tunc aderis!
Visitari, consolari
Per te sperant tui cari;
De excelsis, virgo, caelis
Mihi tunc adesse velis;
Saluto te, dum veneris.

13. Ave, ave exclamabo
Meque tibi commendabo,
Ave, dicam, ave, pia,
Esto mecum hac in via,
Maria, modo libera.
Cara mea, tunc appare,
O Maria, non morare
Veni . . . . . .
Et me tuo fer dilecto
Porrecta mihi dextera.

Orat. ms. Franciscan. saec. 14. in. (Privatbesitz). — 3, 6 neglectam. — 3, 7 abiectam; dafs die Form zu ändern ist, zeigt 6, 2. — 6, 7 complexa. — 8, 6 Tua stulta. — 12, 5 qui tunc. — Dies Lied ist verwandt mit dem Gedichte Anal. XXXII, Nr. 63, den Liedern bei Mone I, Nr. 123—126 und III, Nr. 1195, und zwar nicht blofs in bezug auf die metrische Form, sondern ebensosehr rücksichtlich der Diktion und der Behandlung des Stoffes.

149. De Beata Maria V.

1. Alma redemptoris
Mater, omnium,
Salus peccatoris,
Spes fidelium,
Quae porta caeli pervia
Manes filia.

2. Stella maris
Vocaris,
Subleva cadentes
Et flentes
In hac via, pulcherrima
Virgo Maria.

3. O quam laudanda,
Beanda
Mater Dei,
Nostrae spei
Domina
Tu propitia!

4. Rosa fragrans
misericordiae,
Pelle pia
Nostra vitia,
Quae genuisti
regem omnium.
Domina
Piissima,
Praesta auxilium,
Tuum, genetrix, filium
Fac propitium.

5. Assis nobis
modo celerius,
Te invocamus,
Laudamus,
Mater, filia,
Nos tuo nato reconcilia,
Virgo vere,
Nostri miserere.

Collect. ms. S. Floriani saec. 13. et 14. Cod. Florian. XI 587. add. saec. 14.

150. Ad Beatam Mariam V.

1. Ave, mater salutaris,
Christi sponsa singularis,
Audi, clara stella maris,
Audi, plena gratia.

2. Benedicta es in caelis,
Christi genetrix fidelis,
Advocata nostra velis
Esse plena gratia.

3. Cunctis semper es amoena,
Virgo dulcis, o serena,
Omni dono tu es plena,
Speciosa domina.

4. De supernis salutata,
Bona mater, cunctis grata,
Virgo manens impraegnata,
Salve, mater gratiae.

5. Eia, fratres, auscultate,
Talem matrem invocate
In vestra necessitate,
Quae est vena veniae.

6. Felix namque es tu dicta,
Christi mater benedicta,
Audi, virgo, mater dicta
Piissima clementiae.

7. Gaude, mundi lux divina,
Gaude, caeli et regina,
Clara stella matutina,
Fons misericordiae.

8. Haec est illa tam decora,
Quae ascendit ut aurora;
Ut conserves omni hora,
Te rogamus hodie.

9. Illa virgo figurata,
Multis dotibus ornata,
Super caelos exaltata
Mater fuit Domini.

10. Kyrie, qui nos fecisti,
Et Mariam elegisti,
Ex qua carnem assumpsisti,
Dans medelam homini.

11. Lux es alta, o Maria,
Peccatorum recta via,
Iesu Christi sponsa pia
Et regina saeculi.

12. Mater, nostra es beatrix,
Afflictorum consolatrix,
Peccatorum liberatrix
Totius periculi.

Brev. ms. S. Bartholomaei Trisulten. saec. 14. Cod. Vatican. 7683. add. saec. 14. — Der Abcdarius scheinbar unvollständig.

151. De Beata Maria V.

1. Qui te orant, o Maria,
Esto sui recta via,
Tuo nato dic, o pia:
Miserere peccatorum.

2. Tu es decus beatorum,
Via, portus viatorum
Advocataque cunctorum,
Florum flos virginitatis.

3. Tu es mater puritatis,
Vas beatae trinitatis,
Plena summae bonitatis,
Paupertatis remedium.

4. Egestorum (es) solacium,
Errantibus refugium,
Peccantibus subsidium,
Aegrotantibus medicina.

5. Clara stella matutina,
Flos et rosa sine spina,
Contemplatio divina,
Salva nos, virgo Maria.

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Capit. Veronen. 823 (819). — Die Schlufszeile jeder Strophe reimt mit den drei ersten Versen der folgenden Strophe; 5, 4 mit 1, 1 ff.

152. Ad Beatam Mariam V.

1. Mater patris et filia,
Supernorum laetitia,
Stella maris eximia,
Audi nostra suspiria.

2. Regina poli curiae,
Mater misericordiae,
In hac valle miseriae
Sis reis porta veniae.

3. Maria, propter filium
Confer nobis praesidium;
Bone fili, prece matris
Dona tuis regnum patris.

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 507. saec. 14.

153. De Beata Maria V.

1. Illustrator cordium
Fit nostrae propaginis,
Salutis exordium
Compictor imaginis.

2. O res nova, mirabilis!
Rosa fraglat lilium,
Ignara viri seminis
Virgo profert filium

3. Hanc domum, portam, tumulum,
O Maria, visita,
Carnis nostrae simillima,
Ad veram vitam excita.

4. Ave, mater gratiae,
Solamen miserorum,
Speculum munditiae,
Purgamen immundorum.

5. Nobile triclinium,
Tu forma virginalis,
Deitatis scrinium
Et flos imperialis.

6. Nunc rore plena gratiae
Nubesque luminosa,
Canticum laetitiae,
Restaura ruinosa.

7. Et vinculum malitiae
Dissolve, dominatrix,
Caelesti militiae
Coniunge, mediatrix.

8. Sis nobis propitia,
Diva pietatis,
Solve nostra vitia,
O decus castitatis.

9. Karitatis vinculo
Nos semper constringe
Et caritatis viscera
Nos indue benigne.

10. Emulos nos facias
Verae castitatis,
Amatores facias
Christi paupertatis.

11. Casta virgo et regina,
Mater salvatoris,
Serva nos a tristi nece
Omnibus in horis.

12. Karbybdis malitiae
Nos nunquam involvat
Et orcus miseriae
Nos non deprehendat.

13. Eia, virgo regia,
Rivus fluens melle,
Tua per suffragia
Mala procul pelle.

14. Nunc virtutum regula,
Genetrix benigna,
Cuncta prece sedula
Comprime maligna.

15. Salve, regis gentium
Sponsa Sunamitis,
Sitim pelle mentium,
Radix verae vitis.

16. Tuum nobis iugiter
Assit consolamen,
Ac in morte firmiter
Prosit adiuvamen.

17. O Christi puerpera
Dulcis et patrona,
Nos peccantes repara
Auferendo vana.

18. Regina dulcis, filium
Pro nobis tunc exora,
Quando suum stimulum
Mors offert sine mora.

19. Fac, o pacis vinculum,
Virgo singularis,
Ut tergantur crimina,
Portus salutaris.

20. Fiat et per gratiam
Nostri salvatoris,
Ut sis piatrix criminum
Pultrixque maeroris.

21. En, tu sole pulchrior
Stella matutina,
Nos famulantes tibi
Serves a ruina.

22. Rogamus ergo supplices
Te, flos virginitatis,
Nam portus indulgentiae
Es, forma sanctitatis.

23. Da nobis tuam gratiam,
Gratiae pincerna,
Ad tuendum propera,
Mergamur ne inferna.

24. Es radix odorifera,
Veniae lucerna,
Purga nos, puerpera,
A labe veterna.

25. Suavitatis poculo
Venenum depellis,
Quod immittit astutia
Maligni versipellis.

26. Te fatemur dominam
Reginamque caelorum,
Secerne nos a loculis
Et poenis infernorum.

27. Regis habitaculum,
Domini Messiae,
Salva nos in stadio
Praesentis huius viae.

28. Ave, o ficulnea,
Dans signum aestatis,
Ad verna aetherea
Duc nos cum beatis.

29. Virgo admirabilis
In conditione,
Assis tuis famulis
Cum protectione,

30. Benigna tu defensio
Tuorum devotorum
Atque salus omnium
Et mater orphanorum.

31. In hoc ergo corpore
Et mundi procellis
Lites aufer cordium
Et finem pone bellis.

32. Nostra nunc precamina,
Virgo, fac iucunda
Christo tuo filio,
Fac corda nostra munda.

33. Gaude, nostrum gaudium
Atque consolamen,.
Patronam nunc rogamus
Mentis per nictamen
Carnis post excidium,
Ne remoriamen
Facias, sed hostium
Vim repellas. Amen.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 39. — 33, 3 Et patronam nunc. — 33, 4 Zu nictamen die erklärende Glosse vigilantiam. — Aufschrift: „Oratio de adiutrice nostra, Maria theotocos, continens hoc nomen Iohannes Keckenstorffer de Straubing in serie capitalium.“ — Iohannes de Straubing war Mönch von St. Peter in Salzburg, prof. 28. Juli 1456, ob. 25. Mai 1501.

154. De Beata Maria V.

1. Deus admirabilis,
Solus immortalis.
Filius spectabilis,
Patri coaequalis,
O inenarrabilis,
Spiritus aequalis,
Trium manens stabilis
Norma socialis.

2. Sempiterna trinitas,
Ens in unitate,
Trinitatis unitas
Pari maiestate,
Perseverans deitas
In aequalitate,
Conformis aequalitas
Una deitate.

3. Eius influentia
Vivimus et donis,
Angelis potentia
Praesidet et thronis,
Nulla differentia
Dominationis,
Unus in essentia
Trinus in personis.

4. Frustra modus quaeritur
Generationis,
Nam quaerens obruitur
Vigor rationis,
Sola fides fungitur
Vi probationis,
Haec et prima ponitur
Pars orationis.

5. O praedestinatio
Profluens abunde!
Deus in palatio
Virginis fecundae
Incarnatur, ratio
Nescitur et unde
Prolis sit donatio
Genetrici mundae.

6. Sola scit mysterium
Incarnationis,
Sola refrigerium
Consolationis,
Sola puerperium
Generationis,
Cuius est imperium
Dominationis.

7. Mater est et dicitur
Virgo prolis purae,
Creator transgreditur
Legem creaturae,
Vincitur, non laeditur
Prima lex naturae,
Auctori conceditur
Uti plus quam iure.

8. Quam felix fecunditas
Virginis praesentis,
Quam perpes integritas
Matris parientis,
Quam mera simplicitas
Angelo credentis,
Quam regit humilitas
Incorruptae mentis!

9. Cellula vinaria,
Rosa sine spina,
Evae tu contraria,
Per te lex divina,
Virtus multifaria,
Virginum regina,
Stella marinaria
Luxque matutina.

10. Praeclusisti devium,
Virgo singularis,
Concepisti praemium
Vitae spiritalis,
Ducem vitae praevium,
Aula virginalis,
Contra mortis taedium
Virgula vernalis.

11. Tu es oris osculum,
Plena caritate,
Mundo dans spectaculum
Cum humanitate,
Solis tabernaculum
Mira claritate,
Dei habitaculum
Salva castitate.

12. Te sanctorum populus
Canit in scripturis,
Nullus vacat loculus
Signis aut figuris,
Es exempli baculus
Novis* et futuris,
Tuae laudis titulus
Multis forma iuris.

13. Deus ex te nascitur
Sub humana veste,
De virga flos oritur
Isaia teste,
Vetus homo moritur
Rigida de peste,
Novum genus solvitur
Criminis a reste.

14. Te figurat mystice
Vellus Gedeonis,
Te designat typice
Rubus visionis,
Tu terra verifice
Repromissionis,
Praelata mirifice
Angelis et thronis.

15. Te mirandam posteris
Textus praedicavit
Testamenti veteris,
Te significavit
Arca vetus foederis,
Urna, quae gestavit
Manna, te prae ceteris
Signis denotavit.

16. Nostrum es sacrarium,
Quos exemplo praeis,
Patens oratorium,
Liber novae legis,
Tu reclinatorium
Mundum summi regis,
Propitiatorium,
Medicina reis.

17. Literarum apices
Tibi famulantur,
Prophetarum ordines
Te vaticinantur,
Te superni iudices
Digne venerantur,
Reges ac pontifices
Per te sublimantur.

18. Verum sed absconditum
Manna tu portasti,
Carne dum reconditum
Deum generasti,
Patribus hoc abditum
Verbum revelasti,
Genus Adae perditum
Sic recuperasti.

19. In te mercimonia
Plena sunt dulcoris,
Perpes castimonia
Nivei decoris,
Patrum sanctimonia
Laudis et honoris
Praebent testimonia
Matri redemptoris.

20. Per te repromissio
Facta consummatur,
Et praevaricatio
Prima relevatur,
Legis excaecatio
Per te declaratur,
Sed et novae datio
Gratiae monstratur.

21. Solamen plangentium,
Spes desolatorum,
Cura delinquentium,
Venia reorum,
Norma te sequentium,
Pausa viatorum,
Vera salus gentium,
Portus naufragorum.

22. Nullus in periculis
Se sentit derelictum,
Sed nec in spectaculis
Mundi se relictum,
Precibus qui sedulis
Cornu gerit fictum,
Orans pro piaculis
Nomen benedictum.

23. Tolle vehementiam
Dirae passionis
Apponendo gratiam
Consolationis,
Moveat clementiam
Vis compassionis,
Mater, fer sententiam
Restitutionis.

24. O Maria, quaerulus
Asto hic peccator,
Tui sancti sedulus
Nominis amator;
O Iesu, puerulus,
Matris et creator,
Asto tibi credulus,
Meus sis salvator.

Collect. ms. Stiriacense seec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 3, 8 Trinis in. — 4, 4 Vigore. — 6, 1 Sola sit. — 10, 1 Praeclusti. — 12, 1 populis. — 13, 8 Omnibus in veste. — 16, 7 Tu propitiatorium. — 17, 3 ordines gegen den Reim; lies indices? — Nach 24, 8 noch: Praestante etc.

155. De Beata Maria V.

1. Ave, plena gratia,
Angelorum domina,
Virgo Maria;
Ave, mundi gloria,
Stella maris fulgida,
Virgo Maria.

2. Consolatrix omnium,
Tu maestorum cordium,
Virgo Maria;
Placa tuum filium,
Creatorem omnium,
Virgo Maria.

3. Salve, beatissima,
Rege cordis intima,
Virgo Maria;
Nostra dele peccamina
Tergens et cuncta crimina,
Virgo Maria.

4. Sana corda saucia,
Dona vitae gaudia,
Virgo Maria,
Post hanc vitam veniam
Ad salvandam animam,
Virgo Maria.

5. Nos commenda filio
Ducens ab exsilio,
Virgo Maria;
Pande caeli ostium
Dans aeternum gaudium,
Virgo Maria.

Orat. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Petrin. a I 14. A. — Ibidem 2°. B. — Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 9. C. — 1, 4 mundi domina A. — 3, 1—3 fehlt A; — 4, 5 Da salvandam AB; Dei salvandam D.

156. De Beata Maria V.

I.

1. O Maria, mater Dei,
Ad te camant omnes rei,
Ut [tu] fundas preces ei,
Qui dat regna requiei.

2. Mater summae pietatis,
Mitte preces pro culpatis,
Roga fontem bonitatis,
Ut det regnum baptizatis.

3. Ad te clamo, qui sum reus,
Non te latet dolor meus,
Te precante Christus Deus
Ut sit suffragator meus.

4. Me agnosco vitiorum
Mole carnis otiosum,
Qui me scio criminosum
Et supernis odiosum.

5. Sed tu, virgo laudabilis,
Mater et venerabilis,
Sis mihi supplicabilis,
Te oro lacrimabilis.

6. Te oro flexis genibus
Et cum magnis gemitibus,
Ut me mundes criminibus
Mundis orationibus.

7. Virgo felix, gloriosa,
Apud Christum virtuosa,
Mea membra vitiosa
Purga prece curiosa.

8. Tu, virgo, patrocinium,
Tuum potens auxilium
Praesta mihi, consortium
In conventu fidelium.

9. O regina caelestium,
Exora tuum filium,
Ut det mihi consilium
Et salutis remedium.

10. Maria, lumen virginum,
Nostrorum sordes criminum
Et peccatorum omnium
Exstingue, pacis vinculum.

11. Ut [Christus], tuus filius,
[Me] eruat propitius,
Per preces [tuas citius]
[Mundet] culpis attentius.

12. Ergo precare filium,
Ut mihi sit refugium
Concedatque consortium
In choro caeli civium.

II.

1. Mundi salus, o Maria,
Per te patet caeli via,
A te poscunt suffragia,
Quos constringit angustia.

2. O caelorum imperatrix,
Virgo felix, o beatrix,
Ad te clamat gens humana,
Mediatrix, [purga vana].

3. Purga labem vitiorum,
Medicinaque laborum,
Miserere populorum
Dans veniam defunctorum.

4. Stella maris apellaris
Et regina salutaris,
Gentes, quibus dominaris,
Ab iniquis tuearis.

5. Tu ingens spes credentium,
Ipsis praebe praesidium.
. . . .
. . . .

6. O tu virgo valde pia,
Dei mater et filia,
Hostis nequam contraria
Tua vincens potentia.

7. Nostrae carnis, o Maria,
Est abundans miseria,
Sua virtus et gloria
Marcescunt sicut folia.

8. Ergo, virgo sanctissima,
Mater Christi carissima,
Tua prece piissima
Roga pro nobis, Maria,

9. Quem genuisti, filium,
Ut det mihi consortium
Inter turmas fidelium,
Perennis vitae gaudium.

10. Pronus flector ad altare,
Te delector adorare,
Ut me semper custodias,
Preces meas exaudias,

Virtutibus enutrias
Et post mortem suscipias.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 38. — I 3, 3 Christe. — 3, 4 Sis mihi suffragium. — 4, 3 me scis. — 6, 4 Tuis mundis. — 8, 1 praecenium. — 8, 4 Interventu. — 10, 4 per pacis. — 11, 2 Erat propitius. — 12, 4 In horis celi celium. — II 1, 4 contingit. — 5, 1 Tu es ingens. — 7, 3 Sed tuae virtutes ex gloria. — 8, 4 o Maria. — 9, 3 Inter animas fidelium. — 9, 4 Et perennis. — 10, 2 A te lector adorare. — 10, 3 custodiat. — 10, 4 exaudiat. — 10, 5 Virtutibus me et enutriat. — 10, 6 mortem animam meam suscipiat; dann noch: Et ad vitam aeternam perducat.

157. De Beata Maria V.

1. Ave, Maria,
Tua mihi memoria
Dulcis sit super omnia.

2. Sermonem
De te libens habeo,
Sed culpas meas timeo.

3. Ergo tu, sanctissima,
Peccatorum spes unica,
Conforta tuum famulum,
Ut tibi dicat canticum.

4. O Maria,
Pia et benigna,
Tu mater es et filia,
Tu patris sapientia,
Tu filii laetitia
Et trinitatis gloria.

5. O Maria,
Tu caeli regina,
Tu spes, tu medicina
Tu stella matutina
Et rosa sine spina.

6. O Maria,
Tu sponsa, tu thalamum,
Tu solis habitaculum,
Tu forte propugnaculum,
Hostis non timens vinculum.

7. O Maria,
Tu datrix gratiae, ra,
Tu fons misericord atrix,
Tu custos innocen clara,
Et speculum mu iatrix.

8. O Maria,
Tu sidus clarum,
Tu medela animarum,
Tu puteus aquarum
Et hortus deliciarum.

9. O Maria,
Tu thronus Salomonis,
Tu rubus visionis,
Tu vellus Gedeonis,
Tu plena caeli donis.

10. O Maria,
Tu virgula fructifera,
Tu planta salutifera,
Tu gemmula lucifera,
Tu nardus odorifera.

11. O Maria,
Tu dulcis et [mitis]
Fecundissima vitis,
Tu via regni caelestis,
Tu arca albae vestis.

12. O Maria,
Tu tota formosa,
Tu legis glosa,
Tu stirps generosa
Et felix puerpera.

13. O Maria,
Tu flos candens,
Tu gemma resplendens,
Tu stella clarificans
Et sidus irradians.

14. O Maria,
Tu tutum refugium,
Tu scutum debilium,
Tu sanctitatis lilium
Et vas virtutum omnium.

15. Quid dicam plus, Maria?
Tu sancta amica,
Tu vera concordia;
Scis, quod potes omnia.

16. Ergo, virgo virginum,
Placa tuum filium,
Ut post vitae terminum
Ducat ad caeli gaudium.

Orat. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Petrin a I 14. A. — Collect. ms. Lunaelacense saec. 16. Cod. Vindobonen. 4100. B. — 1, 2 memoria mihi. — 4, 3 Tu fehlt B. — 7, 5 Et fehlt B. — 13, 2 Tu fons candens AB. — 15, 2 sancta anima B.

158. Ad Beatem Mariam V.

O fons misericordiae,
Dulcis regina veniae,
Origo pudicitiae,
Pacis atque concordiae
Reparatrix, virgo, flos virginum,
O consolatrix cordium,
Miseratrix humilium,
Auxiliatrix fidelium,
Audi voces precantis agminis.
O clemens, dulcis, humilis,
Virga Iesse propaginis,
Dei mater et hominis,
Virgo inviolabilis,

2. O
Virg
Ad t.
Mediat.

Exaudi iam preces ecclesiae,
Ut quae versatur hodie
In errore tam impie.
Sedato schismate prece pia
Tui sit fides in ea,
Non a Christo pharisea,
Sibi grata et acceptabilis.
Bella, lites et proelia,
Orbi tam horribilia,
Pacifica, Maria nobilis.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. — Fol. 175b von anderer Hand:

Wesselprunnenses fratres, ite, Christe, precantes,
Matris ob merita defunctis sis pia vita
Et nos viventes tibi devote famulantes
Protege, conserva, mors ne [nos] laedat acerba.

159. De Beata Maria V.

1. Salve, mater salvatoris,
Fons salutis, vas honoris,
Scala caeli, porta et via,
Salve semper, o Maria.

2. Salve, Dei sponsa electa,
Sine macula concepta,
Tota pulchra et formosa,
Salve, virgo gloriosa.

3. Salve, rosa sine spina,
Mater regis et regina,
Decus mundi, stella maris,
Inter omnes singularis.

4. Vera salus infirmorum,
Advocata peccatorum,
Afflictorum consolatrix,
Dulcis Iesu gene[ra]trix.

5. Tu columna nostra fortis,
Nos conforta in hora mortis,
Sancta parens, virgo pia,
Salve semper, o Maria.

6. Salve, virgo veneranda
Atque semper praedicanda,
Salve, virgo, fons honoris,
Mater Christi salvatoris.

7. Salve, virgo singularis,
Mundi decus, stella maris,
Per te patet caeli via;
Salve semper, o Maria.

De Levis, Anecdota sacra, p. 109 sq., ohne nähere Quellenangabe.

160. De Beata Maria V.

1. Salve, decus feminarum,
Expiatrix nequitiae,
Universis sidus clarum,
Regnum inaurans gloriae.

2. Regis regum mater cara,
Errantium consolatrix,
Gaude, felix stella clara,
Nostra o auxiliatrix.

3. Ave, palma fructu pleno
Virtutisque cellarium,
Lava sordes, o amoena,
Dulcis rosa, solsequium.

4. Evae mortis commutatrix,
Ductrix tuta mortalium,
Expia, potens oratrix,
Labem, culpam et vitium.

5. Ad te curro, spes unica,
Gaudium summis et imis,
Alma proles Davidica,
Reum me excuses nimis.

6. Duc me, precor, ad superna
Collegans caeli civibus
Cordisque purga interna
Malis et vitiis omnibus.

Brev. ms. Recollectorum Parisiensium saec. 15. Cod. Mazarin. 443 (1018). add. saec. 15. — 5, 4 Ream me.

161. De Beata Maria V.

1. Ave, clara lux solaris,
Salve, micans stella maris,
Ave, mater orphanorum,
Spes, solamen miserorum.

2. Ave, mitis et benigna,
Sempiterna laude digna,
Aula Dei virginalis,
Flos sanctorum specialis.

3. Te precamur, o Maria,
Per quam patet vitae via,
Audi voces servulorum,
Solve nexus delictorum.

4. Deus in te venit, pia,
Conformaris tunc sophia,
Per te mundum visitavit
Et a morte liberavit.

5. Flos candoris, vernans rosa,
Nulla res est tam formosa,
Praeter Deum nihil tale
Nec tam prorsus speciale.

6. Claritate vincens solem
Protulisti mundo prolem,
Hostes nostros qui destruxit
Et ad vitam nos reduxit.

Collect. ms. Carmeli Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 306. — Nach Str. 3 noch die überzähligen Zeilen:

Supplicantes pio corde
Nos ab omni purga sorde.

162. De Beata Maria V.

1. Ave, virgo gloriosa,
Mater Christi pretiosa,
Supra solem luminosa,
Ave, plena gratia.

2. Virgo, vellus Gedeonis,
Virgo, templum Salomonis,
Virgo, septem plena donis,
Audi nos propitia.

3. Exsulamus pro peccatis
In Aegypto vanitatis,
Sed tu, mater pietatis,
Reduc nos ad patriam.

Collect. ms. incert. orig. saec. 15. in. Cod. Parisin. 11343. — Akrostichon: *Ave.*

163. De Beata Maria V.

1. O regina paradisi,
mater Christi, domina,
Quae cum caelo gloriaris
super caeli sidera,
Conservare me dignare
purum contra crimina,
Ne antiqui inimici
vincat me fallacia.

2. O serena stella maris,
spes sanctorum hominum,
Quae es lumen et lucerna
peccatorum omnium,
Mentem meam hic informa
ad amandum Dominum,
Ut implere semper possim
eius beneplacitum.

Collectan. ms. incert. orig saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Patr. Lat. 225. — 1, 7 inimica. — 2, 2 omnium. — 2, 5 meam me informa. — „Oratio subscripta habet centum dies indulgentiae.“ — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

164. De Beata Maria V.

Ave, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Virgo mitis et benigna,
Sola bona, sola digna
Omni laude et honore,
Omni loco et tempore,
Omni maior praeconio
Omnique desiderio.
Tuas virtutes canere,
Laudes auditas facere
Nec ipsa vox angelica
Nec tota possit musica.
Te amare, te laudare,
Te post Christum suspirare
Sit nostra sapientia,
Sit nobis super omnia
Tua dulcis praesentia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien 521.

165. De Beata Maria V.

1. Virgo clemens, virgo pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Creator in te formavit
Clavem, unde reseravit
Semitas promissionis,
Aeternae salvationis.

2. Verus flos virginitatis,
Puteus humilitatis,
Rosa florens illuminans,
Cunctas sordes exterminans,
Lacte tuo nutrivisti
Pretiosum corpus Christi.

3. Propterea rogo pie,
Ut me conserves hodie,
Ut non peccem mortaliter
Nec moriar atrociter,
Sed per tuam potentiam
Da mihi paenitentiam
Cum firma contritione
Et vera confessione.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 1 rogo pie.

166. De Beata Maria V.

1. Mater dulcis, nos dignare
Tua laude confirmare
Et virtute roborare;
Ne in mundo hoc cadamus,
Te iuvante evadamus,
Lapsi per te resurgamus.

2. Virgo dulcis parens,
Tactu viri carens,
Miro modo peperisti,
Deum caeli genuisti,
A quo facta tu fuisti,
Per quem virgo remansisti.

3. Tu in mundo es electa
Et ab ipso es protecta,
Cuius mater es dilecta.
O res mira, virtus Christi!
Illibata permansisti.

4. Natum tuum praemisisti,
Ad cuius dextram sedisti,
Quando mundum reliquisti.
Ibi semper veneraris,
Virgo prudens, et laudaris.

5. O quam pium est laudare
Dei matrem et amare,
Corde toto suspirare,
Quae laudantem protegit
Nec plorantem despicit,
Sed quasi mater respicit.

6. Virgo Dei piissima,
Ad me converte viscera
Et quasi mater filiis
Succurre cunctis servulis
Et fer iuvamen miseris.

Orat ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 4 virtu dira. — 4, 2 resedisti.

167. De Beata Maria V.

1. Collaudo te matrem Dei,
Laudo fructum ventris tui,
Sint benedicta viscera
Et tua sancta ubera,
Quae lactaverunt Dominum,
Aeterni patris filium;
Qui non habet initium
In te sumpsit exordium.

2. Sit benedicta pietas
Et virtus et humilitas
Et tua pudicitia
In caelesti laetitia.
Ex toto corde et anima,
Mente et virtute mea,
Visceribus ventris mei
Collaudo matrem Domini.

3. O Christi mater Maria,
Iesum clementer invoca,
Ut ipsius conceptio
Sit vitae nostrae protectio.
Eius sancta virginitas
Et virtus et humilitas,
Baptisma atque passio,
Mors atque resurrectio

4. Sint et eius ascensio
Semper nostra defensio
De cunctis poenis inferi,
Anxietate saeculi.
Ex filii tui meritis
Et eius sanctis precibus
Sit in caelesti gloria
Mea perpetim anima.

5. In manus tuas, Domine,
Commendo omni tempore
Corpus meum et animam,
Quia redemptor meus es
Et mater tua mea spes.
De cunctis poenis inferi
Defendat me mater Dei.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien 521. — 2, 7 Et visceribus. — 3, 5 Et eius sancta. — 3, 8 et resurrectio. — 4, 1 Sint fehlt. — 4, 2 Sint semper. — 4, 4 Et de anxietatibus. — Nach 5, 7 folgt noch die bekannte Strophe: Maria, mater gratiae, Mater misericordiae etc.

168. De Beata Maria V.

1. Ave, Christi mater digna,
Pia, mitis et benigna,
Ave, Christi sponsa cara,
In virtutum vite clara.

2. Ave, Christi parens alma,
In supernis patens palma,
Ave, Christi mater, dicta
Super omnes benedicta.

3. Ave, Christi splendens stella,
Mundo fulgens nix novella,
Ave, Christi clara cella,
Pro me Christum interpella.

4. Ave, virgo, Dei templum
Castitatis et exemplum,
Ave, virgo scandens caelum,
Inde lumen dans serenum.

5. Ave, virgo iuvans mundum
Corruentem in profundum,
Ave, virgo, quae infernum
Vincis tenens ius supernum.

6. Ave, virgo, quae per natum
Mortem sternis et peccatum,
Ave, virgo. morti datum
Tuum ora pro me natum.

7. Ave, clemens imperatrix,
Terrae, caeli dominatrix,
Ave, clemens et amatrix
Et virtutum operatrix.

8. Ave, clemens vitae datrix,
Vitiorum enervatrix,
Ave, clemens miseratrix
Peccatorum, non peccatrix.

9. Ave, clemens expiatrix,
Culpae lapsis reparatrix,
Ave, clemens mediatrix,
Quaeso, mei sis salvatrix.

10. Ave, sponsa, florens vitis,
Cuius fructus botrus mitis,
Ave, sponsa grata cunctis,
Pia vivis et defunctis.

11. Ave, sponsa salutaris,
Dulcis rebus in amaris,
Ave, sponsa singularis,
Caecis splendens lux solaris.

12. Ave, sponsa potens satis,
Me tuere a peccatis,
Ave, tuis gemma lucens,
Maius solis lumen ducens.

13. Ave, tuis decor splendens,
Et in nocte non offendens,
Ave, tuis lux ostendens
Claritatem et portendens.

14. Ave, tuis sidus fulgens,
Ut aurora mane surgens,
Ave, tuis pacem ferens,
Inimici vires terens.

15. Ave, tuis zelo degens,
Vitam praebe nostra regens,
Ave, mater speciosa,
Albens manna, rubens rosa. —

16. Ave, mater plus decora
Sole, luna et aurora,
Ave, mater absque mora,
Cuncta potens omni hora.

17. Ave, mater rubens signis
In figuram ardens ignis,
Ave, pia, meta mortis
Et caelestis dux cohortis.

18. Ave, via vitae portis,
Paradisi flos in hortis,
Ave, pia, hora mortis
Da ius mihi primae sortis.

Orat. ms. Parisense [?] saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 3639. — 13, 2 noctem. — 17, 1 rubet.

169. De Beata Maria V.

1. Maria, virgo virginum,
Ora pro nobis Dominum,
Fundamentum ecclesiae,
Fons, aula sapientiae.

2. O virgo plena gratia,
Mater Dei et filia,
Virgo peccati nescia,
Sancti spiritus gratia.

3. Summi regis hospitium,
Lumen, vita fidelium,
Mundi salus, protectio,
Nos tuo pasce gaudio.

4. Nobis tibi canentibus
Succurre tuis precibus,
Gratia tua faciat,
Ut Deus nos custodiat.

5. O tu es nobis omnia,
Nos tua pascat gratia.

Orat. ms. Parisiense [?] saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Parisin. 3639.

170. De Beata Maria V.

1. Mater misericordiae,
Devotos tuos protege,
Nos peccatores adiuva
Prece, clemens, continua.

2. Ut quidquid mali fecimus,
Remittat tuus filius
Et purget nos ab omnibus
Vitiorum sordibus.

3. Maria, mater Domini,
Sacrarium paracliti,
Virgo, regina virginum,
Ora pro nobis Dominum.

4. Per tuum, virgo, genitum,
Per patrem, per paraclitum,
Praesens assis ad obitum
Meumque muni exitum.

Orat. ms. Franciscanum. saec. 15. Cod. Petrin. a I 14. — 2, 3 sq. fehlen; ergänzt nach Anal. XXXII, 174 (Str. 4 und 5 in not.). — 3, 4 ad Dominum. — 4, 1 filium. — 4, 3 Praesens sis.

171. De Beata Maria V.

1. Maria, per ingenitum
Patrem precor, ut exitum
Animae meae observes
Hostis depulsa rabie.

2. Maria, unigenitum
Deposco te per filium,
In mente me illumina
Vera fide et laetitia.

3. Maria, per paraclitum
Veni, dulcis, ad obitum,
Tuam pone dulcedinem
Contra mortis acredinem.

4. O Maria, triclinum
Trinitatis eximium,
Mihi post hoc exilium
Ostende tuum filium.

Orat. ms. Traunkirchense anni 1523. Cod. Vindobon. 4090. — 4, 1 O fehlt. — 4, 3 per hoc. — 4, 4 Ostende pulcherrimum tuum.

172. De Beata Maria V.

1. Maria, virgo virginum,
Quae genuisti Dominum
Sine virili semine,
Verum lumen de lumine.

2. Tu sola vitae ianua,
Tibi sit laus assidua,
Virtus, decus continuum,
Imperium perpetuum.

3. Largire nobis omnibus
Ad te confugientibus
Per tui nati gratiam
Aeternitatis gloriam.

4. Per tuum ergo genitum,
Per patrem, per paraclitum
Assis praesens ad obitum
Nostrumque muni exitum.

5. Mater Dei sanctissima
Atque virgo perpetua,
Offer nos tuo filio
In caelesti palatio.

6. In hora mortis, domina,
Tu sis nostra custodia
Et perduc nos ad atria,
Ubi est pax et gloria.

Orat. ms. Parisiense [?] saec. 15/16. Cod. Parisin. 3639. — 4, 1 filium gegen den Reim. — 5, 1 sq. und 6, 1 sq. läſst der unreine Reim eine Entstellung des ursprünglichen Textes vermuten. — Vgl. zu Str. 4 Nr. 170 Str. 4.

173. De Beata Maria V.

1. Imperatrix egregia,
   Salus humanitatis,
   Angelorum domina,
   Secretum deitatis,

2. Tu nos dignare te laudare,
   Dulcis ter o Maria,
   Gabrielis ore loquelis
   Affaris, virgo regia,
   Tu salutaris, consecraris,
   Mater Christi pia.

3. Tu plenitudo gratiae,
   Tu celsitudo gloriae,
   Munditiae exemplum,
   Tu lux caelestis curiae,
   Speculum innocentiae,
   Tu trinitatis templum.

4. Imperialis calamus
   Pietatisque thalamus,
   Erogabilis balsamus.

5. Tu textuum congeries,
   Tu legis expositio,
   Tu testamenti series,
   Tu prophetarum visio.

6. Tu cedrus in Libano,
   Flos odoris et decoris,
   Sine spina rosa,
   Tu cupressus in Sion,
   Tu oliva fructifera.
   Fonde speciosa.

7. Tu gemma pudicitiae,
   Mater misericordiae,
   Tu cella vera Dei,
   Tu pacis et concordiae,
   Tu nutrimentum gratiae,
   Tu claritatis stella.

8. Nardus odorifera,
   Frutex aromatica,
   Flos stipis Davidicae.

9. Tu es virtutum omnium
   [Insigne] receptaculum,
   Tu castitatis lilium,
   Tu pacis habitaculum,
   Tu vitae principium.
   Tu finis mortis . . .
   Tu mater Dei,
   Tu mater spei
   Et veritatis.

10. Tu via viris invia,
    Tu parens paris nescia,
    Tu thalamus sine mora,
    Tu sol illustrans omnia,
    Tu sola plena gratia,
    Tu sola natum exora,

11. Ut nobis paenitendi
    det spatium
    Et paenitentibus det
    solacium,
    Ut post hanc vitam regnemus
    in caelesti curia
    Cum omnibus sanctis.

Collect. Lunaelacense saec. 16. Cod. Vindobonen. 4100. — 2, 3 ore verbis. — 4, 1 Imperialis aula summus. -- 4, 2 Thalamusque pietatis. — 5, 1 Tu textum vera. — 5, 2 Tu fehlt. — 6, 1 Tu cedrus altitudinis in. — 6, 2 Tu flos. — 6, 5 Uncta oliva fructifera verna. — 8, 3 Flos fehlt. — 10, 6 filium exora. — 11, 1 paenitentibus. – 11, 3 Et paenitendi. — „Orationem sequentem canonizavit Gregorius papa primus anno pontificatus sui primo, qui dedit omnibus ipsam devote dicentibus centum dies indulgentiarum criminalium et venialium et a poena et a culpa."

174. De Beata Maria V.

1. O regina caelorum,
Maria, domina angelorum,
Cum sis mater miserorum
Medicina et reorum,

2. Dele in me, quod peccavi,
Et reduc me, nam erravi,
Viam rectam nec agnoscens,
Precor te, sis mihi poscens

3. Veniam ad tuum natum,
Iesum Christum vulneratum
Pro me vili et indigno,
Duro fixum crucis ligno,

4. Passum in humanitate
Et non in divinitate.
Imploro te, virgo beata,
Ut sis mihi semper grata.

5. Advocata tu vocaris,
Pro me bona tunc loquaris,
Cum iudex iudicabit
Et omnes revocabit.

6. Tunc me salvum et securum
Facias, ne verbum durum
Audiam a causa dicti:
Ite [a me], maledicti,

7. Sed potius quod dicetur
Iustis, quando dividetur
Optimum a pessimo
Ab aeterno Domino.

8. Hoc praesta mihi, virtus patris,
Ob amorem tuae matris,
Quae te Christum parturivit,
Postquam ab angelo audivit

Procul omni fallacia:
Ave, plena gatia.

Collect. ms. Lunaelacense saec. 16. Cod. Vindobonen. 4100. — 1, 1 Lies Ave, regina? — 1, 2 Lies O domina angelorum? — 2, 2 Ut reduc. — 2, 3 ne agnoscens. — 3, 4 Dura; fixum fehlt. — 4, 2 deitate. — 5, 3 Lies Quando iudex? — 7, 1 Sed fac potius.

175. De Beata Maria V.

R⁰ Funde preces in caelis,
Maria, stella maris.

1. Remove cito peccata,
Unde vota sint grata
Omniumque prolata,
Maria, stella maris.

2. O Dei benedicta,
Ab angelo iam dicta
Et in caelis descripta,
Maria, stella maris.

3. Alta unda caelorum
Et decus angelorum,
Audi preces peccatorum,
Maria, stella maris.

4. Tu tota es formosa,
Tu tota speciosa,
Tu tota gratiosa,
Maria, stella maris.

5. Tu es norma iustorum,
Tutela peccatorum,
Laetitia sanctorum,
Maria, stella maris.

6. Eia, glorificata
Et cum Christo locata,
Sis nostra advocata,
Maria, stella maris.

7. Ut a morbo pestilentiae
Et ab omni pravo scelere
Nos defendat semper et hodie
Maria, stella maris.

S. Iohannis Damasceni opera imp. Venetiis 1514. — „Oratio devotissima ad virginem Mariam."

DE SANCTIS.

176. De Omnibus Sanctis.

1. Miserere mei, Deus,
Miserere, factor meus,
Miserere, Iesu Christe,
Ne pereat reus iste.

2. Iesu Christe, miserere
Fac me digne paenitere,
Paenitenti mihi parce,
Hostes meos procul arce.

3. Propter tuam bonitatem
Habe de me pietatem,
De me pietatem habe,
Munda cor ab omni labe.

4. Mentem meam in te firma
Et gratiam mihi praesta,
Me non possum emendare,
Nisi velis adiuvare.

5. Precor ergo, Iesu bone,
Meas sordes tu depone,
Renova me veteratum,
Consolare me turbatum.

6. Eleva me corruentem,
Erige pigrum iacentem,
Ovem require errantem,
Dirige me deviantem.

7. Fac quietum me vagantem,
Sana, precor, aegrotantem,
Exaudi me te precantem
Et gratiam requirentem.

8. Pastor bone, rex benigne,
Ure me spiritus igne,
Ut ipsius per calorem
Noxium perdam torporem.

9. Virgo mater salvatoris,
Memor esto peccatoris,
Porta caeli, maris stella,
Pro me natum interpella.

10. Sancte chorus angelorum,
Omnes virtutes caelorum,
Apud Deum me iuvate
Et pro me semper orate.

11. Sancte chorus prophetarum,
Contio patriarcharum,
Exorate creatorem,
Ne me perdat peccatorem.

12. Sancte Iohannes baptista,
Audi vota clemens ista,
Agnum fac mihi placatum
In Iordane baptizatum.

13. Tu quoque, Petre beate,
Claves caeli cui sunt datae,
Pro me roga salvatorem,
Qui posuit te pastorem.

14. Paule, vas electionis,
Exemplum conversionis,
Ora tuum conversorem,
Ut meum tollat errorem.

15. Frater Simonis Andrea,
Ad te veniat vox mea,
Hanc ad aurem porta Christi,
Pro quo navem reliquisti.

16. Super ceteros dilecte
Et de nuptiis electe,
Custos Dei nimis care,
Pro me Christum deprecare.

17. Iacobe, Bartholomaee,
Philippe, Thoma, Matthaee,
Iacobe, Simon, Thaddaee,
Mementote precis meae.

18. Sancte chorus innocentum,
Mihi detis iuvamentum,
Qui fuistis moriendo
Testes Christi non loquendo.

19. Stephane Christi beate,
Propter Christum lapidate,
Quod orasti lapidanti,
Ora mihi supplicanti.

20. Martyr Domini Laurenti,
Certe plus ardens ardenti,
De thesauro pietatis
Opus auge caritatis.

21. Sancte Clemens, Sixte, Clete,
Precibus meis favete,
Sacerdos Martine Dei,
Supplicis memento mei.

22. Nicolae, praesul Christi,
Misero succurre isti,
Augustine et Gregori,
Subvenite peccatori.

23. O sancte Petre confessor,
Mihi fias intercessor,
Ita mihi subvenite,
Ut ad regnum ducar vitae.

24. Paule, Iohannes, Antoni,
Estote mihi patroni,
Sancte abbas Benedicte,
Custos mentis sis afflictae.

25. O vos omnes eremitae,
Votis meis assentite,
O Maria Magdalene,
Tu memoria me tene.

26. Agnes, Agatha, Lucia,
Scholastica, Caecilia,
Katherina, Margareta,
Me ducite ad roseta.

27. Vos, sancti et sanctae Dei,
Vestri mementote rei,
Me nautam in mundi salo
Servetis ab omni malo.

28. Sit laus patri creatori
Filioque salvatori,
Eandem habeat flamen
Per cuncta saecula. Amen.

Collect. ms. S. Mariae in Pontano saec. 13. Cod. Vatican. 4363. A. — Orat. ms. Caelestin. S. Mariae de Parisius saec. 15. Cod. Mazarin. 3897 (605). B. — A unvollständig, nur bis Str. 14 inkl. — 1, 4 Ne damnemur reus iste A. — Statt Str. 3 und 4 hat A:

3. A me tolle casus reos,
Procul arce hostes meos,
Propter tuam bonitatem
De me habe pietatem.

4. Pietatem de me habe,
Munda cor ab omni labe,
Qui per meam pravitatem
Tuam sprevi sanctitatem.

4, 2 gratiam tuam mihi B. — 5, 2 Mea crimina depone A. — 5, 3 Revoca me fugientem A. — 5, 4 Excita me dormientem. — Str. 6 und 7 in A zusammen in eine:

Dirige me deviantem
Et require me errantem,
Fac quietum me vagantem
Sana, precor, aegrotantem.

8, 4 teporem A. — 10, 1 Ave, Mater A. — 9, 4 Pro me mater interpella. A. — 10, 2 Et virtutes vos caelorum A. — 10, 3 Dominum A. — 10, 4 Pro me semper et A. — 11, 2 Et chorus A. — Str. 12 fehlt A. — 13, 1 Princeps Petre ceterorum A. — 13, 2 Qui es clavi[g]er caelorum A. — 13, 3 Ora pro me A. — 13, 4 te posuit A. — Nach 22, 3 noch: Ieronyme et Ambrosi gegen Strophenbau und Reim B. — Nach 23, 2 noch: Mihi sitis adiutores B. — 29, 4 ducite ad gaudia B. — 27, 1 O vos B. — 27, 2 Vestri mementote mei B.

177. De Omnibus Sanctis.

1. Michael cum Gabriele,
caeli cives incliti,
Qui astatis coram Deo
laudibus assidui,
Proclamate: „Sancte Deus,
parce tuo supplici."

2. In Iordane qui tinxisti
agnum sine macula,
Non ut sua, sed ut nostra
solverentur crimina,
Tu, Iohannes, tua prece
reduc me ad supera.

3. Petre, pastor, cui praecepit
Christus oves pascere,
Quem ad vocem ter negasti
unius ancillulae,
Parce mihi, ut per culpam
didicisti parcere.

4. Paule doctor, mentem meam
tu doctrinis instrue,
Quibus iram Dei mei
valeam evadere
Et de culpis ad virtutem
cito queam currere.

5. Iesu Christi coheredes,
ceteri apostoli,
Illum pro me supplicate
voce consolabili,
Quo pellatur a me mortis
formido periculi.

6. Innocentes, qui pro Christo
inter matrum ubera
Ab Herode necis dira
suscepistis vulnera,
Per haec in me abluatis
scelerum contagia.

7. Gloriose Dei serve,
protomartyr Stephane,
Qui primus haberis sacro
martyrum in ordine,
Me per preces tuas turmae
socia caeligenae.

8. O makari Dionysi,
mea dele scelera,
Qui Francorum Deo colla
subiugasti pinguia,
Dehinc rubro rore tinctus
penetrasti aethera.

9. Christi piscis, o Laurenti,
te nunc supplex adeo,
Quem assavit Daciana
fervens persecutio,
Ut ab omni vitiorum
me mundes contagio.

10. Fortis mecum sta, Vincenti,
contra trucem viperam,
Ut hac vita te iuvante
consequar victoriam
Et in caelis praeparatam
victoribus gloriam.

11. O Thebaea sublevata
 super astra legio,
Quae draconem durum claro
 superasti proelio,
Hunc eundem mihi subde,
 te nunc pie flagito.

12. Bellatores gloriosi
 invictique martyres,
Quos produxit ex se mater
 velut vitis palmites,
Me vobiscum hinc transferte
 supra caeli cardines.

13. Pastor alme, Nicolae,
 poli civis inclite,
Caeli regem in decore
 fac me tecum cernere,
Cuius mira claritate
 fungeris assidue.

14. Meritorum luce fulgens
 Martine sacerrime,
Quem diversae gentes laudant
 per orbem magnifice,
Me nitentes iugulare
 potenter persequere.

15. Monachorum, Benedicte,
 doctor insignissime,
Venenata dirae lupae
 flammas in me destrue
Et da mihi tuae sanctae
 iugum ferre regulae.

16. Sancte pater, dux, Ebrulfe,
 monachorum inclite,
In extremo meus esto
 defensor examine
Et me prece fac solaris
 civem Ierosolymae.

17. Sempiterni regis miles,
 Aegidi clarissime,
Incursantes me demerge
 Acherontis carcere,
Ut excelsum ad Olympum
 laetus possim tendere.

18. Confessores, quos munivit
 fidei confessio
Nec a Deo separavit
 carnis titillatio,
Vestra prece mihi sitis
 semper in auxilio.

19. Monachorum sacer chorus
 et cultores eremi,
Quibus pastum praebuere
 panes cinericii,
Illum pro me supplicate,
 in quo gloriamini.

20. Iam, Maria Magdalena,
 mihi sis piissima
Et arcentes me culparum
 nexus prece disliga,
Qui te nitor sequi mea
 lugendo flagitia.

21. Generosa Katherina,
 Christi sponsa fulgida,
Ipsum pro me interpella
 prece constantissima,
Ut ab ipso vehar post hanc
 vitam super aethera.

22. Virgines electae Dei,
 Fides, Spes et Charitas,
Quas nequivit superare
 Adriana feritas,
Me servate, ne malorum
 me laedat perversitas.

23. Iam a Deo coronatae
 virgines et viduae,
Quae nocivos ignes docte
 meruistis vincere,
Saevientis in me flammas
 Veneris extinguite.

24. Omnes sancti, apud Deum
 pro me intercedite,
Quatenus inferni poenas
 valeam evadere
Et a culpis liberatus
 caeli regna scandere.

25. Laus et virtus et potestas
patri sit ingenito,
In eodem permanenti
honor unigenito,
Ab utrisque procedenti
gloria paraclito.

Collectan. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Alenconien. 1. add. saec. 12. — Daraus mitgeteilt von Léop. Delisle im Annuaire Bulletin de la Société de l'Histoire de France. Paris 1863; II. Partie, p. 10 sq.; dort wie auch in der Quelle unmittelbar verbunden mit dem Rhythmus: „O Maria, gloriosa angelorum domina." -- Als Verfasser vermutet Delisle — wohl mit Recht — Ordericus Vitalis.

178. Cursus de Omnibus Sanctis.

Feria tertia.

Ad Matutinum.

1. Rex, civium caelestium
In quo laetatur contio,
Psallens sanctorum omnium
Iam summo cum tripudio.

2. In quorum laudem munera,
Quae tibi nunc offerimus,
Sint nobis salutifera
Tibique grata, petimus.

3. Regi sanctorum omnium
In cunctis dominatio,
Sit honor, laus, imperium
Et gratiarum actio.

Ad Laudes.

1. Te Deum canit iugiter
Omnis chorus angelicus,
Patriarcharum pariter
Et cuneus propheticus.

2. Te turba apostolica
Hymnis, chorea virginum
In cithara harmonica
Psallendo laudat Dominum.

3. Sic martyrum organica
Te tympana suaviter
Et confessorum cantica
Mulcent in corde dulciter.

4. In cymbalis sonantibus
Tota caelestis curia
Et melicis concentibus
Coniubilat in gloria.

5. Regi sanctorum omnium.

Ad Primam.

1. Per sanctos tuos, Domine,
Quos iam caelesti lumine
Irradiatos novimus,
Suppliciter deposcimus,

2. Nos legem tuam pariter
Fac meditari iugiter,
Ut semper fructum operum
Reddamus salutiferum.

3. Deo patri per omnia
Sit virtus et victoria,
Qui nos cum sanctis omnibus
Coronet in caelcestibus.

Ad Tertiam.

1. Te ob sanctorum merita,
Deus, precamur inclita,
Qui in caelorum culmine
Tecum quiescunt, Domine.

2. Nos corde, ore, opere
Fac innocenter vivere,
Ut caeli tabernacula
Intremus sine macula.

3. Deo nostro per omnia.

Ad Sextam.

1. Per pretiosam omnium
Sanctorum mortem praemium
Caelorum, Deus, citius
Confer nobis propitius.

2. Reatus rumpe vincula
Et submove pericula,
Ut vota nostra dulciter
Tibi reddamus iugiter.

3. Deo nostro per omnia.

Ad Nonam.

1. Beati sunt, qui habitant
Caelos; ut hos, qui militant
In terris, iuvent precibus,
Praesta, Deus, supplicibus.

2. Nunc reple nos virtutibus,
Confer cum sanctis omnibus
Nobis post dona gratiae
Aeterna bona gloriae.

3. Deo nostro per omnia.

Ad Vesperas.

1. Promissa, Deus, praemia
Nobis in fine temporum
Cum sanctis da sublimia,
Perennes dotes corporum,

2. Hinc clara et subtilia
Glorificata corpora,
Cita, impassibilia
Et tui plena pectora.

3. Da animabus pariter
Aperte te cognoscere
Ac frui te suaviter
Perfecteque diligere.

4. Fac nos cum sanctis omnibus
In te gaudere Domino,
Dum omnia in omnibus
Es regnans sine termino.

5. Regi sanctorum omnium.

Ad Completorium.

1. O lux, sanctorum speculum,
Da nobis post hoc saeculum
Te sublevatis manibus
Laudare in caelestibus.

2. Te quoque benedicere,
Tuas virtutes canere,
Da, Deus exercituum,
Laudemus in perpetuum.

3. Deo nostro per omnia.

Orat. ms. Vallis Iocosae[?] saec. 15. Cod. Labacen. 45. — Ad Mat. 1, 3 Psallentes. — Ad Laud. 2, 2 Hymnus. — Ad Non. 1, 1 sunt fehlt. — 1, 3 iuvant. — Ad Vesp. 2, 4 tua. — 3, 3 te fehlt.

179. De Paradiso.

1. Paradisi
amoena regio,
Quam possedit
quondam primus homo
. . . .
. . . .

2. In te loca
pulchra sunt omnia,
Nullus turbo,
procul sunt nubila,
Clari dies,
secura tempora.

3. In te spirant
odore gramina,
Rubet rosa,
albescunt lilia,
Et arbusta
profundunt balsama.

4. Pulcher hortus,
mellita flumina,
Sonat aura
lenis per nemora,
Ibi flores
et mala punica.

5. Duodecim
exornant lapides
Portas urbis
suas per species,
Quos non radet
annorum series.

6. In sublime
muri divinitus,
Nil debentes
humanis artibus,
Sunt constructa
vivis lapidibus.

7. Fundamentum
primo fundamine
Est fundatum
praeclaro iaspide,
Saphyrus est
secundus ordine.

8. Subsequitur
hinc chalcedonius,
Quartus adest
smaragdus optimus,
Post sardonyx
atque sardonius.

9. Chrysolithus
in loco septimo
Irradiat
fulgore aureo,
Et beryllus
est cum topasio.

10. Chrysoprassus
exsistit decimus,
Et iacynthus
adest purpureus,
Amethystus
post duodecimus.

11. In istorum
colore lapidum
Est signata
vita fidelium,
Qui caeleste
currunt ad bravium.

12. Non est pronum
vel leve dicere,
Qua requie
quave dulcedine
Perfruuntur
fideles animae.

Collect. ms. S. Arnulphi Meten. saec. 12/13. Cod. Berolinen. Phil. 1694 (180). — Nach jeder Str. wiederholen sich als Rundreim die Worte: „Quam pulchra es sanctis animabus et requies." — Aufschrift: „Rhythmus domni Gibuini, Lingonensis episcopi." Einen Bischof von Langres mit Namen Gibuinus hat es nicht gegeben, wohl aber einen Guibuinus, archidiaconus Lingonensis, der später (1077—1082) Erzbischof von Lyon wurde. Ihm wird gewöhnlich dieser Rhythmus zugeschrieben. Zeitgenossen waren übrigens ein Gibuinus II., ep. Catalaunensis († 1004), und ein Gibuinus, ep. Laudunensis, der unter Leo IX. auf dem Konzil zu Reims anwesend war. Cfr. Migne, PP. LL. 142, 1438. — Vgl. Wattenbach, Sitzungsberichte der Kgl. preuss. Akademie der Wissenschaften 1891, 97 ff.

180. De Caelesti Ierusalem.

1. O felix regnum patriae supernae,
In quo quiescunt agmina sanctorum,
Gloria multa decorata, cincta
Pace perenni.

2. Non est scribentis calami signare
Nec eloquentis hominis narrare,
Quanta paravit in te regnaturis
Deus aeternus.

3. Ad te suspirat generis humani
Perdita proles in parente primo,
Sed redemptoris caelitus directi
Morte redempta.

4. Bene suspirat tenebris addicta,
Quae paradisi gaudiis privata
Perdidit lumen, quo fruuntur semper
Cives superni.

5. Namque praesentis luminis splendore
Fallitur caeca iuvenum caterva,
Putans iucundum, quod adimplet mundum
Fletu perenni.

6. Quid enim potest homo moriturus
Nisi deflere miseras ruinas
Atque lugere incolatus sui
Tempore brevi?

7. Est namque miser et infelix valde,
Qui se, dum vivit, exsulem ignorat,
Qui non suspirat ad illius regni
Felicitatem.

8. O si quis posset in palato cordis
Illius regni epulas sentire,
Sperneret cuncta, quae iucunda praesens
Vita mentitur.

9. Nec mirum tamen, si notatur opus
Pro creaturae merito distinctum,
Bonis et malis mediisque trinum
Ante paratum.

10. Nam caelum, terra infernusque simul
Considerata singula demonstrant,
Dum in respectu singuli pensatur
Singulum quodque.

11. Infernus infra tenebrarum locus,
Desuper caelum luminis superni,
Media manens arida, communis
Inter utrumque.

12. Infernus nequam angelos includit,
Regnum supernum spiritus beatos,
Terra serpentis sauciatum ore
Genus humanum.

13. Iam si quaeratur singulorum status,
Tartarum simul atque paradisum
Crederet mundum, qui duo diversa
Contemplaretur.

14. Nam in respectu loci tenebrarum
Mundus hic fallax creditur amoenus,
Caeli respectu barathrum putatur
Et iure quidem.

15. Vallis haec namque dicta lacrimarum,
Lacrimas praestans parentibus primis,
Omnem suorum filiorum turbam
Flere coegit.

16. Cur enim non flet homo peregrinus,
Qui supra flumen sedens Babylonis
Memor est matris, dum privatur visu
Tempore multo?

17. O vere mater, civitas superna,
Ad te suspirant animae fideles,
Quae tibi roris pocula degustant
Caelo demissa.

18. Claritas tua claritas aeterna,
Honor et decus in turribus tuis,
Et per murorum moenia iucunda
Cantica laudum.

19. Lapides tui lapides electi,
Aurum obrizum pulchritudo tua,
Ex margaritis ianuarum decus
Omne consistit.

20. Pretiosorum lapidum structura
Singula tui fundamenta vernant,
Et per plateas ligni vitae fructus
Multiplex surgit.

21. O lignum felix, quod rigatur unda
Fontis aeterni, qui de throno manat,
Impetu cuius hilarescit semper
Civitas Dei.

22. Hae tuae laudes, civitas iucunda,
Et quas nec lingua resonare potest,
Immo nec cordis sufficit humani
Sensus rimari.

23. Verum, si licet, latius pensemus,
Quanta sit tibi gloria iustorum,
Qui laureati manent ante thronum
Regis aeterni.

24. Nunquam laborant, esuriunt nunquam
Semper exsultant, iubilant et psallunt,
Quippe cum nulla tempora festiva
Gaudia claudant.

25. Iam enim imber transiit et hiems,
Flores in terra undique vernabunt,
Et exsultantis turturis os nova
Cantica promet.

26. Voxque laetantis audietur sponsi:
Surge, quae dormis, propera, dilecta,
Accipe, felix, tibi praeparatam
Ante coronam.

27. Iam nuptiarum copula fecunda
Citat cantorum organa iucunda,
Concrepet simul cohors laetabunda
Citharoedorum.

28. Ad quorum vocem resonat et tellus,
Chori sanctorum pariter exsultant,
Et inaudita convivarum corda
Gaudia replent.

29. Verum haec parva exhibet aspectus
Illius sponsi regis et magistri,
Qui super omnes imperat et regnat
Unus et idem.

30. Cuius quam mira gloria, maiestas,
Claritas summa, bonitas immensa,
Cuius decoris species illustrat
Saecula cuncta.

31. Ergo fallacis gloria contempta
Mundi quaeramus gaudia superna,
Ubi sanctorum cunei laetantur
Sorte felici.

32. Gloria tibi, cunctipotens pater,
Gloria nato et, qui ab utroque
Semper procedit similis amborum,
Sit honor unus.

Petri Trecen. Hist. schol. saec. 13. Cod. Francofurten. Barth. 56. add. saec. 13. in. (nach Böhmer, Zeitschr. für deut. Altert. V (1845) p. 467 ff.) A. — Collect. ms. Constantini Caietani saec. 17. Cod. Alexandrin. 99 (III). B. — 1, 3 cuncta B. — 3, 4 redempti A. — 4, 3 quod fruuntur B. — 5, 1 Iamque B. — 5, 3 mundus B. — 6, 3 Ac flere lugens B. — 8, 2 fercula sentire B. — 10, 2 demonstrat A. — 11, 2 lumen A. — 12, 1 nequam spiritus B. — 12, 3 supernum spem beatorum A. — 13, 1 Nam si AB. — 14, 1 Namque respectu B. — 15, 1 Vallis hic A; haec quoniam dicta B. — 16, 1 Cur iam non flebit homo B. — 18, 3 Et perteurorum A. — 22, 1 Haec tuae laudis A; Has tuas laudes B. — 22, 2 Quasque nec B. — 22, 3 humanus A. — 24, 3 In his cum nulla gaudia festiva B. — 24, 4 Tempora claudant. — 25, 2 Flores in terra florida vernabunt B. — 26, 3 Et acceptura veni praeparatam B. — 26, 4 Tibi coronam B. — 27, 2 Sanctorum citat B. — 28, 1 voces B. — 30, 1 gloriae B. — Str. 32 fehlt A. — Aufschrift in B: Ioachimi, abbatis Florensis, hymnus de caelesti Hierusalem et gloria sanctorum. — B enthält noch ein anderes längeres Gedicht desselben Verfassers, das nicht in die hymnologische Literatur einschlägt. Der Anfang desselben lautet:

1. Visionem admirandae
ordior historiae
Et succincte scribam textum.
Felicis memoriae

2. Quidam vir religiosus,
fama non incognitus,
Scripsit rem, quam vidit quidam
in extasi positus.

3. Ductus animi excessu
ambulat per invia,
Nulli sibi patent campi,
nulla loca pervia.

4. Primo die moto gressu
in latrones incidit
Et ligatus strictis loris
paene vita deficit.

5. His solutum lux secunda
semivivum suscipit,
Non curandum, sed mactandum
scorpionum ictibus.

6. Tertia his liberatus
traditur exsilio,
Iter agit destitutus
hominum consilio.

7. Nihil minus quarto die
patitur discriminis,
Fame, siti et fervore
maceratur eremi.

8. Quinto asperis ferarum
laniatur unguibus
Et frequenter laceratur
bestiarum morsibus etc.

181. De Superna Hierusalem.

Eia, veracis Hierusalem visio pacis,
Ordinibus miris Sion fundata saphiris,
Obvia procedens, voces dulcedinis edens,
Voces laetitiae, voces dans hymnologiae
Cantica cantando, Dominum Sabaoth venerando,
Suscipe laetanter Christum regem iubilanter,
Qui te sacravit, propria sibi morte dicavit,
Qui cruce signavit, qui sanguine purificavit.
Auro sterneris, gemmis ornata nitebis,
Luce coruscabis, similis vitro rutilabis.
Tu radio magno patris illustraberis agno,
Tu solem radius septempliciter superabis,
Sistris virgineis puerilibus atque choreis
In te laudetur, sed et Alleluia canetur.
Parietibus vastis tua propugnacula Iaspis-
Que crystallus erit, portae sine fine patebunt,
Nunquam claudentur, quia firma pace fruentur.
Te Deus elegit, populos et regna subegit,
Cunctis praelatam terris dedit inmediatam
Christus, rex regum, cuius diadema serenum
Est, electorum lapidum structura novorum
In lapides bis sex, quos in diademate fert rex,
Discipuli bis sex, quibus est commissa Dei lex.
Ornatur gemmis vitae structura perennis,
Quorum splendores dant veros noscere mores,
Ut lapides vivi mereamur in aethere scribi.
Plaude, Sion, nobis intra stellata colonis.
Laus et hosanna Deo, qui iunxit terrea caelo.

Collect. ms. Carth. Montis S. Beati saec. 13. [14. 15.]. Cod. Vindobonen. 898.

182. Pro fidelibus defunctis.

Ante tuam faciem cum iustis atque beatis
Aeternam requiem dona, Deus, hic tumulatis
Et, quos morte crucis salvasti, ne moriantur,
Perpetuae lucis fac ut splendore fruantur.

Collect. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 641. — Es folgt noch, von obigen Versen getrennt:

Christus, fidelissimus amicus noster,
non diu exspectavit,
Sed statim peracta passione
sanctos in carcere visitavit,
Et hoc nobis exemplum,
quod, si volumus animabus subvenire,
Si protrahimus suffragia,
non videntur eis expedire;
Gravissime enim cum taedio
exspectare comprobantur,
Qui tam inenarrabilibus
poenis cruciantur.

183. De sancta Agnete.

1. Mitis Agnes, quae nupsisti
Agno miti, quem quaesisti
Mentis in memoria,
Nec ab agno potuisti
Poenis flecti, permansisti
Constans fide media.

2. Denudata dum fuisti,
Nudam texit virtus Christi
Capillorum copia,
Quae in agno te dedisti
Et in agno placuisti,
Mihi sis custodia.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

184. De sanctis Angelis.

1. Salve, sancte Michael,
caeli proeliator
Et draconis perfidi
potens debellator,
Tui vilis servuli
Sis patrocinator
Et ad caeli gaudia
Eius adportator.

2. Salve, sancte Raphael,
patri qui Tobiam
Reduxisti sospitem
per tam longam viam,
Fac nos caelo cernere
caeli hierarchiam
Omnem et cum filio
virginem Mariam.

3. Salve, sancte Gabriel,
decus angelorum,
Ad Mariam virginem
nuntium decorum
Te misit omnipotens
cardine caelorum,
Per te nobis Dominus
regna det caelorum.

4. Salve, sancte Uriel,
iugi visione
Summi patris hilaris,
te precor, mi bone,
Tui patrocinii
trino nos agone
Munias a perfido
taetroque dracone.

5. Spiritus angelici
omnes, vos avete,
Deo qui fruimini
summa cum quiete,
Nos ad amicitiam
Dei promovete
Et in caeli semita
Stabiles tenete.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

185. De s. Angelo Custode.

Ad Matutinum.

1. Ave, custos dulcis meus,
Angele piissime,
Cui me totum dedit Deus,
Rege fidelissime,
Ne sim malis mortis reus,
Vivere sanctissime
Fac me semper, rector meus,
Et mori laetissime.

Ad Laudes.

2. Ave, Christi delegate
Ad mei custodiam,
Dulcis angele beate,
Per divinam gloriam,
De caelesti pietate
Iugem da memoriam
Et cum omni sanctitate
Vincere malitiam.

Ad Primam.

3. In me per te roboretur
Fides, spes et caritas,
In me semper dominetur
Tota sancta trinitas,
In me Christus epuletur
Et eius suavitas,
In me tandem reveletur
Et felix aeternitas.

Ad Tertiam.

4. Sana pectus suspirantis
Gemitu gravissimo,
Educ viam supplicantis
De torrente pessimo,
Ut sit grata manus dantis
Iesu clementissimo,
Cuius visu me formantis
Fruar beatissimo.

Ad Sextam.

5. Pastor bone, memor esto
Ovem tuam pascere,
Illi semper sic adesto,
Ut, dum lupus rapere
Temptat eam, tu sis praesto
Mox illam eripere,
Quam praesentes illi festo,
Quod nequit deficere.

Ad Nonam.

6. Ave, sacer spiritalis
Amicorum intime,
Comes, dux et rex . . .
Corporis et animae,
Esto mihi dux vitalis
Et a culpis exime
Atque me de cunctis malis
Hora mortis redime.

Ad Vesperas.

7. Des iugiter exstirpare
Semina zizaniae,
Verba vitae seminare,
Pacis et concordiae,
Proximum aedificare
Per opus iustitiae,
Cunctos hostes debellare
Cum palma victoriae.

Ad Completorium.

8. Pie pater, me digneris
Protegere tenere,
In adversis recorderis
Me nunquam deserere,
De errore memoreris
Ad te me reducere,
Ne depascar ab his feris,
Quae me volunt perdere.

Orat. ms. Beneventanum [?] saec. 14/15. Cod. Borgian. M VI 21. — 4, 4 pessimo fehlt. — 4, 8 Senum beatissimo. — 5, 6 Demdat. — 6, 8 In hora.

186. Cursus de Angelis.

Feria secunda.

Ad Matutinum.

1. Quem veneratur civium
Caelestium exercitus,
Regem adorant omnium
Angelicique spiritus,

2. Per hos rogamus intime,
Nostra sume precamina,
Custodi nos tutissime
Cuncta pellens discrimina.

3. Laus tibi, Deus, penitus,
Quem laudum voce sedula
Collaudat omnis spiritus
In saecularum saecula.

Ad Laudes.

1. Aeterne rerum conditor,
Qui mare, solum, aethera
Gubernas, iustus redditor
Cuiusque iuxta opera,

2. Superbum nempe spiritum
Cunctosque suos complices
Damnando in interitum
Veros firmasti supplices.

3. Qui laudum tibi carmina
Nunc concinunt alacriter,
Per quos nostra peccamina
Relaxa placabiliter.

4. Nos consoleris iugiter
Ser spiritus angelicos,
Cum his ut hymnos pariter
Tibi pangamus melicos.

5. Laus tibi, Deus, penitus.

Ad Primam.

1. Deus, qui ad imaginem
Tuam creando hominem
Hunc paulo minus minuis
Ab angelis innocuis,

2. Te ergo cum hymnidicis
Choris laudamus caelicis,
Qui nos in locum suscipis
Deiecti mundi principis.

3. Sit angelorum Domino
Laus, honor sine termino,
Qui suis in caelestibus
Nos societ spiritibus.

Ad Tertiam.

1. O principes angelici,
Creati regis caelici
Ad contemplandam speciem
Eiusque puram faciem,

2. Portas vestras attollite,
Pie nobis occurrite,
In montem ferte Domini
Eius psallentes nomini.

3. Sit angelorum Domino.

Ad Sextam.

1. O Deus exercituum
Caelestium spirituum,
In thronis caeli residens
Cunctisque mire praesidens,

2. Nos, quaesumus, custodiat
Ac incessanter muniat
Virtus tibi astantium
A telis malignantium.

3. Sit angelorum Domino.

Ad Nonam.

1. Caelestis regis principes,
Cuius ut nos participes
Simus cum caeli civibus,
Vestris iuvate precibus,

2. Tersoque mentis nubilo
Vobiscum dulcis iubilo
Nos Deo exercituum
Psallamus in perpetuum.

3. Sit angelorum Domino.

Ad Vesperas.

1. Summae Deus potentiae,
Qui ordines ierachicos
Virtute sapientiae
Mire distinguis caelicos,

2. Precamur te suppliciter,
Hos defensores dirige,
Nobis per quos fertiliter
Salutis dona porrige.

3. Nos consolando visitent,
Purgent, inflamment, doceant,
Ad bona semper incitent,
Vim daemonum coerceant

4. Devotisque congaudeant
Ac roborent virtutibus,
Ut hi ipsorum compleant
Cohortes in caelestibus.

5. Laus tibi, Deus, penitus.

Ad Completorium.

1. [O] angelorum gloria,
Fac horum nos custodia
Semper peccata fugere
Hostemque saevum vincere.

2. Nunc munda cordis aciem,
Ut facie ad faciem
Te contemplemur dulciter
Cum angelis perenniter.

3. Sit angelorum Domino.

Orat. ms. Vallis Iocosae [?] saec. 15. Cod. Labacen. 45.

187. De s. Angelo Custode.

Salve, splendor paradisi,
mi gloriose angele,
Salve, iubar claritatis
supernalis curiae.
Ave, flos immortalitatis,
Ave, gemma puritatis,
Ave, dulcor caritatis
Triumphantis patriae,
Tu norma sanctitatis
Divinalis oboedientiae,
Tu, qui mei curam (gratis) accepisti,
ab omni hoste protege,
Ut simul perfruamur [gloria]
coram immenso iudice.

Missale speciale Toletanum saec. 15. Cod. Vatican. 6264. — Am Ende der Messe auf den h. Schutzengel angehängt unter dem Titel „Laus".

188. De sancta Anna.

1. Gaude, felix Anna,
mater matris Christi,
In urbe de Bethlehem
nata tu fuisti,
Regum ex progenie
sancta processisti,
Unde laudes debitas
digne promeruisti.

2. Gaude, felix Anna,
diu desponsata
Viro iusto Ioachim
proleque privata;
Tunc tibi ab angelo
verba sunt prolata,
Quod felici fieres
fructu fecundata.

3. Gaude, felix Anna,
quia tibi soli
Competit, ut mater sis
matris regis poli,
Funde preces filiae
filiaque proli,
Ut nobis non noceat
daemon, doctor doli.

4. Gaude, felix Anna,
de qua procreata
Est haec virgo virginum,
Maria vocata,
Nostra sis cum filia,
mater, advocata,
Ut nos salvet suboles
virginis beata.

5. Gaude, felix Anna,
pia mater, plaude,
Plena melle canna,
nos in tua laude
Famulos, o, sana
qualibet a fraude
Quasi mel et manna;
felix Anna, gaude.

Clm. Collect. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 1, 4 na fuisti. — 3, 2 sq. competit soli.

189. De sancta Anna.

1. Anna stellam matutinam,
Stellam maris et reginam
Peperit clementiae,

2. Cum qua vere iam laetatur,
Quia Deum contemplatur
Revelata facie.

3. O beata radix viva,
Mirae pietatis oliva,
Nutu Dei electa,

4. Ex qua processit cunctorum
Virgo origo bonorum,
Homini fructifera.

5. Tu nos, Anna, mater pia,
Cum tua prole Maria
Duc ad caeli gaudia.

Cursus de Domina sec. ecclesiam Hamburgensem imp. Rostochii 1522. — 4, 1 sq. Ex qua cunctorum processit origo bonorum. — 5, 1 mater fehlt.

190. De s. Antonio Eremita.

1. O Antoni, sancte pater,
Salutaris vitae crater,
Quae nos turbat multis malis,
Pestis epidimialis
Ut a nobis exstirpetur,
Tua virtus operetur.

2. Es signifer et lucifer,
Sis noster ergo scutifer,
Ne morbus hic nos feriat,
Precamur te, quod pereat
Radix eius atque fomes,
Malus est nam ipse comes.

3. Tamquam fur in nocte venit,
Tunica non, quam invenit,
Vel pallio nos spoliat,
Sed pelle nos excoriat,
Et non solum privat pelle,
Aufert vitam suo felle.

4. O Antoni, tanta caede
Ne caedamur, intercede
Mox ad Deum mente pura,
Sua ne nos creatura
Per ipsius morbi ramnum
Patiamur illud damnum.

5. Morbus hic contagiosus
. . . .
Ne nos tam repente necet,
Te, confessor alme, decet
Arte tua nos mederi,
Namque scimus illud vere,

6. Si vis, potes nos mundare
Et hunc morbum effugare.
Fuga ergo venenosum
Morbum hunc et dolorosum
Praeservando non habentes
Et sanando patientes.

7. **Nos videmus veris signis,**
Infernalis quod est ignis;
Morbo passim liberantur
Per te, pater, et sanantur;
Placa Deum tua prece,
Nos ut salvet ab hac nece.

8. O Antoni, te precamur
Confidenter et affamur,
Nil Deus tibi denegat,
Cuius manus nos protegat,
A peste momentanea
Et morte subitanea.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 scater. — 1, 3 Qui. — 4, 5 rampnum. — 4, 6 dampnum.

191. De sancta Apollonia.

1. Virgo laudanda,
Impetra impetranda,
Me libera ream,
Ut te laudare queam,
O virgo pia, grata,
Mea terge peccata,
Tuo intercessu
Me purga ab excessu
In hoc dentium dolore,
Pulchrior es nam omni flore.

* * *

2. Apolloniam nobilem
Dominus exaltavit,
Ancillam suam humilem
Ad caeles elevavit,
Digne immarcassibili
Serto hanc exornando
Et supernorum agmini
Clemens associando.

Orat. ms. Bohemicum saec. 15. Cod. Ducumburgen. 89. — 1, 3 reum gegen den Reim. — 1, 5 O virgo pia Apollonia grata.

192. De sancto Augustino.

1. Augustinus, ex honestis
Genitus parentibus,
Iuventutem in modestis
Consummavit moribus,
Fide tamen atque gestis
Distans a fidelibus.

2. Umbras haeresis profanae
Obscuratur misere,
Multum errans per inane
Praeceps coepit ruere,
Quaerens verum et mundanae
Lucis more cernere.

3. Gratia divina dante
Tractus ab exitio,
Sectam, quam defendit ante,
Verbi necat gladio.
Et baptisma mediante
Percepit Ambrosio.

4. Ualidus haereticorum
Dicitur hinc malleus,
Factus et catholicorum
Monitor idoneus,
Lux doctorum, forma morum,
Scripturarum puteus.

5. Sprevit saeculi honores
Vitans causas scelerum,
Sequens mundi contemptores,
Amans vitam pauperum,
Regulavit vitae mores
Ad exemplar veterum.

6. Totus quidem caritatis
Ferbuit incendiis,
Ex supernae claritatis
Illustratus radiis,
In abyssum caritatis
Fertur desideriis.

7. In divinis scripturarum
Ipse voluminibus
Mundo luxit sidus clarum
Scriptis et sermonibus,
Umbras fugans tenebrarum
Ex humanis cordibus.

8. Nobilem de clericali
Statu scripsit regulam,
Vivens ipse lege tali
Ad sanctorum formulam,
Veste, victu generali
Utens strinxit crapulam.

9. Uitae dies in senectam
Explicat utiliter,
Bonis actibus perfectam
Sinit ipsam dulciter,
Caeli patriam dilectam
Intrat immortaliter.

10. Sancte pater Augustine,
Tuae fer familiae
Opem gratiae divinae
Et misericordiae,
Ut ditemur sine fine
Tecum bonis patriae.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 3 erras. — 3, 2 Tractus fehlt. — 3, 5 baptismo. — Akrostichon: Augustinus.

193. De sancta Avia.

1. Inclita martyr Avia,
Du cuer humblement te suplie,
Conducat me recta via
En ceste trouble et mortel vie;
Prie la doulce virge Marie,
Que fert reis remedia,
Quae en labenoi te compaignie
Puisse avoir caeli gaudia.

2. Humiliter te rogamus,
Tres doulce virge, sainte Avoye,
Ad gloriam, quam optamus,
Nos ames conduys et avoye.
Mayne nos par si droite voye,
Que hostem non timeamus,
Chantans en perdurable ioye
Omnes: te Deum laudamus.

Orat. ms. Montis S. Michaelis saec. 15. Cod. Abrincen. 45.

194. De sancta Barbara.

Barbara, virgo Dei, spes perpetuae requiei,
  Lux verae fidei, quaeso, memento mei.
Ut supernorum me turbis adnumerari
Et collaetari contingat in arce polorum.
A patre terrestri, sanctissima virgo, necaris,
Sed de caelesti, dignissima, vivificaris.
Hoc magnum munus mihi det, qui cuncta creavit
Teque coronavit, qui regnat trinus et unus.

Collect. ms. Insulae reginae caeli anni 1479. Cod. Darmstadien. 2653. — An dieses Gedicht schliessen sich in der Hs. noch die folgenden Verse:

Barbara, tu mentem Satanae compesce tumentem,
Barbara ne sua vis noceat, virgo, rogo, suavis.

195. De sancta Barbara.

1. *Ave*, Barbara beata,
Martyr quoque Deo grata,
Afflictorum advocata,
Tu adiutrix sis rogata,
Ut defectus et peccata
Nostra per te sint ablata.
Sponsa Christi es vocata,
Audi, quaeso, mea vota,
Propter tuam passionem
Tutum meum fac agonem.

2. *Salve*, candens margarita,
In cubili regis sita,
Quae in aula nuptiali
Et conventu virginali
Locum tenes praeparatum,
Sponsum nobis fac placatum.

3. *Ave*, gemma claritatis
  Ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi,
  More fragrans balsami,
Barbara, virgo nobilis
Martyrque dives meritis,
Te orantes
  protege a periculis
Ac caelorum
  iunge gaudiis.

Oration. ms. S. Petri Salisburgensis saec. 15. Cod. Petrin. a VI 35. — 1, 1 Ave, virgo N beata. — Aufschrift: „Oratio bona de s. Barbara vel alia virgine.“ Aus 1, 9 sq. und 3, 5 geht indes hervor, dafs das Gedicht auf Barbara beabsichtigt war.

196. De sancta Barbara.

1. Ave, sancta Barbara,
   Christo desponsata,
   Et virginum aureola
   Ab ipso ornata.

2. O beata,
   Deo grata,
   Sponsa Christi Barbara,
   Esto pia
   Mihi, quia
   Sum in labe misera.

3. Mundi florem et nitorem
   Refutasti,
   Sed angelorum dominum
   Tu amasti.

4. Ergo digna, o benigna,
   Nunc implora et exora
   Pro me Dei filium,
   Ut peccata perpetrata
   Iam deflenti paenitenti
   Detur mihi venia;

5. Ut post vitam hic finitam
   Fine bono Dei dono
   Fruar caeli gloria.

Orat. ms. Bohemicum saec. 15. Cod. Ducumburgen. 89. — 1, 4 Ab ipso digne ornata. — Als „Oratio" bezeichnet.

197. De sancta Barbara.

1. Ave, gemma o praeclara,
   Martyr Dei Barbara,
   Salve, lucens margarita,
   Virtutum flore redimita,
   Ave, virgo gloriosa,
   Sponsa Christi praeformosa.

2. Salve, rosa vallium,
   Paradisi lilium,
   Pulchra nimis, Deo grata,
   Quae a patre es truncata,
   Nunc vero iugi gloria
   Regnas in caeli curia
   Cum Christo, o pulcherrima,
   Inter sanctorum agmina

3. Ora pro nobis iugiter,
   Ne morte damnabiliter
   Nos laedat culpa criminum
   Nec taetra turba daemonum,
   Sed sacro Christi corpore
   Et pretioso sanguine
   Refecti simus dulciter,
   Ut tecum aeternaliter
   Gustemus Christi munera
   Per infinita saecula.

Orat. ms. Stirpinense[?] saec. 15. Cod. Stirpinen. 43. — 3, 7 sumus. — 3, 10 saeculorum saecula. — „Quicunque sequentum orationem vel unum Pater noster et Ave Maria ob honorem sanctae Barbarae, virginis et martyris, cotidie dixerit, et diem passionis eius celebraverit cum ieiunio et divino officio, si potest, nunquam subitanea morte nec sine dominico sacramento nec etiam sine confessione et contritione morietur."

198. De sancto Bartholomaeo.

1. Excitare, o cor meum,
Laudando Bartholomaeum
Cum voce laetitiae,
Qui est petens apud Deum,
Ne me damnet suum reum
Rigore iustitiae.

2. O Bartholomaee care,
O mi princeps, o praeclare
Dux magnificentiae,
Tu es magnum luminare,
Toti mundo salutare,
Mirae resplendentiae.

3. Tu ditator egenorum,
Propugnator peccatorum
Hos Deo pacificans,
Liberator devotorum,
Ligator daemoniorum
Haec urens, mutificans.

4. Gaude, in apostolorum
Numero duodenorum
Vere stas dulciflue,
Quo tanguntur flores florum,
Penes artem musicorum
Sonando melliflue.

5. Nam octavus descendendo
Es et quintus ascendendo
Recte magistraliter,
Ex quo facto hoc perpendo,
Dulcem, pium te essendo
Valde specialiter.

6. Quia chorda tensa bene
Dulcem sonum reddit plene,
Sic tu passus gravius;
Stricte corpus tensa lene
Pelles, nervi sunt et venae,
Ergo sonas suavius.

7. Multis malis sum innisus,
Sed oro de te confisus,
Ut ab his excorier,
Circumquaque circumcisus,
Hoc sit mihi paradisus,
Ut sic novus glorier.

8. O mi pater pietatis,
Adiutor necessitatis
Omni in periculo,
Hostes pelle pravitatis
Et me loca cum beatis
In mortis articulo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

199. De sancta Birgitta.

1. Beatarum mulierum
Birgitta sanctissima,
Nam novisti Deum verum
Fide ornatissima,

2. Ad bonum a iuventute
Te allexit gratia,
In Deo vixisti tute
Summa cum fiducia.

3. Inclita tu sponsa Dei,
Oliva tu gratiae,
Augmentatrix sanctae spei,
O lampas ecclesiae.

4. Christi scatens fons et rivus,
Canna fecundissima,
Unde fluxit cibus vivus,
Doctrina doctissima.

5. Rex te caeli praeelegit,
Viduarum speculum,
Sibi totam te compegit
Nunc usque in saeculum.

6. O quam multis te dotavit
Donis, signis, meritis,
Iam in caelis te locavit
Praemiis cum inclitis.

7. Gaude, mater generosa,
Arbor salutifera,
Ave, o Swecorum rosa,
Vitis tu fructifera.

8. Quanta tibi revelavit
Christus mundo lucida,
Multos per te illustravit,
Gemma Iesu nitida.

9. In adversis es probata,
Sanctitate florida,
Nobili de stirpe nata,
Peregrina placida.

10. Perlustrasti loca sancta
Iussu Christi Domini,
Doctrinarum clara planta,
Honor Dei nomini.

11. Tu virtutum pulcher hortus,
Vas morum purissimum,
Tu salutis laetus portus,
Sidus splendidissimum.

12. Sis nunc mater orphanorum,
Tutrix in periculis,
Et salvatrix sis cunctorum
Flentium in vinculis.

13. Te honorat et implorat
Tota christianitas,
Per quam membris Christi rorat
Caritatis suavitas.

14. Utriusque status, sexus
Capita sanctifica,
In his sit amoris nexus,
Iam reos vivifica.

15. Amatrix sis clericorum,
Reduc cunctos ordines
Ad perfectam viam morum,
Flecte caeli cardines.

16. Pacem regnis, Dei zelum
Cunctis datis precibus
Electorum posce caelum
Aeternis cum laudibus.

Brev. ms. Gnadenbergense saec. 15. Cod Holmien. s. n.

200. De sancta Birgitta.

1. O Birgitta, stella clara,
Genita in Suecia,
Ut sol fulgens luce clara
Ex divina gratia,

2. Mentes nostras et illustra
Luce sapientiae,
Quae praefulges tam venusta
Multiformis gratiae.

Klemming I, 34. — Mit der Angabe: „S. Birg. Openb. IX.“ Es folgt dann noch die Antiphon Rosa rorans veritatem (sonst bonitatem) aus dem Officium der Heiligen, Anal. XXV, 162.

201. De sancta Caecilia.

1. Salve, sancta Caecilia,
Vere Mariae filia,
Sprevisti carnis vilia,
Caeli amasti lilia.

2. Salve, quod Dei filium
Sic dilexisti unicum,
Quod eius evangelium
Semper gerebat cor tuum.

3. Salve, quia angelico
Aspectu et alloquio
Perfruebaris saepius
Diebus atque noctibus.

4. Salve, sponsa cum virgine
Quae pro tuo precamine
Esse vera meruisti
Gratia praestante Christi.

5. Salve, virgo, cilicio
Tua membra, ieiunio
Quae domabas exterius,
Ut templum esses spiritus.

6. Salve, quae Valerianum
Pium eius et germanum
Christi fidem docuisti
Et martyrem effecisti.

7. Salve, tuo cum coniuge
Quod sine lege coniugum
Vitam duxisti caelibem
Juxta Mariam virginem.

8. O felices vos personae,
Quibus datae sunt coronae
Factae rosis ac liliis
A manibus angelicis!

9. Salve, virgo, quae impium
Superasti Almachium
Ratione, vi verborum
Tibi caelitus datorum.

10. Salve, verna studiosa,
Ut apis argumentosa,
Christo pure serviendo,
Incredulos convertendo,

11. Per quod Christus praedicatur,
Exaltatur et laudatur,
Quod puellam virginalem
Famulam haberet talem.

12. Salve, quae te tradidisti
Ad mortem amore Christi,
Quem pro me, quaeso, implora
Mecum sisque mortis hora.

13. Salve, tuum corpusculum
Quod inter tumbas praesulum
Digne locari meruit
Signisque multis claruit.

14. Salve, [martyr] gloriosa,
Inter virgines famosa,
Quae a matre benedicta
Sancta virgo tu es dicta.

15. Rogo, sancta Caecilia,
Me Christo reconcilia
Atque tua per merita
Absterge mea crimina.

Collect. ms. Libehardi, prioris Reichenbacen., anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 11, 1 Per quos.

202. De sancta Caecilia.

1. Florens, virgo, caeli rore,
Obumbrata florum flore
Caelitus, Caecilia,
Sponsum tuum ab errore,
Fratrem eius pari more
Vocasti propitia.

2. His Urbanum in candore
Ut caelestem in splendore
Demonstrasti conscia;
Per te salus in languore,
Detur, quies in labore,
In delicto venia.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

203. De sancta Caecilia.

1. O praeclara Caecilia,
Quae puritatis lilia
Virtutumque insignia
Christo obtulisti;
Tu summi regis filia,
Pulchra gerens monilia
Virtutum, per exsilia
Hinc regnum introisti.

2. O beata Caecilia
Salva corda debilia,
Precor, et fac agilia
In divino servitio.
Fac, ut nostra exsilia
Facta fiant utilia,
Salubria consilia
[Tuo, virgo, auxilio].

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

204. De sancta Christina.

1. Ave, virgo tu Christina,
Ave, dulcis et divina,
Ave, sponsa Christi vera,
Ave, mitis et sincera.

2. Martyr Dei, Deo digna,
Tua prece me consigna,
Preces audi peccatoris
Et me mundes intus, foris.

3. Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum,
Confer mihi cor contritum,
Rege visum et auditum.

4. Rege gustum et olfactum,
Virgo sancta, rege tactum,
Ut in cunctis te regente
Vivam Deo sancta mente.

5. O sancta martyr Christina,
Babylonis de sentina
Mihi tutum da ducatum,
Christum Iesum fac placatum.

6. Esto mihi consolatrix,
Pro me sis interpellatrix,
Pro me Christum interpella,
Solve mortis de procella.

7. Superare me fac mundum,
Ne demergar in profundum,
Me non sinas naufragari
In peccatis in hoc mari.

8. In conspectu potens Dei,
Memor esto, precor, mei,
O servitrix Christi fortis,
Esto praesens hora mortis.

9. Decumbentem fove, leva
Et de morte solve saeva,
Ut resurgam novus homo,
Civis in caelesti domo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

205. De sancto Christophoro.

1. Gaude, martyr Christophore,
Qui curasti servus fore
Solo Christi nomine.

2. Gaude, quia sitivisti
Iesum, ter a quo fuisti
Baptizatus flumine.

3. Gaude, quia ferrum durum
Liquivit ut cera purum
Tuo deprecamine.

4. Gaude, quia confortasti
Dagnum luscum, quem sanasti
Cum lutoso sanguine.

5. Gaude, caelo exaltatus
Et in mundo denotatus
Consolator inopum.

Orat. ms. Ultraiectinum saec. 15. Cod. Nordkirchen. s. n.

206. De sancto Christophoro.

Ave, martyr Christophore,
Qui regem caeli et terrae
Tuis portas in umeris
Per aquas diri fluminis,
Duc nos per fluctus saeculi,
Ne demergamur naufragi,
Sed fac per mortem corporis
Sociemur in superis.

Horae BMV. ad usum Venetensem saec. 15. Cod. Vindobonen. 1919. — 7 Sed fac nos per.

207. De sancto Christophoro.

O sancte Christophore,
martyr Iesu Christi,
Qui pro eius nomine
poenas pertulisti,
Opem confer miseris
atque mundo tristi,
Qui caelestis gloriae
regna meruisti.

Horae ms. sec. usum Sarum saec. 14. Cod. Coll. Iesu Oxonien. 32. A. — Horae ms. sec. usum Sarum saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Miscel. 98. B. — Salicetus, Antidotarium animae imp. Argent. 1489. C. — Antidotarium animae imp. Argent. 1491. D. — 1. O fehlt, AC; Gaude sancte B. — 3 pro Christi nomine C. — Quae caelestis B. — An diese Zeilen schliefst sich in allen Quellen unmittelbar an: Christophori sancti speciem quicunque tuetur, Anal. XXXIII, Nr. 75.

208. De sancto Clemente.

1. Ave, martyr triumphalis,
Christi praesul specialis,
Nos a mundi sana malis,
Ne nos amor mundialis
Mergat in flagitia.

2. Palma nitens triumphali,
Aqua mersus marinali,
Vitam claudis morte tali,
Ut post mortem immortali
Fruereris infula.

3. Una voce, mente pari
Nos honore singulari
Te studemus venerari;
Dum versamur in hoc mari,
Exhibe suffragia,

4. Ut tua per magnalia
Crescant spiritualia,
Nec desint temporalia,
Post haec et aeternalia
Dentur Christi munera.

5. O Clemens, martyr Domini,
Tuo beato nomini
Nostra subscribe nomina
In libri vitae pagina
Christi dante gratia.

6. Ne permittas spe frustrari,
Quibus potes suffragari,
Fac nos Christo praesentari,
Ut hunc tecum contemplari
Possimus in gloria.

7. Ubi nec cras, nec hesternum,
Sed est idem hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Ubi pax est infinita,
Ubi Deus omnia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 4 immortalis. — Das Lied zeigt namentlich am Schlusse starke Entlehnungen.

209. De sancto Cuthberto.

O decus Anglorum, titulis pollens meritorum,
Mi Cuthberte pater, pronis pius, hostibus acer,
Te mihi suspiro. te spe, prece, mente requiro.
Novimus, alter erit, tua qui suffragia querit,
Tristis letatur, flens ridet, egensque beatur.
Nunc hilaris maesto, misero miserator adesto.
Sum maestus plane, quod vixi, fugit inane,
Fugit enim, dixi, vita nil utile fixi.
Quantum peccavi! flens crimina post iteravi.
Quae bona, quae liqui, nil detestatus iniqui?
O me peccantem! sprevi peccando tonantem,
Quem quotiens sprevi, me de caelis abolevi.
Exosus caelo, terrae, cur vivus anhelo?
Postponens Christum delegi mortis abyssum,
In barathri fundum mergit scelus omne profundum.
Horreo, peccantem me dico, tanta patrantem,
Non fero me talem, me conspiciens animalem.

Fonte Dei lotus renovabar et unguine fotus,
Splendidus exivi, sed post sordes repetivi.
Vae michi, peccavi, culpas culpis cumulavi!
Vae michi, quo vadam? novus in me decidit Adam,
Ingemino vae, vae, repeto vae filius Evae.
Non tolero memet, nec possum linquere memet.
Tu locus effugii, pater, es, patiaris adiri,
Huc magis ipse cito, miseri miserendo venito.
Respice languentem, peccavi, morte paventem,
Exora Iesum, velit me visere laesum.
Saucius ex telo culpae medicamen anhelo.
Fer, precor, antidotum, medicus, medicina dolorum.
Porrige, quaeso, manum, facias mox surgere sanum,
Porrige, quo mundum reddat, baptisma secundum.
Spes mea post Christum, prece pellas omne sinistrum,
Oro, iuvare velis, et mox tibi stabo fidelis.
Posce mihi flatum, quondam tibi mystica fatum,
Quae puer octennis perdiscis ab ore triennis.
Ut te de caelis Raphael, me trade medelis,
Dans nautis portum fac, tendam pacis ad ortum,
Orans intente, transcendens terrea mente,
Quo tu tendebas, sanctum transire videbas,
Fac, ut eo tendam, dum morti iura rependam.
Te, pater insignis, daemon expavit et ignis
Te, fugiant per te Satanas, Venus, hostis uterque.
Pastus ut in terris paradisi pane referris,
Fac, vivi panis nunquam mea mens sit inanis.
Orans, praedicens, praesens, absens benedicens,
Potu, pane, manu, cruce, chrismate, munere, tactu
Morbis marcentes subito das ire valentes.
Aegrum peccatis relevato, pater pietatis,
Me repares, queaso, fer opem, pater optime, laeso.
Respice prostratum, culparum mole gravatum,
Stabo sanatus, si vis audire rogatus.
Quod vis, fac velle, procul a me cetera pelle,
Velle, quod odisti, da vivam victima Christi,
Vivam non mundo, sed caelis sine secundo.
O cui te credis secretae gratia sedis,
Te bene, te novit, secretius abdita fovit,
Quae solvi carne te viderat inclita Farne.
Sancte Dei civis, melius post funera vivis,
Sanctus cum sanctis felicior ore tonantis,
Sanctus sanctorum tua pars, tua palma laborum.
Suscipe vota precum, peto, fac me vivere tecum.
Dic, rogo, dic amen, dic consummendo precamen.

Legend. ms. Dunelmense saec. 12. ex. Cod. Oxonien. Laud Misc. 491. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

210. De sancto Dominico.

1. O sancte Dominice,
Confessor magnifice,
Christi praedicator,
Fidei catholicae
Pugil et haereticae
Pestis exstirpator,
Legis evangelicae
Simul et propheticae
Fervens aemulator,
Pie hic nos respice
Coram summo iudice
Noster mediator.

2. Eia, pater, propera,
Clementer accelera,
Iuva te rogantes,
Inter huius aspera
Saeculique prospera
Rege fluctuantes;
Quae nos girant, onera
Tua dele dextera
Et te collaudantes
In hac valle misera
Ad te super aethera.
Subleva laetantes.

3. Pro benefactoribus
Ac familiaribus,
Pro recommendatis,
Pro itinerantibus
Et pro paenitentibus
Sive desperatis
Te profusis precibus,
Petimus, ut omnibus
Veniam peccatis
Impetres et sedibus
Coniungas caelestibus,
Pater pietatis.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 Confessor Domini magnifice.

211. De sancta Dorothea.

Iesus, Mariae filius
Et Dorotheae dominus,
Qui virtute sancti spiritus
Ab hoste eam liberavit
Atque eam dulciter
Mox ad se vocavit
Ac rosas cum rosario
Mense Februario
Ad preces eius notario
Cum frondibus donavit,
Ipse dulcis Dominus,
Nos liberet hic protinus
A falsis criminalibus
Et a peccati nexibus,
Qui testis est fidelis,
Ac Dorotheae precibus
Et gloriosis meritis
Coronet nos in caelis.

Orat. ms. Campense anni 1462. Darmstadien. 521. —

212. De sancta Dorothea.

1. Gaude, virgo Christo grata,
Dorothea sic vocata
Disponente Domino.

2. Gaude, virgo gratiosa,
Dorothea speciosa,
Deitatis gratia.

3. Gaude, virgo, te quaerenti
Et sincere diligenti
Certa das tripudia.

4. Gaude, dulcis advocata,
Caeli serto coronata,
Ardens ut carbunculus.

5. Gaude, splendens pulchritudo,
Virginum tu claritudo
Ad instar carbunculi.

6. Gaude, virtutum area,
Urbe nata Caesarea,
Tu a me pelle vitia.

7. Gaude, maestis es solamen
Miserorum et velamen
In saeclo naufragantium.

8. Gaude, decus humilium,
Mihi confer auxilium,
Et pro me ora Dominum.

9. Gaude, quanta impetrasti,
Ictus ensis dum sperasti,
Sub praefecto Fabricio.

10. Gaude, cuncti ablutricem
Scelerum, te assistricem
Sciant mortis periculo.

11. Christi dona visionem,
Peccatorum tersionem,
Veram cordis compunctionem,

12. Dei matris praesentiam,
Tuamque apparentiam,
Duc nos ad Dei gloriam.

Orat. ms. Tirnsteinense saec. 15. Cod. Ducumburgen. 84. — 4, 3 Ardens carbuncule. — 5, 2 tu fehlt. — 7, 1 es fehlt. — 10, 1 adiutricem. — 10, 3 in periculo. — 12, 3 Duc nos post te ad.

213. De sancta Dorothea.

1. Ave, virgo Deo grata,
Dorothea sic vocata
Parentum elogio;
Ave, rosa sine spina,
Vulneratis medicina
Meriti fastigio.

2. Ave, virgo virtuosa,
Dorothea speciosa
Deitatis gratia;
Ave, omni te quaerenti
Et sincere diligenti
Magna dans solacia.

3. Ave, dulcis advocata,
Caeli serto coronata
Ardentis sardiunculi.
Ave, splendens claritudo,
Inexhausta pulchritudo
Ad instar carbunculi.

4. Ave, maesti consolamen,
Miserorum relevamen,
Triumphatrix zabuli;
Ave, digna tu videre
Salvatorem tunc sincere
Sub forma pueruli.

5. Tu virtutum es area
Vere, nata Caesarea,
O decus humilium;
Stirpe namque procreata,
Castitate phalerata,
Parentum sublimium.

6. O quam, virgo, ruda multa
Pertulisti sic suffulta
Sacro sub umbraculo,
Nunc a doctis et mirandis
Datur tibi honor grandis
Sponsi adminiculo.

7. O quot bona impetrasti,
Ictum ensis dum spectasti
Praesidis Fabricii;
Mulieri parienti
Nomen tuum invocanti
Datur spes remedii.

8. Ut postremum infamati,
Paupertate adgravati
In praesenti saeculo
Sciant sibi assistricem
Celeremque adiutricem
Quovis in periculo.

9. Et in fine suae vitae,
Omnes, rogo, hoc audite
Colentes memoriam,
Veram cordis punctionem,
Peccatorum tersionem
Post ad poli gloriam.

10. O suave tuum nomen
Nobis praestet per te, Amen,
Mala cuncta fugere,
Ut concedat fidem rectam
Caritatemque perfectam,
Spe nunquam deficere.

11. Eucharistiae ducamen
Contra hostis obluctamen
Larga det devotio.
Hoc condonet, qui est unus,
Vere quoque exstat trinus,
Aevi stans causatio.

12. Huius virtus infinita,
Qua paratur nobis vita
Et cunctis ab exordio,
Clementia non fabilis,
Ens incomprehensibilis
Teste sacro eloquio.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 39. — 6, 2 Protulisti. — 11, 5 Ve quoque. —

214. De sancta Dorothea.

1. Ave, virgo Dorothea,
Cor mundum in me crea,
Vitam [meam] sic guberna,
Tuus ut sim dignus verna,
Ignem da sancti pneumatis,
Ut ex toto corde queam
Spem te singularem meam
In praesenti collaudare
Possimque tibi decantare
Melos sonori neumatis.

2. O virgo virginum praeclara,
Quae tormenta tam amara,
Ferventis olei vicisti
Et illaesa exivisti,
Me de peccatis erige.
O votiva spes lapsorum,
Quae per manus angelorum
Es in carcere nutrita,
Me fove nunc in hac vita,
Gressus meos dirige.

3\. O Dorothea laude digna,
Idola per te maligna
A Fabricio erecta,
Ab angelo sunt abiecta,
A me fuga haec idola.
In eculeo suspensa,
Facibus dire succensa,
Me ure caritate Dei,
Ancora sis meae spei,
Ne fraude vincar subdola.

4\. O Dorothea, sponsa Christi,
Memorare, quod misisti
Rosas cum malis, munus mirum,
Theophilo, cum frigus dirum,
Erat brumali tempore;
Mitte rosas cordi meo,
Me coniunge soli Deo,
Ut per talem convecturam
Mortem evadam praeduram
In anima et corpore.

5\. O virgo, cum hinc transmigrasti,
Sub gladio tunc impetrasti,
Deum qui deprecaretur
Per te, mox ut exaudiretur
Cunctis in periculis.
O Dorothea, virens vitis,
Assertorem tuae litis
Hic astantem comtemplare,
Gemescentem tam amare
Singulibus nunc sedulis.

6\. O vas multum opulentum
Super aurum et argentum,
In paupertate me amara
Solve, virgo, precor, clara,
Languentem prae inopia;
Non me tuum asperneris
Nec indignum indigneris,
Me commendo tibi totum
In amore tuo potum,
O pietatis copia.

7\. O rosa rubens sine spina,
Flos illaesus a pruina,
Tortor, virgo, ne me laedat,
Nexus inferni ne me caedat,
Me audi, vernans lilium.
O Dorothea, martyr Dei,
Miserere, virgo, mei,
Te laudantem non ignora,
Sed pro me semper exora
Christum, Mariae filium.

8\. O Dorothea, spes virtutum,
Me sordibus multum imbutum,
Servum tuum nunc exaudi,
Fine malo ne me claudi
Sinas in meis vitiis.
O virgo castitatis mirae,
Tibi decrevi nunc servire,
Sub tua cura tam suavi
Me habe, nam te amavi
Prae cunctis deliciis.

9\. O virgo, cum hinc emigrare
Me contingit, tunc aptare,
In horrenda mortis hora,
Veni, virgo, sine mora
Tuere me et libera.
Sis securum mihi scutum,
In agone fac me tutum,
Da, ut hostem non pavescam,
Sed in Christo requiescam
Quiete salutifera.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 39. — 1, 7 Spem firmam singularem. — 1, 10 sonoris. — 5, 4 mox et. — 5, 6 vivens. — 5, 10 Singultatibus. — 6, 6 aspernaris. — 6, 7 indignaris. — 6, 9 tue. — 8, 9 te virgo amavi. — Nach dem Amen folgt noch die A:

Dorothea Christo grata,
Afflictorum advocata
Adiutrix[que] sis rogata,
Ut defectus et peccata
Nostra per te sint ablata.

215. De sancta Dorothea.

1. Margarita pretiosa
Et virtutum vernans rosa
Senatorum genere,
Pater Dorcus, mater Thea,
Sic vocata Dorothea
Congregato nomine.

2. Tibi sponsum elegisti
Christum, per quem meruisti
Paganorum numerum,
Tui sanguinis sorores,
Non habentes Christi mores,
Perducis ad Dominum.

3. Condigne Cappadocia
Cum urbe Caesarea
Te sustinet martyrem,
Ubi tuum laceratur
Corpus atque maceratur
A rege Fabricio.

4. In mense Februario
Tu scribae Theophilo
Mittis mala bina,
Trinas quoque rosas
Vernantes, speciosas
Sub gratia divina.

5. Qui videns Deum timuit,
Martyrium sustinuit
Intrans caelorum gloriam;
Nunc animae et corporis
Tu nostri in periculis
Habeto memoriam.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 38. — 3, 5 et maceratur. — 5, 1 et timuit. — 5, 2 Et martyrium.

216. De sancta Elisabetha.

O viridis palma, bonitatis Elisabeth alma,
Flos Alamannorum, consolatrix miserorum,
Hortus honestatis, fons totius bonitatis,
Ex Christo data, regali stirpe creata,
Tu schola virtutis, aegris spes certa salutis,
Non fuit in mundo patientior hoc furibundo.
Exstas insignis meritis, multis quoque signis,
Organa das lucis, defunctos ipsa reducis.
Herbida tu tellus, Gedeonis nobile vellus,
Hesther cum Iudith in te sua munera fudit.
Pro nobis ora, cum mortis venerit hora,
Pandens absque mora paradisi regna decora.

Collect. ms. Libehardi, prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990. — 5 virtutum. — 7 multis fehlt. — 12 mora fehlt.

217. De sancta Eulalia.

Terna iam dena moriens Eulalia plena
More, boni vena fuit orbi, luna serena.
Nuda flagellatur, oleo sua mamma crematur,
Plumbo temptatur, ignita calce probatur.
In fornace Iesum caelestem palpitat esum,
Quae nos prece pia perducat ad aethera summa.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

218. De sancta Fide.

R⁰. Praesidium vitae qui quaeritis, ecce, venite,

1. Quique laboratis, si vultis opem pietatis,
Tollite clamorem sub sanctae Fidis honorem
Eius laudando numen simulatque precando,
Haec ut vestrarum sit portus aegrimoniarum.

2. O mundanarum despectrix divitiarum,
Virtutum telis armata manendo fidelis,
Nomen de veris rebus duxissse videris,
Fides praeclari meriti bene digna vocari.

3. Lucifer ut stellis aliis praelata puellis,
Iudice sub tristi flammas quae tuta subisti,
Exaudi tantum tibi debita vota precantum,
Possint adiuti quo per te vivere tuti.

4. O pia bellatrix, virtutum semper amatrix,
Pro voto Christi gladio caput exposuisti
Hoc pacto fortis subeundo pericula mortis,
Unde tibi laetus congaudet in aetere coetus.

5. Peste nimis dira Daciani ferbuit ira,
Ut male puniret, quos Christo credere sciret;
Agmina sanctorum fugiunt ex urbe virorum,
Sed pugnax hosti tu sola resistere nosti.

6. Formoso toto succumbis corpore leto
Sanguineis rivis, Christo sed in aethere vivis,
Corpus et algescit, sed in astris vita calescit;
Hic tibi sedes est, quo iustis scandere spes est.

7. Gaudes sidereis, virgo, sociata choreis,
Caelitus aeterno regi copulata superno,
Corporis et vita frueris in morte potita,
Obstans hostili rabiei corde virili.

8. Laudibus aeternis caelo celebraris et arvis,
Cuius maiestas, nomen simulatque potestas
Cunctis clarebunt, dum terrea regna manebunt,
Et si transibunt, tamen haud tua facta peribunt.

9. Sponsa Dei magni, qui Christus dicitur, agni
Virginis atque piae, virgo, nurus atque Mariae,
Sis praesens genti non aequa sorte dolenti
Menteque devota, quae fundimus, accipe vota.

10. Desolatorum gratissima spes animorum
Atque laborantum requies te, laeta, vocantum,
Martyr et insignis, precibus moveare benignis,
Huius in adversis vitae dans prospera mersis.

11. Quos titubare vides, te poscimus, inclita Fides,
Conservare velis illaesos, virgo fidelis,
Nos validos per te fieri, quod scimus aperte,
Nec prece frustrata quemquam sinis ire vocata.

R⁰ Nunc populo maesto praesens, pia martyr, adesto.

12. Te nisu toto petimus cum supplici voto,
Ut via virtutis sis nobis atque salutis,
Et, quod peccamus, solvat tua cura, rogamus,
Praebens tutelam miseris necnonque medelam.

13. Vincula nostrarum dissolvat tristitiarum,
Robur et augmentum tua fortitudo gementum,
Te si mens orat pia, non frustrata laborat,
Ut noxas pleret, sed dico, si sua maeret.

14. Fortunam maesto, depressis gaudia praesto,
Pacem turbatis, perversis vim pietatis,
Pellens languorem malesanis atque vigorem,
Exsulibus patriam stolidis rectamque sophiam.

15. Virtutis verae cultrix, pia virgo, medere
Cunctorum morbis per climata totius orbis
Perque tuum nomen rectum des omnibus omen,
Gratibus immensis celebreris ob ista repensis.

16. Adversis rebus praesentibus, alma, diebus,
Virgo, tuum munda templum dans cuncta secunda,
Expers maeroris ut floreat omnibus horis,
Iniciens maestas curas pellatur egestas.

17. Pro culpis demum Dominum, pia, flecte supremum,
Cum discussurus iudex erit ista futurus,
Tempus ad extremum cogens finire supremum,
Pacifica miram districti iudicis iram.

18. Illud ad examen tua plebs tunc laeta iuvamen
Sentiat, infernis non iuncta sed usa supernis,
Iudex iratus ne vindicet ille reatus,
Quam nos torqueri, potius velit et misereri.

19. Cum tamquam plebis princeps tunc, virgo, sedebis,
Pro stupefactorum desudes parte reorum,
Qui sibi non secum fidunt, fac vivere tecum,
Dans laqueos illis evadere perditionis.

20. Nostros placatus pater audiat ipse precatus,
Illius et natus concedat nos miseratus,
Roboret et flatus veniens ab utroque paratus;
Creditur iste Deus personis sub tribus unus.

R[0] Laudes mens illi referat gregis ergo pusilli.

Passionale ms. S. Fidis Conchensis saec. 11. ex. Cod. Selestadien. 95 (1187). — Nach Strophe 1—10 inkl. folgt jedesmal der Rundreim: „Praesidium vitae", nach den übrigen Strophen: „Nunc populo maesto." — Vgl. Bouillet, Liber miraculorum sanctae Fidis Paris. Picard. 1897.

219. De sancto Francisco.

1. O Francisce, pater sancte,
Devotionis fuisti tantae,
Quod divinus amor se signavit
Teque sibi assimilavit
Et in amore confirmavit,
Nunc quem sibi associavit.

2. Supplico tibi, bone pater,
Tui ordinis velut frater,
Respice in numero fratrum Minorum
Me, quem gravat onus peccatorum,
Impetra mihi veram paenitentiam
Firmamque perseverantiam.

3. Devotionem mihi procura,
O pie pater, de te sit mihi cura,
Rogo te per Iesum Christum crucifixum,
In quem scio te confixum,
Nunc et in morte sis adiutor,
Ne me perturbet persecutor.

4. O Iesu, Francisci amator,
Te nunc rogo pauper peccator,
Propter preces patris mei
Miserere mihi, fili Dei.
O bone Iesu, propter tuam mortem
Hunc patrem mitte ad meum agonem,
Ne formidem hostem fortem,
Sed me ducat ad tuam cohortem.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 4 gravet. — 4, 8 tuum.

220. De sancto Francisco.

1. O Francisce,
Concupisce
Cordibus imprimere
Crucem Christi,
Quam tulisti
Stans in hoc itinere.

2. Fac ardere
Nos, languere
Cura crucem Domini,
Et sit totum
Cor devotum
Pretioso sanguini.

3. Cordi funde
Iam profunde
Crucifixi vulnera,
Quibus dentur
Et parentur
Nobis salutifera.

4. Det saporem
Crux, odorem
Nobis et dulcedinem,
Qua pascamur
Et ducamur
Ad beatitudinem.

5. Cor ad crucem
Quasi lucem
Speculando gaudeat,
In qua fixe
Stet, prolixe,
Firmiter inhaereat.

6. Insignitum
Fac, munitum
Me crucis signaculo,
Fac transfixum
Et infixum
Crucifixi iaculo.

7. Maculatum
Per peccatum
Me defende miserum,
Fac ferventem
Servientem
Mortis, crucis, vulnerum.

8. Hunc thesaurum
Super aurum
Me sitire facias
Et immensum,
Fac, accensum
Ad cor tuum rapias.

9. Suffragare,
Pater care,
Tuis ante Dominum,
Fac Minores
Esse flores
Ceterorum hominum.

10. Crucem ament,
Ad te clament
Cordis desiderio,
Sint ferventes
Te sequentes
Filii vestigio.

11. Pater sancte,
Te iuvante
Simus in caelestibus,
Haec nos vere
Fac habere
Tuis sanctis precibus.

12. Adiuvare
Nos dignare
Stantes in exsilio;
Te sequamur,
Ut fruamur
Paradisi gaudio.

Horar. ms. Franciscanum. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — 2, 1 Fac nos ardere. — 4, 4 Quam. — 6, 3 Nostrae crucis. — 8, 4 immensium. — 8, 6 Et cor tuum. — 9, 3 ante Christum. — Trotz der Überschrift „Sequentia" in der Quelle ein Reimgebet.

221. De sancta Frideswitha.

Firma Frideswida, fidei flos, femina fida,
Rectos rite regens regem reprobando repellens,
Ignis iustitiae iubar irradiavit in illa.
Dogmata digna Dei dominabus dans duodenis,
Edibus ex eius enormes expulit estus.
Sacras sancta sibi studuit sociare sodales,
Virgo venusta vigens virtutis vendicat vsum,
Vt viris vetitum vitium vitare volebat.
Iudex iustitiae iubar ingens intulit illi,
Turris tuba trucem tortorem tundere temptans.
Hic habitans humilis hostiles horruit hamos,
Angelicas acies adamans ascendit ad astra.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Oxonien. Rawl. C 550 (12 403). — 2 reprobando repelle. — 12 ab astra. — Es folgen in der Handschrift einige andere erzählende Verse mit dem Anfang: Carne Frideswidam genuit rex Didanus iste, die indes mit obigem Gedichte nichts zu tun haben. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

222. De sancta Genovefa.

1. *Genovefa*, flos virginum
Post matrem lucis luminum,
Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.

2. *Genovefae* praeconium
Pangat laudis confessio,
Et virginis praesidium
Nos absolvat a vitio.

3. *Genovefae* subiaceat
Nostrae mentis intentio,
Ne vitiosa foeteat
Tumens cordis elatio.

4. *Genovefam* fidelium
Veneretur devotio,
Culpae poscat remedium
Fervens cordis compunctio.

5. *Genovefa*, generalis
Salus in te sperantium,
Spes tuorum spiritalis,
Praebe tuis solacium.

6. *Genovefa* supplicante
Nullis premar supplicis,
Christo mihi miserante
Non puniar cum impiis.

7. Virgo clara virtutibus,
Virtutum fulgens titulo,
Coniunge caeli civibus
Exsules in hoc saeculo.

8. Virgo, per manus praesulis
Sponso dicata virginum,
Esto pro tuis famulis
Mediatrix ad Dominum.

9. Virgo, quae matris oculos
Luci restauras pristinae,
Participes fac servulos
Aeternae vitae lumine.

10. Virgo, quae facis puteum
Profundum superfluere,
Fac cor meum lapideum
Lacrimas tibi fundere.

11. Virgo, Parisiensium
Salus a persequentibus,
Esto nobis refugium
Ab inimicis omnibus.

12. Virgo, cui panis hordei
Cum fabis est refectio,
Nobis sit cibus fidei
Lacrimarum profusio.

13. Virgo, potans artifices
Dato de sursum poculo,
Satia tuos suppliccs
Aeternae vitae pabulo.

14. Virgo, quae prae te cereum
Lumen facis recipere,
Me facias sidereum
Verum lumen attingere.

15. Virgo, pro furti crimine
Caecata reddens lumina
Culpam fatenti feminae,
Mentes nostras illumina.

16. Virgo, quae membra plurium
Liberas a paralysi,
. . . .
. . . .

17. Virgo, quae viros liberas
A morte morti deditos,
A via mortis transferas
Ad vitam tibi subditos.

18. Virgo, puellae debili
Pedum reddens officium,
Via indeclinabili
Me duc ad summum gaudium.

19. Virgo, suspendens aere
Correptos a daemoniis,
Dignare nos eripere
A daemonum insidiis.

20. Virgo, quam falsae virginis
Non fallit simulatio,
Fac nos expertes criminis,
Dignos iustorum praemio.

21. Virgo, quae mersum precibus
Matri restauras filium,
A nostris deme cordibus
Vitae praesentis taedium.

22. Virgo, quae manum aridam
Sanasti tuis meritis,
Fac mentem nostram turbidam
Christi parere monitis.

23. Virgo, pulsis daemonibus
Sequanam reddens pervium,
Fac, ne cum peccatoribus
Iter carpamus devium.

24. Virgo, per quam solidatur
Membrorum dissolutio,
Per te nobis concedatur
Peccatis absolutio.

25. Virgo, quae viros liberas
Vexatos a daemonio,
Fac mentes nostras liberas
A daemonum dominio.

26. Virgo, quae caecam virginem
Redditis sanas oculis,
Mentis nostrae caliginem
Precibus pelle sedulis.

27. Virgo, per quam procuratur
Frigus et ardor febrium,
Per te nobis concedatur
Inter utrumque medium.

28. Virgo, quae naves fluvio
Periclitantes liberas,
Nos a mundi naufragio
Ad vitae portum transferas.

29. Virgo, nactas mirifice
Quae das fruges famelicis,
Caelesti pane refice,
Quos temporali reficis.

30. Virgo, quae pro pauperibus
Furtum facis laudabile
Dans panes indigentibus,
Crimen arce damnabile.

31. Virgo, debilem pedibus
Surdumquesananshominem,
Da nobis aequis passibus
Imitari te virginem.

32. Virgo, per quam parentibus
Sana redditur filia
De vita desperantibus,
Duc nos ad vitae praemia.

33. Virgo, quae parcis homini
Nolenti servo parcere,
Caelesti tuos agmini
Stude servos coniungere.

34. Virgo, foedis vestigiis
Foedum fugans daemonium,
A foetentibus vitiis
Purga secreta cordium.

35. Virgo, cuius potentiam
Sentiunt energumini,
Da nobis sapientiam
Christi devotam nomini.

36. Virgo, fractum vas olei
Pulso reformans daemone,
Praeceptis sanctae fidei
Parere tuos admone.

37. Virgo, quae demis pluviam
Messibus et messoribus,
Riga cordis duritiam
Salutiferis imbribus.

38. Virgo, quae corpus liberas
Oppressum morbo calculi,
Cordibus nostris auferas
Amorem huius saeculi.

39. Virgo, quae mirabiliter
Incurvos sanas digitos,
Sana misericorditer
Actus nostros illicitos.

40. Virgo, cuius praesentia
Moventur immobilia,
Fac in Christo stabilia
Corda, quae sunt mobilia.

41. Virgo, quae tuis meritis
Sequanae sedas impetum,
Ab actibus illicitis
Restringe mentis impetum.

42. Virgo, quae circumstantibus
Ab aquis servas lectulum,
Intactum iustis fluctibus
Riga mentis cubiculum.

43. Virgo, quae sacri caelitus,
Sedas ignis incendium,
In me criminum penitus
Extingue flammas omnium.

44. Virgo, me tuum famulum
Caeli fac dignum solio,
Quae vivum servas servulum
Templi lapsum fastigio.

45. Virgo, quae signis celebris
Rivos distillas olei,
Eripe nos a tenebris
Fonte repletos fidei.

46. Virgo, dulce refugium,
Spes certa laborantium,
Medicina languentium,
Languorum salus omnium,

47. Cuius vita gloriosa,
Mors longe gloriosior,
Cuius vita pretiosa,
Mors multo pretiosior,

48. Cui subiacent daemonia
. . . .
Cuius insensibilia
Corpus adesse sentiunt.

49. Quam reddit venerabilem
Signorum iugis gratia,
Quam suis admirabilem
Christus aequat in gl

50. Qua supplicante venia
Confertur peccatoribus
Qua mediante praemia
Vitae dantur fidelibus,

51. Inclina nostris precibus
Aures misericordiae,
Nostris infundens mentib
Donum caelestis gratia

52. Tu profugis refugium,
Desolatis consilium,
Tu nobis sis auxilium
Mortis arcens exsiliun

Legend. ms. S. Genovefae saec. 13. Cod. Parisin. 5667. add. saec — 13, 2 Datum. — 17, 3 Virgo mortis. — 19, 2 Correctos. — 38, 2 ca — 44, 4 fastidio. — Aus derselben Quelle bei Saintyves, Vie de S Geneviève, Paris 1846, p. CXLII sqq., mit einigen Lesefehlern, die hie zumerken überflüssig sein dürfte. 16, 2 ergänzt Saintyves: Servos em scelerum | A peste detestabili; diese Ergänzung verbietet der Reim. — füllt er aus: Quam et praesentem fugiunt; hier ist wenigstens der Reim wahrt.

223. De sancto Hieronymo.

1. Ieronymus, scholastica
Imbutus disciplina,
Tam graeca quam hebraica
Cognovit et latina.

2. Hic presbyter eligitur
Romanus cardinalis,
Quem acriter persequitur
Tumultus clericalis.

3. Elatos, vagos, ebrios,
Gulosos increpavit,
Quo contra semet impios
Ut canes irritavit.

4. Recessit ergo longius
Relinquens civitatem,
Gaudenter adit serius
Deserti vastitatem.

5. Oblitus est praeterita
Extentus in futura,
Aggreditur insolita
Eremitarum iura.

6. Naturam domat variis
Laboribus virtutum,
Vigiliis, ieiuniis
Secundum patrum nut

7. In disciplinis talibus
Discipulus imbutus,
In imbuendis pluribus
Magister constitutus.

8. Munivit sacrae paginae
Scripturas veritate,
Quae veterum caligine
Fuerunt vitiatae.

9. Virtute manens stabilis
Devenit ad extrema,
Defunctus servus humilis
Defertur ad suprema.

10. [Sacer]dos beatissime
Pro nobis in[tercede],
[Ne nostrae] fiant animae
Daemoniorum prae[dae].

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

224. De sancto Hieronymo.

1. Hic sacerdos fuit ordine,
Peregrinans maris culmine,
Heremita solitudine,
Demum regulaė professor,
Claustri sancti fabricator
Et monachorum pastor.

2. Hic per flagella vocatus,
Omnis linguae peritus,
Interpres omnis ritus,
Fuit veritatis doctor,
Scriptorum verus translator
Et summus compositor.

3. Hic scribendo certas metas
Omnem statum docuit,
Omnes David et prophetas
Ipse solus exposuit,
Super Salom et tres athletas
Eius doctrina floruit.

4. Hic fidei pugil et vexillum,
Malleus haereticorum,
Ipsorum iuge flagellum,
Hostis fuit vitiorum,
Virtuti fecit scabellum
Tradens doctrinam morum.

5. Hic spe certissimus,
Iudici non pavidus,
Operator sollicitus,
Nunquam otiosus,
Sperantium firmarius
Et confortator strenuus.

6. Hic caritate fervidus,
In Deo nunquam tepidus,
Proximo benignus,
In zelo semper sobrius,
Ad pacem compositus
Et ab odio sepositus.

7. Hic districtus in iustitia
Misericors cum illa,
Circumspectus prudentia,
Memorans praeterita,
Ponderans praesentia
Et providens futura.

8. Hic virtute fortissima
Derisit terribilia,
Attritus abstinentia
Postposuit carnalia,
Fulcitus temperantia
Quae contemnit nimia.

9. Hic humilitate deiectus,
Pietate mollitus,
Oratione devotus,
Lacrimarum effusor,
Comtemplatione sublatus
Et utilis actione.

10. Hic pauperum subventor,
Elemosynarum largitor,
Tristium consolator,
Laetantium temperator,
In adversitate securior,
In prosperitate devotior.

11. Hic virgo carne,
Purus in mente,
Iam senex aetate
Docuit in morte,
Quae sine forte
Sunt plena salute.

12. Hic leonem domuit,
Qui obsequia praebuit,
Dogmatizavit Paulam,
Quae praecessit in patria
Infra vide, quot post moı
Coruscarunt miracula.

Hieronymianus ms. Johannis Andreae, saec. 15. Cod. Rossian. \ 231. A — Collect. ms. incert. orig. saec. 14. Cod. Vindobonen. 4689. B 5, 1 Hic saepe certissimus B. — 5, 2 Iudicem A. — 5, 3 Sperator A 5, 5 fumarius. A. — 9, 5 inolitus A. — 12, 1 domuit leonem A. — 1! obsequia praebuit A. — 12, 4 in fehlt B. — 12, 5 Supra vide quid B Vgl. Mone III, 341 (in not.); ferner: Hieronymianus imp. s. l. 1482 (I 1082). — Der Autor bemerkt zu seinem Produkte: „Deo teste nihil, ‹ falsum putem, immiscui in hoc stilo studiose difformi; nec hic rimas vel mos facere intendebam, in quibus requiritur uniformi[ta]s).“

225. De s. Hugone Gratianopolitano.

Gaude perpetuo, praedulcis, amabilis Hugo,
Tu meritis plenus, fidei pietate serenus,
Illustris donis divinae cognitionis,
Mundi calcator, Christi fervens imitator,
Iustitiae forma, morum rectissima norma.
O pater, exora pro nobis mortis in hora,
Ut simus digni postrema luce beari.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

226. De s. Hugone Lincolniensi.

1. Est Hugo de Burgundia
Excelsa Christi gratia
Sublimatus in Anglia
Pontificatus infula.

2. Humo plasmatus arida
Irroratur aerea
Humiditate, frigida
Ardet natura ignea.

3. Uitae sancti principiis
Mortis versis mellifluis
Hugonis sine dubio
Est simplex generatio.

4. Gloriam summis hic figen
Ficta imis reperiens,
Carthusiensem ordinem
Subegit mox asperrimum.

5. Odas canunt altissimo
Assumpto ab exsilio
Hugone cives superi
Ad asylum Dei veri.

6. Aeterna Christi munera
Hugo figens memoria
Leprosis dedit oscula
Et sensit illa dulcia.

7. Superna ergo procura
Nobis prece continua,
Nunc apud qui te Dominum
Fecit pastorem gentium.

8. Tibi patri, Deo vero,
Laus, honor sit et filio
Cum spiritu paraclito
Finem iungens principio.

Collect. ms. Guilelmi Reed, Epi. Cicestren. saec. 14. Cod. Coll. Novi Oxonien. 264. — „A clerico quodam, anno 1316 scholae grammaticalis Lincolniensis didascalo, compositum." — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

227. De sanctis Innocentibus.

Insontes Domini, nobis succurrite sanctI,
Nos gravibus vitiis per Christi solvite nomeN.
Suscipe tu, dominans, sanctorum suspice voceS,
Omnibus et miserere tuis, quos sanguine fusO
Nempe redemisti; splendens in carcere lumeN,
Traxisti de morte tuos; mors mortua dormiT,
Ex quo morte tua reserasti gaudia vitE.
Sanguinis effusor saevusque inimicus HerodeS
Destruitur per te victus, fortissime DaviD.
Ocior hostis erat volitans omni quoque ventO,
Mordax ut frendens cupiens leo perdere ChristuM.
Innocuos pueros sternebat corpore necI.
Non tamen extinctos inclusit tartara daemoN,
In gremium caeli vexit sed gratia summI.
Nomina habent in fronte sua, patris quoque nomeN,
Omnes et clamant modulando carmine pulchrO.
Bombo qui luctus lacrimantur coniuge IacoB
In superis plorat pueri ceu mater ablatI,
Sed nimio non vult luctu cessare deplangenS,
Sunt quia, sed non est illis regressio tristiS,
Ut veniant iterum mundum qui planctus in usU
Cosmica cuncta manent detersa tristia, doneC
Cunctipotens veniens nos omnes colligit illuC.
Uivida vos, sancti, clamat mea palpebra fletU,
Rectorem mundi precibus, rogo, flectite sempeR:
Rex fortis, Iesu, dominans, miserere, precamuR,
Impie quod gessit *Froumundus* corpore factI.
Tollite peccatum, quod Christus sanguine tinxiT.
Eudochias os oplon stephanosas, Kyrie ChristE,
Sanctos innocuos, qui cantant carmina laudiS.
Ante thronum Domini cantant sibi cantica pulchrA:
Nostrum vindica ema, splendens de lumine lumeN,
Confratrum numerus, dictum est, requiescite, doneC
Tempus adhuc modicum, cum rex fortissimus astaT.
Insontes Domini, nobis succurrite sanctI.

Collectan. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 19412. — 30. *Εὐδοξίας ὃς ὅπλον στεφανῶσας κύριε.* — 33 ema = *αἷμα.* — Doppelakrostich: Insontes Domini, nobis succurrite sancti; der Verfasser nennt sich Vers 27.

228. De sancto Iodoco.

Mulciber exsulta mons, crebra laude resulta,
Iudoco fulta venient tibi nunc bona multa.
Nec mala sunt ulla, mihi si datur ampla gugulla.
Laus tibi sit, Christe, cuius pietate vir iste,
Cultor apostolicus, Iudocus, pacis amicus,
Iuvaviam grata sua pignora, grata, beata
Mittere dignatus est sicque iuvare paratus
Se collaudantes illic et eum venerantes.
Ex hoc nunc gaude manibusque, Iuvavia, plaude
Iudoco praesto, solito iucundior esto.
Sed magis exsulta, mons Erntrudis, quia multa
Est tibi collata pax haec per pignora grata.
O furtum dignum sacrilegiumque benignum!
Iudoci pignus cur hoc venit? quia dignus,
Latius ut crescat, Iudocus, ubique virescat.
Sic pateat, quanti sit ubique potentia sancti
Huius mirifici, Christi regalis amici,
Morbos curantis et maestos exhilarantis.
O Iudoce pater, ne me capiat locus ater,
Christum dignare pro me, te quaeso, rogare.

Collect. ms. Zwettlense saec. 13. Cod. Zwettlen. 64. add. saec. 14. — 14 cur hoc vere quia. — Dies Gedicht berichtet von einem Reliquiendiebstahle für Nonnberg.

229. De sancto Iodoco.

Iuste Iudoce, precum nostrarum suscipe voces,
Tu, qui iuste doces, ad vitam nos trahe tecum.
Iudicium docuit fidei doctrina Iudocus,
  Unde sui potuit nominis esse locus.
Felix confessor, pastor venerande, Iudoce,
  Vitae confessor, nos faciendo doce.
Summo clamore tibi laus est danda, Iudoce,
Iucunda voce faventis cordis amore.
Corde laetabundo, pater alme, preces tibi fundo,
Qui procul a mundo fugiebas ut moribundo.
Sic me non mundo, scelerum qui sorde redundo.
Iunge Deo mundo me, qui meritum mihi non do,
Ne barathri fundo merear, Deus, esse profundo.

Collect. ms. Zwettlense saec. 13. Cod. Zwettlen. 64. add. saec. 14. — Dies Gedicht scheint aus mehreren kleineren zusammengesetzt und nach Vers 12 (mundo — non do) französischen Ursprunges zu sein.

230. De S. Iohanne Bridlingtoniensi.

1. Bridlingtonis prior pie,
Repraesenta nos Messiae,
Qui tot flores moribus,
Ut nos solvat in hac die
A cutis doloribus.

2. Sicut clamat vox in Rama,
Funde preces atque clama
Pro nobis ad Dominum,
Servos, prior [sancte], ama
Sordes tergens criminum.

Miss. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Oxonien. Rawl. C 142. — 1, 1 Bridlingtonem. — Nach 1, 1 noch überzählig Imitator castae viae.

231. De s. Iohanne de Bridlington.

Salve, sancte prior, maestorum salvificator,
Cum grave quid patior, tibi confugior, medicator.
Ergo memento mei, cum sis plenus pietate,
Laus gentisque Dei, mihi praesta, quod precor a te.
Tu poteris Christi, scimus, prece ferre iuvamen
Omnibus in tristi spectantibus orbe levamen.
Virtus namque tuae multos relevat pietatis,
Noxia continue pellens a dire gravatis.
Inclite pastor, ave, per te simus procul a vae.

* * *

Tua nobis detur gratia petitione pia
Et simus semper in gloria cum Iesu et Maria.

Horae sec. usum Sarum saec. 15. in. Cod. Oxonien. Lat. lit. f 2. — Die zwei letzten Verse scheinen nicht mehr zum Vorhergehenden zu gehören. Es ergibt sich dann ein Akrostichon: Scelto uni, das ich nicht zu deuten weiſs. Oder sollte dasselbe nur der Laune des Zufalls sein Dasein verdanken? — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

232. De s. Iohanne Baptista.

1. Cleri universitas,
Solve laudes debitas
Beato Iohanni,
Ut per eum siccitas
Cesset et humiditas
Assit bonis anni.

2. Gaude, cleri contio,
Laetare cum gaudio,
Iohannem implora,
Ut eius subsidio
Aestuum effusio
Cesset absque mora.

3. Iohannis nativitas
Per sortes exhibitas
Claruit praeclare,
Cui laudes debitas
Populi immensitas
Debet decantare.

4. Dum iuventa floruit,
Maculari respuit
Naviloquo felle;
Hic eremum coluit
Et pro pastu habuit
Locustas cum melle.

5. Vitam ducens asperam
Docuit ad litteram
Atque baptizavit,
Vestem gerens buceram
Nec vinum nec siceram
Nec mustum potavit.

6. Mundo nolens subici
Nominis angelici
Voce nominatur,
Carne spernens infici
Laurea centuplici
Caelo laureatur.

7. Lux, lucerna praevia,
Hos aestus abhinc via
Pulsa livione
Ac in caeli curia,
Ubi pax et gloria,
Nos tecum repone.

Collect. ms. Trecoriense saec. 14. Cod. Parisin. Nouv. acq. 426
5, 3 Hunc vane baptizavit. — 5, 4 bugeram.

233. De s. Iohanne Baptista.

1. Salve, Iohannes sancte,
Baptista reverende,
Inter sanctos ceteros
merito praeferende,
Post Christum et Mariam
praecipue colende,
Pro nobis preces Domino
iugiter impende.

2. Gaude, qui per angelum
coannuntiatus,
Priusquam concipereris,
Iohannes nominatus,
In ventre tuae matris
conceptus et sacratus,
In nobis tuis precibus
sit Christus hospitatus.

3. Gaude, quia nomen per
ortum tibi datur
Iohannes, Dei gratia
quod interpretatur,
Pater pius et mutus
prophetando fatur,
Divina nobis gratia
per te concedatur.

4. Gaude, quia iuvenis
eremum petisti
Utriusque sexus
turmasque fugisti,
Peccato consentire
qui [non] voluisti,
Fac culpas nos odire,
sicut tu odisti.

5. Gaude, quia carnem
tuam domuisti,
Cum mel et locustas
sponte comedisti,
Nec sicerae nec vini
pocula bibisti,
Fac, ut simus sobrii,
qui sic abstinuisti.

6. Gaude, quia Domino
viam praeparasti,
„Paenitentiam agite“
quando praedicasti,
„Regnum Dei prope est,“
Iudaeis nuntiasti,
Fac nos paeniteri
vitando, quod vitasti.

quia Iesum
ı demonstrasti,
agnus Dei"
s proclamasti,
ine Iordanis
tum baptizasti,
ıis hunc propitium,
tunc honorasti.

quia Herodem
darguisti,
:atris uxorem
se tu scivisti,
sententiam
er hoc subisti,
ım fac finire
ritate Christi.

9. Gaude, qui post mortem
ad limbum descendisti
Ac exsistentes ibi
vere praemunisti,
Quod essent exituri
in adventu Christi,
De barathro nos eripe
eius[que] poena tristi.

10. Gaude, quia redemptor
pius populorum
Extraxit post ab inferis
[patriarcharum chorum]
Secumque reduxit
ad gaudia caelorum,
Fac nos gaudere secum
precibus illorum.

ı. Eliense saec. 14. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 7. — am tu. — 5, 5 Ciseri nec vini. — 6, 6 Indeum. — 8, 7 fac 4 veri. — 10, 1 redemptor filius. Abschrift von Rev. H. M.

234. De s. Iohanne Baptista.

Ad Matutinum.

ıelos tangat caelos
hannis praeconio,
ıter, sic et mater
n tangunt praesagio.

2. Gabrielis vox de caelis
Dubitanti Zachariae
Hunc futurum nasciturum
Promit cum vitae serie.

3. Sidereo regi Deo
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos ducat et perducat
Ad caelorum palatia.

Ad Laudes.

coetus noster laetus
um mundi redemptorem,
,m qui baptistam
fecit praecursorem.

2. Dum non credit, vox recedit
Zachariae, sancti patris,
Sensit plausus adhuc clausus
In utero suae matris.

3. Sidereo regi Deo.

l Primam.

ıator et plasmator
ıraeconis munere
are, te amare
ıos et tecum vivere.

Ad Tertiam.

Catechizans et baptizans
Iohannes paenitentiam
Diligebat et colebat
Prae cunctis innocentiam.

Ad Sextam.

Eremita, tua vita
Exemplum est munditiae
Ad pulsandum, detestandum
Crimen impudicitiae.

Ad Nonam.

Iuvans prece nos a nece
Dira, Iohannes, eripe,
Pugil fortis, hora mortis
Hanc plebem tuam suscipe.

Ad Vesperas.

1. Dignus laude martyr, gaude,
Virgo baptizans Dominum,
Doce formam, trade normam
Delendi sordes criminum.

2. Salus praesto nobis esto
Virtutis donans meritum,
Hic gratiam et gloriam
Nobis post noc exsilium.

3. Sidereo regi Deo.

Ad Completorium.

1. Tu signifer, tu lucifer
Praecurrens ante Dominum,
Ad quem ire fac secure
Nos per saeculi terminum.

2. Sidereo regi Deo
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos ducat et perducat
Ad caelorum palatia.

Horae BMV. sec. usum Carnotensem saec. 14. Cod. Vatican. Regin. 180. — Ad Mat. 2, 2 Viventis Zachariae. — Ad Prim. 1, 2 Iohannis praeconio munere. — Ad Tert. 1, 3 Diligebat et servabat. — Ad Sext. 1, 1 vita tua. — 1, 3 sq. Ad populum sanctitatis crimine. — Ad Vesp. 2, 4 Lies: Nobis post vitae exitum? — Die Doxologie wiederholt sich nach jeder Tageszeit.

235. De s. Iohanne Evangelista.

1. Extollamus virum sanctum,
Quem Iesus dilexit tantum,
Pangat sibi novum cantum
Militans ecclesia.
Sanctus hic evangelista
Almus Dei fit symmista,
Laude praesens sit in ista,
Det nobis auxilia.

2. Hic Iohannes vir amoris,
Vir candoris et decoris,
Sacri roris et dulcoris
Plenus charismatibus,
Caritatis excellentis,
Castitatis redolentis,
Quo repletur ardor mentis
Flaminis affectibus.

3. Totus plenus sanctitate,
Luculenta veritate,
Custos virginis sacratae
Exstitit et filius.
Haec est arca thesaurorum,
In qua cibus angelorum
Atque manna beatorum
Et fructus eximius.

4. Hic Iohannes vir divinus,
Cuius visus angelinus,
Ad superna qui festinus
Contemplando claruit.
Hic prae ceteris dilectus
Et defensus et protectus,
Iesu Christi supra pectus
In cena recubuit.

5. Suxit ibi documenta
Evangelii fluenta,
Quae plus fragrant quam unguenta
Valde redolentia.
Hic melliflui sermonis
Vir, coruscans sacris donis,
Vere dignus est coronis
In caelesti patria.

6. Gravitatem dum servavit,
Ad sublimia volavit,
Mira Dei demonstravit
Divina clementia.
Contemplator supernorum,
Suscitator mortuorum
Et ostensor arcanorum,
Intuens mysteria.

7. Sic apostolus mirandus,
Valde semper honorandus,
Reverendus et amandus,
Vitans omne terreum.
Iesum amans Nazarenum
Sprevit mundum quasi caenum,
Vicit bibitum venenum
Atque fervens oleum.

8. Quis non amet hunc amore
Speciali cum dulcore,
Quodam intimo sapore
Inclitum discipulum?
Quem et Christus sic amavit,
Decoravit, exaltavit,
Matrem pendens commendavit
Perferens patibulum.

9. O dilecte Christi Dei,
Dulcis nate Zebedaei,
Memor esto semper mei,
Donec ad te veniam.
Semper geras de me curam,
Fac, ut ducam vitam puram,
Me perducas ad futuram
Sempiternam gloriam.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 165. — 1, 6 Dei fit mmista. — 2, 4 Plenus fehlt. — 2, 6 recolentis. — 3, 6 cibis. — 3, 7 Et manda beatorum. — 4, 2 Cuius visque. — 5, 1 Susit. — 5, 3 frangant. — 5, 6 Vim. — 6, 3 Misericordia Dei. — 6, 7 Et fehlt. — 8, 2 Speciali tamen. — 8, 3 Quondam. — 8, 6 exsultabit. — 9, 1 Christe. — 9, 5 geris. — Trotz der Bezeichnung als „Sequentia eius" ein Reimgebet.

236. De sancto Iohanne Evangelista.

Ad Matutinum.

1. O Iohannes amabilis,
Apostole mirabilis,
Vir valde venerabilis,
Sis nobis favorabilis.

2. Iohannes virgo, ceteris
Dilectior apostolis,
Sacer, plenus dulcedinis,
Custos beatae virginis.

3. Ora pro nobis iugiter,
Instanter ac salubriter,
Ut tecum simus pariter
In caelis aeternaliter.

Ad Laudes.

1. Evangelista fulgidus
Iohannes et apostolus
Tollat a nobis noxia
Et ducat ad caelestia.

2. Maria, mater inclita,
Virginitate praedita,
Cum virgine discipulo
Nobis succurrat sedulo.

Ad Primam.

1. Iohannes apostole,
Evangelista fulgide,
Tuis devotis subveni
Cum sacra matre Domini.

2. Tibi, Iesu, rex omnium,
Laus, honor et imperium,
Per Iohannem apostolum
Duc nos ad caeli gaudium.

Ad Vesperum.

1. Iohannes amantissime,
Cum genetrice virgine
Fac nobis eius filium
Semper fore propitium.

2. Succurre nobis omnibus
Tuis sacratis precibus,
Per hanc tui memoriam
Duc nos ad caeli gloriam.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — Ad Mat. 2, 2 Dilector. — Ad Prim. 1, 2 Evangelistaque. — 2, 1 Iesu fehlt. — Ad Vesp. 2, 3 tui fehlt. — 2, 4 gratiam. — Das Akrostichon: „O Io[hann]e[s] mitis" zeigt, dafs das Ganze unvollständig ist.

237. De sancto Iohanne Evangelista.

1. En, Iohannes, humi pronus
Te adoro volens bonus
Esse tui servulus,
O quam felix in supernis
Regnas, ubi Iesum cernis,
Qui est tui iubilus.

2. Et Mariam contemplando,
Ipsam pie collaudando
Sentis dulce gaudium,
Toto corde iucundaris,
Dum unius contemplaris
Trinique mysterium.

3. In suprema hierarchia
Locum tenens melodia
Dulci Deo iubilas,
Virgo martyr et propheta,
Doctor fulgens ut planeta
Caelo valde rutilas.

4. Tu columna militantis
Et perpulchrum triumphantis
Decus es ecclesiae,
Multum timent te, Iohannes,
Nec audire possunt Manes
Laudes tuae gloriae.

5. Sanctus omnis et beatus
Te collaudet et firmatus
Angelus in gratia,
Ego servus tui data
Tibi terris mente lata
Texo privilegia.

6. Gaude, nate Zebedaei,
Quia virgo Mater Dei
Est tua matertera;
Gaude, quia meruisti
Consobrinus esse Christi
In hac vita misera.

7. Gaude, preces ad Mariae
Iesus ornat tuas pie
Vino sancto nuptias;
Gaude, sponsam reliquisti
Et sic semper tenuisti
Virginum munditias.

8. Gaude, Iesus te elegit
Et ab aevo praeelegit
Suum in apostolum.
Gaude, Iesus te amavit
Et prae cunctis demonstravit
Se tibi benevolum.

9. Gaude, Iesum speciosum
Conspexisti gloriosum
Tabor in cacumine;
Gaude, parans Iesu cenam
Monte Sion, omni plenam
Caelica dulcedine.

10. Gaude, Iesus proditorem
Tibi pandit gerens morem
Tui desiderio;
Gaude, tibi Iesu pectus
Fit in cenà mollis lectus
Dulcisque pausatio.

11. Gaude, Iesus, quando sedes,
Lavat pronus tibi pedes
Angelis mirantibus;
Gaude Iesus, postquam sedit,
Se in cibum tibi dedit
Sacris suis manibus.

12. Gaude, Iesu care frater,
Cuius parens tua mater
Suo fit imperio;
Gaude, nam post mortem Christi
Suae matris habuisti
Curam pio studio.

13. Gaude, viros Iesum flentes
Ac de cruce deponentes
Adiuvasti propere;
Gaude, fuit tumulatum
A te corpus Iesu, datum
Morti nostro scelere.

14. Gaude, gaude cessans flere,
Nam surrexit Iesus vere,
Dulce manna superis;
Gaude, manus, pedes, latus
Redemptoris osculatus,
Cum redit ab inferis.

15. Gaude, Iesus de te vere
Dixit: eum sic manere
Volo, donec veniam.
Gaude, saepe Dei natus
Fecit tibi suscitatus
De se ipso copiam.

16. Gaude, Iesus scandit caelos
Te cernente, cui melos
Caeli cives faciunt;
Gaude, ignis dona dando
Venit in te, dies quando
Pentecostes finiunt.

17. Gaude, fili Zebedaei,
Sepelisti matrem Dei,
Portam ad caelestia;
Gaude, cernis, quod Maria
Caelos intrat harmonia
Angelorum praevia.

18. Gaude, sospes exivisti,
Zelo Iesu quod inisti,
De ferventi dolio;
Gaude, scribis altas omnes,
Quas vidisti, visiones
Manens in exsilio.

19. Gaude, quia, quam amasti,
Drusianam excitasti
Ephesum ingrediens;
Gaude, lustrans caeli pratum
Scribis: verbum caro factum
Est in mundum veniens.

20. Gaude, sine laesione
Potas virus in agone
Propter Iesum inito;
Gaude, tecti cum fuerunt
Tua veste, surrexunt
Mortui persubito.

21. Gaude, multos retraxisti
A peccatis, quibus Christi
Valde gaudet curia;
Gaude, quia sine poena
Transivisti ad amoena
Paradisi gaudia.
Gaude, cernens iam vestitum
Tuum corpus et amictum
Stolae suae gloria.

22. Te, Iohannes, ego peto,
Sume munus vultu leto,
Quod tibi nunc offero;
Per te Iesus castitatem
Mihi det et caritatem,
Quam valde desidero.

23. In me fides viva crescat
Cunctis horis, qua decrescat
Satanae nequitia;
Culpis meis non desperem,
Sed in Iesu morte sperem
Suique clementia.

24. Non sit murmur meo corde
Nec inquinet os cum sorde
Culpae detractoriae;
Fac me templum frequentare
Zelo Iesu nec me dare
Crimini desidiae.

25. In adversis patientem
Et in poenis me gaudentem
Crucis fac memoria,
Mortem Iesu fac me flere,
Suae matrisque dolere
Nimia tristitia.

26. O Iohannes, mi patrone,
Meae mortis in agone
Mihi sis praesidio,
Post cum Iesu fac videre
Me Mariam et gaudere
Tecum caeli solio.

Officium novum beati Iohannis imp. Bononiae 1525.

238. De sancto Ioseph.

1. Inclite Christi confessor,
Sancte Ioseph, te deprecor
Cum Maria, matre Christi,
Cuius sponsus tu fuisti,

2. Virginitatis merito
Eius iunctus consortio
Non gignendi proposito
Sed latenti mysterio.

3. Inter ceteros electus,
A Christo magis dilectus,
Cuius curam tu gessisti,
Quem in ulnis baiulasti.

4. Quia ex te in hac vita
Grata tulit obsequia,
Ob id per tua merita
Aegris confert remedia.

5. Unde dignus magna laude
Apud Christum intercede,
Ut per suas dignas preces
Nostros expellat languores.

6. Gloriosa tua prece
Nos ab omni lava faece,
Ut post istam miseriam
Perducamur ad gloriam.

Devotae Orationes (Fontrebaldenses) imp. Parisiis 1546. — 6, 3 ipsam

239. De sancta Katharina.

1. Katherina, gemma clara,
Sponsa summi regis cara,
Secretorum Dei gnara,
Castitate florida.

2. A regali stirpe nata,
In virtute solidata,
Mente sagax, forma grata,
In sermone provida.

3. Tot virtutibus protecta,
Ad calcandum es electa,
Contra Dominum erecta
Colla regum turgida.

4. Hanc Maxentius tormentis,
Minis, probris, blandimentis
Nisus est a firmae mentis
Trahere constantia.

5. Exsufflavit blanditores,
Sprevit Caesaris tortores,
Fatuati sunt doctores
Virginis prudentia.

6. Roboratur Deo plena
Fides martyris in poena,
Fractis rotis cum catena
Triumphavit omnia.

7. Imminente die mortis
Decollatur virgo fortis,
Manu caelicae cohortis
Sepulturae traditur.

8. Nunc exuta corruptelis,
Dives meritis, in caelis
Pro terrestribus fidelis
Advocata creditur.

9. Alma virgo Katherina,
Tuis famulis propina
De caelesti medicina,
Quae de te dispergitur.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Der Reim bindet je drei Strophen zu einer Einheit. — In derselben Handschrift findet sich ein anderes Reimgebet auf dieselbe Heilige mit dem Anfange: Gaude, virgo Katharina, Es conversa vi divina. Dasselbe ist indes infolge von Beschädigung der Handschrift so verstümmelt, dafs von einer Wiedergabe abgesehen werden mufste.

240. De sancta Katharina.

1. Christi virgo Katharina,
Lege constans in divina,
Vicisti Maxentium;
Miti voce columbina
Convertisti cum regina
Militem Porphyrium.

2. Te sub rotis peregrina
Fractis arte iuvit trina
Deitas per nuntium;
Esto mihi medicina
Contra morbum et me mina
Sub duce fidelium.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

241. De sancta Katharina.

1. Salve, martyr et regina,
Virgo sponsa Katherina
Regis regum omnium,
Salva, sciens trinitatem
Et indivisam unitatem
Vere non per somnium.

2. Salve, quae in paganismo
Vero usa es baptismo
Cuncta spernens idola;
Salve, quae contra naturam
Vitam castam ducens puram
Vera es amygdola.

3. Salve, pulchra supra modum,
Colens trinitatis nodum,
Patrem, pneuma, filium;
Salve, quae mundum vicisti,
Vera imitatrix Christi,
Ferens rosa lilium.

4. Salve, fortis in agone,
Proeliatrix cum dracone
Una cum Maxentio;
Salve, clamans: ego certo
Pro regno Dei in aperto
Et hoc sub silentio.
Salve, vincens quinquagenos
Oratores, sed amoenos
Verbis et ingenio.

5. Salve, caesa verbere,
Caeco clausa carcere
Caeli luce perfruens;
Salve, cum militibus
Reginam caelestibus
Disciplina imbuens.

6. Salve, freta Christo, laeta
Regis spernens titulos,
Salve rotam vincens totam
Versam in incredulos.

7. Salve, dum sic inclinata
Stares morti praeparata,
Orasti ad Dominum;
Salve, dicens: peto te
Iesu, sponse dulcissime,
Ut quicumque hominum

8. Christianae professionis
Meae mortis et passionis
Egerit memoriam,
In quacumque necessitate
Seu vitae extremitate
Me invocet, ob gloriam

9. Tuae propitiationis
Effectum suae petitionis
Consequatur plenissime.
Salve, postquam haec prolata,
Ad te vox de caelo grata
Affatur dulcissime:
Salve, veni, speciosa,
Dilecta flagrans ut rosa,
Tibi caelum apertum est.

10. Salve, quam Caesar proclamari
Iussit, post haec irrogari
Statim vitae dispendium.
Salve, gladium per amarum
Caput tuum libens carum
Deo dans stipendium.

11. Salve, cuius absque norma
Anima visa est in forma
Columbae candidissimae;
Salve, in visu paganorum
Caelestem ascendisti chorum
Suscepta splendidissime.

12. Salve, virgo, postquam caesa
Pro sanguine lac de laesa
Vena prosilierat;
Salve, quod chorus angelorum
Corpus tuum, virgo, decorum
In Sina sepelierat.

13. Salve, decumbens in Sina,
Salutaris medicina
Prece te quaerentium;
Salve, cuius ex tumba manat
Oleum, quod morbos sanat
Cunctorum languentium.

14. Salve, martyr, funde preces,
Cordis mei purga faeces
Sensus terge vitiis.
Salve, confer quaeque bona,
Castitatis cinge zona
Et virtutum initiis.

15. Salve, cuius preces Deus
Exaudivit, clamor meus
Sic aures tuas impleat;
Salve, hanc petitionem
Propter tuam passionem
Dominus adimpleat,

16. Quod peccantem et pollutum
Me a poenis reddat tutum
Es a claustris inferi.
Audi, Christe, rex divine,
Per precatum Katherinae
Me sanctis tuis inseri.

17. Qui perire nullum sinis,
Ut me bonus tangat finis
In hoc praesenti saeculo,
Ut possim tecum gloriari,
Me in aeternum contemplari
In deitatis speculo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 6 Die Form amygdola schützt der Reim. — 9, 8 Mea dilecta flagrans rosa. — 12, 2 sp. lac de vena laesa fluendo prosilierat. — Str. 13 steht zwischen 16, 3 und 4. Es gehört aber inferi (16, 3) als Reim zu inseri (16, 6). — 14, 1 mater funde. — 15, 4 Salve ut hanc.

242. De sancta Katharina.

1. Gaude, virgo, sponsa Christi,
Quod videre meruisti
Vivens Dei filium;
Gaude, quia convertisti
Sapientes, quos traxisti
Tecum ad martyrium.

2. Gaude, virgo Deo plena,
Nam rotarum fracta poena
Non sentis supplicium;
Gande, flos virginitatis,
Quae in signum castitatis
Lac fundis mellifluum.

3. Gaude, quia vox amoena
Caeli patet et serena
Ad tuum suffragium;
Gaude, nam suavitatis
Liquor manat, qui dat gratis
Salutis subsidium.

4. Gaude, virgo et athleta,
Post tormenta transis laeta
Ad caeli palatium;
Fac nos hic ita vivere,
Ut post mortem lucis verae
Sortiamur gaudium.

Collect. ms. Carthusiae Capellae S. Mariae apud Angiam saec. 15. Cod. Bruxellen. 4961. — 4, 2 Quae post tormenta. — Nach dem Liede folgt noch vor der Oratio eine Ant. mit V. und R.

A. O caelestis regni rosa,
Katherina generosa,
Quae probata velut aurum
Coram Christo defers laudem,

V. Esto nobis medicina,
Veneranda Katherina,
R. Ut tecum laudis iubilum
Simus canentes in caelum.

243. De sancta Katharina.

1. Plebs fidelis et devota,
Katherinam mente tota
Laudet istam, cum sit nota
Angelis, hominibus.
Istae laudes Katherinae
Quasi dulces medicinae
Nobis prosint sine fine
Ipsam diligentibus.

2. Quam felices, qui hoc audent,
Katherinam si collaudent
Nec ab eius se defraudent
Maximis auxiliis.
O quam fortis est inventa
Inter aspera tormenta,
Cuius membra sunt distenta
Gravibus suppliciis.

3. Crucifixi per amorem
Tulit poenam et dolorem,
[Fundit olei liquorem],
Quo sanantur languidi,
Per quam funditus mundati
A foetoribus peccati
Secum simus coronati
Claritate fulgidi.

4. Felix ista Katherina,
Plena gratia divina,
Tamquam stella matutina
Micat in caelestibus,
Cuius corpus honoratum,
Virginale, tam beatum,
Est in Sinai delatum
Angelorum manibus.

5. Katherina, mater pia,
Esto nobis dux et via,
In caelesti hierarchia
Nos gaudere facias.
Sapientes convertisti
Ad beatam fidem Christi,
Confortando quos duxisti
Ad caeli delicias.

6. Katherina, decus morum,
Tu dulcedo devotorum,
Tu dilecta angelorum,
Sis nobis propitia.
Eia ergo, quae mereris,
Quam in caelo palmam geri
Nos perducere digneris
Ad aeterna gaudia.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — 1, 2 monte tota. — 4, 6 Virginalem. — 6, 2 Tu ducendo. — 6, 3 dilectis. — 6, 5 qu: meritis. — In der Handschrift fälschlich als Sequenz bezeichnet.

244. De sancta Katharina.

Ad parvas horas.

1. O sacra virgo nobilis
Et martyr venerabilis,
Katerina laudabilis,
Sis nobis favorabilis.

2. Tuum [per patrocinium]
Fac Christum, Dei filium,
Nobis fore propitium,
[Cum venerit iudicium].

3. Tibi, Christe, sit gloria,
Cui benedicant omnia,
Nos Katerinae gratia
Duc ad caeli palatia.

Horar. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatic. Regin. 165. — Die übrig Hymnen und rhythmischen Antiphonen dieses Stundengebetes sind En lehnungen.

245. De sancta Katharina.

Ave, virgo Katharina,
Martyr sancta et regina,
Patrona mea specialis,
Defende me a cunctis malis.
Memento, quod obtinuisti,
Quidquid pro nobis petivisti,
Ut divina vox spopondit,
Quae tibi taliter respondit:
Constans esto, mea formosa,
A me tibi potestas datur,
Quod, quicunque te veneratur,
In tribulatione securus
Ac in bonis permansurus.
Quapropter, virgo Katharina,
Martyr beata et regina,
Cum potestas sit tibi data,
Tuos devotos sic defendi,
Ut nunquam possint offendi,
Me sume sub tuum iuvamen;
Ut sis semper nobiscum [Amen].

Orat. ms. Lambacense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Lambacen. 756. — 2 et felix regina. — 7 Et divina. — 12 In omni tribulatione erit securus. — 14 Quapropter o beata virgo. — 15 beata fehlt.

246. De sancta Katharina.

Aurea vale virgula,
Katherina, munuscula
Cape, quae corde, cartula
Solvo tibi, quem tremula
Detinent hic ergastula.
Haec es experta pravula
Delicata puellula,
Pasta Christi avicula.
Salve, Christi discipula,
Tua me stringe fibula
Et contra carnis stimula
Refrenet tua ferula.
Te deprecor, sis sedula
Mea diligens specula
Et scutum contra spicula
Inimici; tu vincula
Peccati solve singula,
Sis post vitae curricula
Fidelis dux ac regula
Ad caeli tabernacula,
Ubi parata pabula
Aeterna sine crapula
Sempiternaque pocula.
Virgo, vale per saecula.

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 75. saec. 14. — 19 vigila wahrscheinlich Schreib- oder Lesefehler. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

247. De sancta Katharina.

1. O beata Katherina,
Virgo clemens et benigna,
Per te possim ad divina
Pervenire gaudia.

2. Katherina, virgo pia,
Cuius fideli sophia
Doctorum philosophia
Vana fuit et confusa,
Deum mihi pacifica.

3. Katherina, virgo casta,
Virgo prudens et honesta,
Virgo mitis et modesta,
Roga Deum, ut lamenta
Mea vertat in gaudia.

4. Katherina, templum Dei,
Per te sumpserunt fidei
Veritatem philosophi,
Per te salvi sunt effecti
Et in caelis coronati.

5. Per te, virgo specialis,
Sim a cunctis liber malis,
A delictis liberatus
Et in caelis collocatus
Tuis patrociniis.

6. Katherina, lumen clarum
Et lucerna puellarum,
Virginale speculum,
Praecellens carbunculum,
Me salva, tuum famulum.

7. Katherina, Dei templum,
Castitatis es exemplum,
Da virtutis indumentum,
Sanctitatis incrementum
Verae lucis radium.

8. Katherina, virgo sancta,
Quae pro tuo servitio,
Caeli gaudes palatio,
Roga Deum corde toto,
Ut me sumat [suo] regno.

9. Katherina, vas decorum,
Servitutem idolorum
Quae sprevisti, domino[rum]
Regem Deum et deorum
Coluisti, sempiternum
Da mihi solacium.

10. O beata Katherina,
Quae mortis supplicia
Pro Christo non minima
Tolerasti, tolle mea
Deo iuvante crimina.

11. Katherina, virgo pia,
Quae caeli gaudes curia.
Roga Deum, ut in sua
Me captivum gloria
Coronet in laetitia.

12. Quod praestare tu digneris,
Invocantes quae tueris,
Quae laudari promereris,
Quae regentem intueris
Per saeculorum saecula.

Klemming III, 54. — 5, 3 liberata. — 5, 4 collocata. — 6, 5 tuam famulam, was aber nicht mit carbunculum reimt. — 12, 1 tu digneris praestare. — 12, 2 In sanctos quae tueris. — Es blieb nicht übrig, als dies Gedicht nach Klemming mitzuteilen, da es in der von ihm angeführten Quelle sich nicht gefunden.

248. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Artes docta regis nata,
Regi regum nubere
Quaerens, eius desponsata
Annulo, dispergere
Paternas egenis opes
Non cessat, arguere
Maxentium de nefandis
Nec tremet; colligere
Curat coetus excaecatos,
Ut possit dividere
Virginem a norma recti,
sed nequit sufficere.

Ad Primam.

2. Quinquaginta sapientum
caterva colligitur,
Ut disputent contra solam
virginem, concluditur
Horum error ratione
vera, mox conspicitur
Turba Christum confiteri,
in medium mittitur
Grandis ignis, sed nec vestis
nec capillus uritur,
Et tandem inviolata
paradiso redditur.

Ad Tertiam.

Quam non potest ratione
tyrannus convincere
Nec promissis neque blando
sermone seducere,
Verberibus laceratam
taetro clausit carcere,
Caelesti cibo refectam
venit sponsus iungere.
Duodenis in diebus
nocte curat spargere,
Regis uxor cum ducentis
baptisma recipere.

Ad Sextam.

4. Insanit rex, cum a cunctis
incolumis cernitur,
Quam aestimat fame tortam,
nefanda conficitur
In eam rotarum moles,
quae fulmine solvitur,
Paganorum quater mille
numerus opprimitur.
Regis uxor tortis mammis
decollata redditur
Christo, deos detestata,
per quos rex decipitur.

Ad Nonam.

5. Exsecratum cor crudele
dum milites comperit
Cum Porphyrio baptisma
recepisse praecipit
Decollari et dimitti
canibus; tunc perficit
Eius iussa spiculator,
necem turma despicit,
Parvipendens peritura
gressus illuc dirigit,
Ubi mortem vita nescit
ecclipsisque deficit.

Ad Vesperas.

6. Katherina condemnata
rogat tunc praesidio
Christum, precans imitatur,
demulcet alloquio.
Vox divina Fiat venit,
caput offert gladio,
Genu flectens, ne tardetur
palmae retributio,
Pro sanguinis unda lactis
manavit effusio,
Philosophi naturalis
hebetat hic ratio.

Ad Completorium.

7. Ab angelis baiulatur
completo certamine
Infra lapidem humanda
Sinai cacumine
Longe triginta dietis,
fluxitque de virgine
Oleum languidos curans
quocunque rubigine
Morbi; precor, sic me lavet
sordis a caligine,
Merear ut secum frui
summo rerum lumini.

Horae BMV. sec. usum Carnotensem saec. 14. Cod. Vatican. Reg. 2, 11 Et tamen. — 3, 10 spergere. — 4, 3 fame tutam. — 5, 5 Deco 6, 3 Ipsam precans. — 6, 5 veni. — 6, 9 lacte.

249. De sancto Kentigerno.

Ad Matutinum.

1. Matutino tempore
virtute divina
Kentigernus suscitat
a mortis ruina
Virum atque volucrem,
gaudet tunc regina,
Annulus cum trahitur
de fauce piscina.

Ad Primam.

2. Hora prima coeperat
corpus castigare,
Quater in hebdomada
solet ieiunare,
Gelidos ramusculos
in ignem sufflare,
Sicco pede transiens
vult flumen calcare.

Ad Tertiam.

3. Hora nempe tertia
peregre laborat,
Romam visit septies,
papa quem honorat,
Ut serviret praesuli,
avi se decorat
Et campanam sustinet,
quae sonos dulcorat.

Ad Sextam.

4. Hora sexta pontifex
in Glasgu moratur,
Lupus cervo iungitur,
ut terra colatur,
Iubet, ut pro semine
arena spargatur,
De qua suo tempore
messis grata datur.

Ad Nonam.

5. Hora nona Domino
paret imperanti
Terra, praebens cathedram
sancto praedicanti,
Sacramenta praebuit
Merlino precanti,
Post mortemque spiritum
terra dat creanti.

Collect. ms. Scoticum saec. 16. in. Cod. Univ. Edinburgen. A.C. 2, 26; daraus in Registrum Episcopatus Glasguensis I (Edinburgi 1843, p. XCVII. sq.). — Es fehlen die Strophen für Vesper und Complet.

250. De sancto Landelino.

1. Salve, pater exsulantum
Landoline, qui non tantum
Peregrescens exstitisti,
Sed ad palmam pervenisti
Martyrum laudabilem.
De Scotorum stirpe natus
Adulescens tu beatus
Adis freta navigatus,
Flumen Rheni transfretatus,
In terram amabilem.

2. Hospitatus a relicta,
Altorf villa infit dicta,
Cuius nata tunc afflicta
Est et visu derelicta
Dei iudicamine.
Nemus intras et evellis,
Struis, plantas, sed duellis
Venatores pleni fellis
Teque duris artant bellis
Toto cum conamine.

3. Sed ut Samson cum leone
Tu pugnabas in agone,
Humi iactum cum mucrone
[Te necarunt], sic coronae
Es adiunctus martyrum.

Te tunc Deus honoravit,
Hunc nam locum irrigavit,
Terrae fontes ministravit,
Per eosdem et sanavit
Morbum multifarium.

4. Te cum nata tandem dicta
Quaerit felix haec relicta,
Sentit dona benedicta
Luminis per reditum.
O beate Landeline,
Roga Deum sine fine,
Perducamur in sublime
Regnum eius caelicum.

Collect. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Vindobonen. Suppl. 4029. saec. 15. — 1, 8 Adis leto.

251. De sancto Laurentio.

1. Laurentius, in ordine
Diaconus, te, Domine,
Clarificat in gentibus,
Constanter coram regibus
Fatetur voce viva.

2. Amator hic iustitiae,
Contemptor avaritiae
Caeleste verbum seminat,
De cordibus exterminat
Fidelium nociva.

3. Uult mori cum antistite
Nec ipsum se superstite,
Vult vitae palmam capere,
Qui iussit ipsum tradere
Pecuniam egenis.

4. Recepto per episcopum
Mandato turbas inopum
Collegit, quibus tradidit
Thesauros, quos recondidit
De publicis crumenis.

5. Expleto iussu capitur,
Terroribus afficitur,
Squalori datur carceris
Vexatur et innumeris
Pressuris et tormentis.

6. Non desinit in carcere
Salutis verbum serere,
Lucratur quidem plurimas
Ad Christi fidem animas
Praeclaris documentis.

7. Triumphat hic incendium,
Eculei suspendium,
Lictorum saeva verbera
Et catenarum pondera
In Deo mens robusta.

8. In ferrea craticula
Accensa subtus flammula
Ad instar piscis volvitur,
Assatur nec deicitur
Infirmitas ambusta.

9. Uim acrem vicit caumatis
Ardore sancti pneumatis,
Ferventi desiderio
Flagrabat in martyrio
Ad patriam supernam.

10. Salutem nobis animae
Procura, martyr optime,
Nos absolutos vitiis,
Ereptos de supliciis
Ad vitam duc aeteruam.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 Diaconatus.

252. De sancto Leonhardo.

Ave, confessor
Leonarde Iesu Christi,
Qui gaudia aeterna
a Deo meruisti,
Hic in terris fuisti gratus
Et in caelo sublimatus.
Tu es enim afflictorum
et maestorum consolator,
Captivorum
et infirmorum liberator.
Nunc pius sis adiutor
Ab omnique periculo tutor
Atque tuum per oramen
Cunctis prosis ad solamen,
Qui te quaerunt mente pura,
In quacunquc manent cura.
Precor tuam pietatem
Et immensam caritatem,
Ut in nostris paupertatibus
Et corporis necessitatibus
Nobis velis subvenire
Et non sinas nos subire
Ullam causam laesionis
Atque perversae suasionis.
Diei noctisque hora
Pro nobis Deum exora,
Ut hic omne malum vincamus
Et Christo Iesu adpropinquamus,
Ut a delictis mundi tuti
Contriti atque devoti
Et a morte
secunda non pavescamus
Neque in conspectu
iudicis erubescamus,
Sed post hoc exsilium
Possimus Dei filium
Gaudenter
contemplare cum beatis
In conspectu
divinae maiestatis,
Quod nobis praestare dignetur
Sancta trinitas, quae laudetur,
Pater et filius
Et sanctus Spiritus.

Orat. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Gottwicen. 444. — 9 Et quod tuum. — Der Text des Liedes ist an einigen Stellen so rhythmisch richtig, dafs man ihn an andern für verderbt halten möchte.

253. De sancto Leopoldo.

O flos primatum, decus o Leopolde beatum,
Perpetuo gratum, modo quod teneas dominatum,
Quod tibi stellatum solium sit perpetuatum,
Est declaratum per signaque digna probatum.
Virginis ad natum, pie marchio, funde precatum,
Hunc fac placatum, nostrum prece terge reatum.
Ast intentatum Stygis avertas cruciatum,
Da cor placatum, sit ut in Christo solidatum,
Te duce ditatum, simul angelicum comitatum
Felicemque statum, sine fine bonis cumulatum,
Nos praestolatum facias reperire pacatum.

Collect. ms. S. Mariae ad Scotos saec. 15. Cod. Vindobonen. 4257. — Das Gedicht stammt nach Angabe der Hs. aus den Jahren 1323—25.

254. De sancta Lucia.

1. O viva Christi hostia,
Lucia fortissima,
Tua sit mihi passio
Peccatorum remissio,
Tua sit dilectio
Mis animae refectio,
Tua commemoratio
Sit mentis reparatio.

2. Salve, virgo, funde preces,
Cordis mei purga faeces,
Sensus terge vitiis;
Salve, confer quaeque bona
Castitatis cingar zona
Et virtutum initiis.

3. Audi, Christe Iesu pie,
Per preces sanctae Luciae
Me sanctis tuis insere,
Qui perire nullum sinis,
Ut me bonus tangat finis
In hoc praesenti saeculo,
Ut possim tecum gloriari
Et in aeternum contemplari
In deitatis speculo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Zu Str. 2 und 3 vgl. Nr. 541, Str. 14 und 17.

255. De sancta Lucia.

O nobilis virgo Lucia,
Gloriosa, mitis et pia,
Quae castitatis flore
Succensa et amore
Terrenum sponsum respuisti
Et caelestem elegisti,
Matri tuae supplicabas,
Ne alium, quam amabas,
Tibi sponsum nominaret
Neque fructum exspectaret
Carnis tuae moriturae.
Praesentis vitae et futurae
Deum verum es confessa
Et pro ipso es perpessa
Capitalem sententiam.
Quam exoro reverendam,
Ut in hac vita fragili,
Mortali atque labili,
Conferas auxilium
Et sanum consilium,
Quo contemnam peritura
Bona gliscam et futura
Atque tua prece fretus
Ex hac vita pergam laetus
Ad caeli palatia,
O gloriosa Lucia.

Collect. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. VI 3. — 26 O gloriosa virgo et martyr Lucia.

256. De sancta Lucia.

1. O Lucia gratiosa,
Vultu, forma speciosa,
Carnis elegantia,
Fide pulchra velut rosa,
Amans mente viscerosa
Christum ab infantia.

2. Clara stirpe virgo nata,
Prae coaevis cunctis grata
Excellenter nituit,
Adulescens hanc amavit
Et in sponsam postulavit,
Sed hunc ipsa renuit.

3. Gaude, virgo nunc Lucia,
Nam vicisti mente pia
Mundum et diabolum;
Sponsum carnis contempsisti,
Iesum Christum elegisti
Eiusque consortium.

4. Fides tua impetravit,
Matrem tuam quod sanavit
Christus a languoribus;
Paganismum detestatur
Mater atque baptizatur
Magnis cum honoribus.

5. Facultates expendisti
Paternas amore Christi
Egenis et pauperibus.
Ob hoc virgo accusatur
Et tyranno praesentatur
Suisque tortoribus.

6. Inimicus omnis boni
Quaerit, cui religioni
Se subdere censuerat.
Ad haec respondit Lucia
Constanter menteque pia,
Quod Christo se subdiderat.

7. Tunc tyrannus cum furore
Fremens dixit et horrore
Ad tenellam virginem:
Nisi diis des honorem,
Dabo cunctis te pavorem
Et tuam progeniem.

8. Principum si spernis iura,
Deorum perit cultura
In meam perniciem.
Sic cum virginem affatur,
Ipsa deos detestatur
Horumque effigiem.

9. Deorum qui blandimenta
Credunt, incurrent tormenta
Seipsosque damnificant,
Daemonum hi sunt figmenta
Et a malis adinventa,
Errant, qui his sacrificant.

10. Iudex plenus tunc furore
Stupet dicens: quonam more
Magna haec audes eloqui?
En, quae ego loquor ore,
Spiritus sancti fit rore,
Quem suis solet ingeri.

11. Tunc edictum promulgatur,
Ad lupanar ut ducatur
Virgo Christi turpiter;
Spiritus sanctus tunc fugatur,
Dum haec scortum patiatur;
Haec cogitavit nequiter.

12. Respondit sancta puella
Tyranno, qui dura bella
Inferre proposuit:
Si invitae violatur
Corpus, corona duplicatur,
Si consensus defuit.

13. Tunc orat Dei filium,
Ut suum det auxilium
Ab eoque servetur;
Sic virgo Christi nobilis
Stetit ut mons immobilis
Nec inde removetur.

14. Ista iudex dum percepit,
Spiculatori praecepit,
Ut decollaret virginem;
Cuius guttur perforavit,
Sacer cruor hinc manavit
Mox in terrae pulverem.

15. Dimisitque in vulnere
Ensem et coepit fugere
Magno cum timore.
Mira patent in virgine,
Quod haec de magno munere
Christi fert et amore.

16. Orat pro vitae spatio,
Ut corporis solacio
Christi muniretur;
Assunt ministri ocius,
Communicant devotius,
Antequam moreretur.

17. Hinc exorat Dominum
Pro salute hominum,
Qui hanc invocaret
In praesenti saeculo
Vel in vitae termino,
Ut eos bearet.

18. Da his, Christe, qui agonem
Meum colunt, quod praedonem
Salutis non videant,
Sed per tuum dulce nomen
Sanctam da communionem,
Ut hinc securi exeant.

19. Tunc commendabat animam
Christo, ut caeli ianuam
Intret regnatura,
Cui adhaesit fortiter
Et adamavit dulciter
Prae omni creatura.

20. Gaude, rosa transplantata
De hac valle ad beata
Paradisi gaudia;
Gaude, sponsa Christi grata,
Quae non ivit via lata,
Ad Dominum sed regia.

21. En, tu virtutis speculum
In relinquendo saeculum,
Virgo sancta, claruisti,
Virginitatis titulum,
Honoris adminiculum
Constanter tenuisti.

22. Ergo regnas cum Domino
In caelo sine termino,
Quod Iesum dilexisti,
Cum Christo sine nubilo
Gaudes cum omni iubilo,
Cum sancta matre Christi.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 12, 6 Si mentis consensus.

257. De sancta Lucia.

1. Lux illucens illustravit
Te, Lucia, quam paravit
Viae luminarium;
Morbum matris effugavit
Tua fides et donavit
Salutis auxilium.

2. Vis in bobus dormitavit,
Virtus in te vigilavit
Indurans Paschasium;
Christus, qui te conservavit
Et ad se qui te vocavit,
Me vocet ad gaudium.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

258. De s. Ludovico Alamando.

1. Agmine sidereo de cuius luminis haustu
Astra iubar rapiunt, liquidum secas aera pennis,
Sublimibus volans ab alis es Alamagnus,
Ludovicus lucens regia celsa manu.

2. Sancte, qui tanti mensuram nominis imples,
Qui gemmas gemmis, nobilitate genus,
Dulcis, pacifice, mitis, pie, grate, pudice,
Nunc videas populum altus ab arce tuum.

3. Corpore formoso, sed mente magis generoso
Flores aetate, floride virgo, flores.
In superum requie pulsa caligine nitens,
Effice me meritis tempus in omne meum.

4. Vas redolens morum, malo scie ponere lorum,
Nomen ab aeterno posteritate ferens,
Ad tua me fluctus proiectum litora portent
Occurramque oculis intumulatus tuis.

Collect. ms. Mellicense? saec. 15. Cod. Mellicen. 962. — 3, 2 aetate virgo floridus flores. — Aufserdem noch zwei Gedichte in Hexametern, die den Hymnen noch weniger beizuzählen, endlich eine Epistula, Gebet in Briefform, unterzeichnet: „Vincentius de Ruppe“; ist er auch Verfasser der Gedichte?

259. De s. Lupo Trecensi.

Ave, praesul honestatis,
Pater magnae sanctitatis,
Sancte Lupe, vir laudande,
Orbi toti praedicande,
Qui das lapsis relevamen,
Tu pro nobis intercede,
Ut caelesti nos mercede
Ditet Deus cum beatis
Regno suae claritatis.

Orat. ms. Trecense(?) saec. 15. Cod. Capit. Strigonien. Mss. III, 172.

260. De sancto Luthardo.

Sanctus Luthardus, regali stemmate natus,
Christo servivit, cuius praecepta subivit.
Pectore devoto prudenter cordeque toto
Hic dives mundo proiecit dulcia mundi.
Parva quidem terrena putat, caelestia captans,
Tanto feliciorem se probans ac nobiliorem,
Dans constanter opem languentibus atque salutem.
O venerande comes, conserva te venerantes.
Caelica, Christe, tuis qui praestas praemia sanctis,
Protege Luthardi venerantes festa beati.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

261. De sanctis Maccabaeis.

O vos sancti Maccabaei,
Martyres electi Dei,
Qui ob legis observamen
Inauditum cruciamen
Tolerastis patienter
Et obistis innocenter
Saeva morte atque vili
Sub Antiocho gentili.
Dei donis inspirati
Ac per matrem confortati
Vitam mundi contempsistis
Et ad caelos conscendistis,
Ubi vestro pro tropaeo
Confruentes estis Deo.
Quem pro nobis exoretis,
Aeternalis ut quietis
Gaudia participemus
Et vobiscum habitemus.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

262. De s. Maria Magdalena.

1. Omnis homo, qui premeris
Enormitate sceleris,
Sit in tua memoria
Sancta peccatrix Maria.

2. Si formam paenitentiae
Et locum quaeris veniae,
Reducas ad memoriam
Mariae paenitentiam.

3. Si iussa Dei spreveras
Et peccatis offenderas,
Prae oculis sit Maria,
Mundata Christi gratia.

4. Hanc imitandam censeo,
Quam paenitentem video,
Quae tam digne paenituit
Et veniam promeruit.

5. Haec abhorrendo crimina
Simonis intrat limina,
Ubi prandendi gratia
Erat Christi praesentia.

6. Tristis, maerens et anxia
Christi petit vestigia,
Non desperans de venia
Vota fundit humilia.

7. Et procumbens uberrimis
Abluit pedes lacrimis
Fusoque crine capitis
Tergit osculis additis.

8. Ingeminantur oscula,
Instatur prece sedula,
Peccatricis devotio
Hoc monstratur obsequio.

9. Fundit unguentum pedibus,
Linit devotis manibus,
Cuius odoribus bonis
Domus impletur Simonis.

10. Haec gemit inter epulas
Precesque fundit sedulas,
Ut mundet Christi gratia,
Quod timet conscientia.

11. Sed Simon hanc conspiciens
Et intra se despiciens
Dicit: si propheta foret
Hic, ream iam cognosceret.

12. Sciret quidem innumera
Iam peccatricis scelera,
Nec ad se hanc accedere
Pateretur aut tangere.

13. Sed Dei sapientiae,
Secretorum non insciae,
Patet haec cogitatio
Non emissa colloquio.

14. Tunc accersito Simone
Tali fruitur sermone:
Te cogitasse perperam
In hoc monstro, quod referam.

15. Debitores erant duo
Cuidam diti conspicuo,
Alter quinquaginta nummos,
Alter debens duplicatos.

16. His vero non habentibus
Nec reddere valentibus
Motus misericordia
Dives dimisit omnia.

17. Cuius ergo dilectio
Et amplior devotio
Exhiberi debet ei,
Dimissori tantae rei?

18. Simon inquit: iudicio
Meo postulat ratio,
Ut, cui plus dimiserat,
Plus ab hoc amandus erat.

19. Iesus autem dixit ita:
Recte reddis inquisita,
Est enim procul dubio
Huic credendum iudicio.

20. Et conversus ad Mariam:
Vides, inquit, constantiam
Huius et quae devotio
Sit in eius obsequio?

21. Ad mensam me vocaveras,
Pedes aqua non laveras,
Haec autem meos lacrimis
Pedes lavit uberrimis.

22. Non es largitus oscula,
Sed haec, in votis sedula,
Sedentis cum prandentibus
Dedit oscula pedibus.

23. Non oleo perfudisti
Caput meum vel unxisti,
Haec pretioso unguine
Non cessat pedes ungere.

24. Propterea dico tibi:
Plurimas remitto sibi
Enormitates scelerum,
Quia dilexit nimium.

25. Qui vero minus cernitur
Debere, cum remittitur,
Ut rationis exigit
Lima, et minus diligit.

26. Et loquitur ad Mariam
Quaerentem flendo veniam:
Datur tibi remissio,
Vade cum pacis gaudio.

27. O admiranda pietas,
O praedicanda bonitas,
Cuius superna gratia
Tanta fit indulgentia.

28. O quam sancta mutatio,
Quam excellens provectio,
Quae purgatur criminibus,
Iam ornatur virtutibus.

29. O Maria Magdalena,
Te quaesumus, ut obscaena
Mentis nostrae diluere
Festines precum munere,

30. Ut propulsis criminibus
Tuis sedulis precibus
Nos divina clementia
Perducat ad caelestia.

Collect. ms. S. Mariae de Camberone saec. 13. Cod. Bruxellen. II, 954 (Phil. 349). — 4, 4 Ut. — 11, 3 sq. hic foret. — 20, 2 sq. huius constantiam. — 25, 3 sq. lima exigit. — 25, 4 et fehlt.

263. Salus de Maria Magdalena.

1. Sceleribus homo plene,
In moribus Magdalenae
Conformari studeas,
Cuius vestigia tene,
Gehennalis ignis poenae
Ne subici valeas.

2. Quae daemonibus obsessa
Mortalium et oppressa
Mole septem criminum,
Ab infernis est regressa
Venia sibi concessa,
Quod dilexit Dominum.

3. Fletu lotos pedes Dei,
Crine tersos, pharisaei
Domo nardo pistico
Unxit, cuius causa rei
Septeni reatus ei
Remittuntur illico.

4. Christus ob cuius amorem
Fluxu sanavit sororem,
Fratri vitam tribuit;
Resurgentem redemptorem
Prima vidit meliorem
Partemque retinuit.

5. Par nomine Christi matri,
Sed honore minor, patri
Nos Christo concilia;
Caeli nobis per te clathri
Pateant, claudantur atri
Tartari palatia.

Cod. Bernen. 414. saec. 13 (add. saec. 13). — 1, 3 Conformare. — 5, 4 nobis preces clathri. — 5, 5 laudentur atri.

264. De s. Maria Magdalena.

1. O Maria, quae stetisti
Retro secus pedes Christi,
Quos rigasti fletibus,
Fulvis comis extersisti,
Osculatos exunxisti
Coram discumbentibus.

2. Paenitendo dum flevisti,
Christum pium invenisti
Remissis excessibus;
Quem placatum habuisti,
Pro peccatis mihi tristi
Placa tuis precibus.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

265. De s. Maria Magdalena.

Quae vitae es vena mihi dux et mater amoena,
Fac, Magdalena, tua donis munera plena,
Dilue terrena contagia, saeva refrena,
Perpete me poena liberet tua dextra serena,
Da, fruar hic cena Christi, post pace suprema.

Collect. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 523.

266. De s. Maria Magdalena.

Ave, *Maria* Magdalena,
Gratia redemptoris *plena*,
Dominus, dilector et dilectus tuus, *tecum*,
Quae fecit in te, faciat mecum.
Benedicta tu in peccatoribus,
Forma paenitentiae viris et *mulieribus*,
Et benedictus cum matre Dominus
Noster, Iesus Christus, dulcissimus
Fructus ventris virginei,
Remunerator amoris *tui*.

Collect. ms. Libehardi prioris Reichenbacen. anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

267. De s. Maria Magdalena.

1. O Maria Magdalena,
Prius vas spurcitiae,
Facta virtutum lagena,
Norma paenitentiae,
Ad te clamat plebs egena
Mortalis militiae.

2. Funde preces pro scelestis,
Ut optata venia
Ditentur regis caelestis
Salutari gratia,
Sitque angelorum testis
Pura conscientia.

3. Caritatem fac amare,
Tollere invidiam,
Unitatem conservare,
Fugere discordiam,
Carnis, mundi superare
Et hostis malitiam.

4. Bonam partem elegisti,
Iesum Christum Dominum
Super cuncta dilexisti
Veniamque criminum,
Hinc sanctarum meruisti
Consors esse virginum.

5. Tu soror apostolorum,
Tu decus ecclesiae,
Tu honor praedicatorum,
Tu gemma Provinciae,
Tu purgatrix peccatorum,
Tu lex paenitentiae.

6. Qui te traxit, gloriosus
Pater nunquam genitus,
Qui suscepit, gratiosus
Eius unigenitus,
Qui perduxit, virtuosus
Virtutisque spiritus.

7. Maria, cuius lacrimae
Sordes purgant scelerum,
Electrix partis optimae,
Qua sine fine frueris,
Ad te suspirant animae
Reae delicti veteris,
In hora mortis ultimae
Pia succurre miseris.

Orat. ms. S. Petri Salisburgen. saec. 15. Cod. Petrin. a IV 38.

268. De sancta Margareta.

1. Ave, caeli redimita
Margareta laurea,
Pretiosa margarita,
Caelibatu nivea,
Tunsionibus polita,
Vita, signis splendida,
In corona Iesu sita,
Nos in Christo solida.

2. O victrix eximia,
Virgo Margareta,
Tua desideria
Bonis sunt impleta,
Duplex sertum gloriae
Fers inter beatos,
Grata fonti gratiae,
Fac nos ipsi gratos.

3. O rosa per saecula
Vernans sempiterna,
Tibi sine nebula
Lucet lux superna,
Summo bono frueris,
Victrix coronata,
Margareta, superis
Iunge nos, beata.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

269. De sancta Margarita.

1. Virgo prudens Margarita,
Contempsisti praemunita
Desuper Olybrium;
Signo crucis insignita,
Quo fuisti deglutita,
Crepuit daemonium.

2. Salvatoris non oblita
Allegasti vi petita
Hostis primi socium;
Mihi prece da mellita
Vim virtutis in hac vita
Contra fraudes hostium.

Orat. ms. Anglican. saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

270. De sancta Margareta.

1. Gaude, martyr Margareta,
Quae caelorum regem laeta
Meruisti cernere;
Gaude, praefecti decreta
Nec non tormentorum freta
Voluisti spernere.

2. Gaude, pia, quae certasti
Et draconem superasti
In umbroso carcere;
Gaude, lumen recepisti
Et truffonem oppressisti
Nolens ei parcere.

3. Gaude, puer nuntiavit:
Christus Iesus te ditavit
Sua celsitudine;
Ad quam nos de mundi faece
Transfer, virgo, tua prece
Et da tecum vivere.

Collect. ms. Venetum saec. 15. Cod. Cicogna 2408 (2389). — 1, 4 Gaude, quae. — 1, 6 Sponte voluisti. — 2, 4 Gaude quia lumen. — 3, 1 Gaude, quod tibi puer nuntiavit. — 3, 6 da semper tecum.

271. De sancta Margareta.

1. Gaude, dulcis Margareta,
Virgo rebus locupleta,
Fulgens sub Olimbrio,

2. Gaude, triumphans draconem,
Alium quoque daemonem
Christi adiuotorio.

3. Gaude, de caelo coronata
Et carcere visitata
Ab angeli nuntio.

4. Gaude, tres mille diei
Personas sanctae fidei
Convertens eius gratia.

5. Gaude, post preces decollata
Atque per angelos lata
Ad caeli palatia.

Vita ms. S. Margaretae saec. 15. Cod. Rotomagen. 1434 (U 146). — 1, 1 Marguareta. — 1, 2 Virgo vergis laprenta. — 4, 2 Personae. — 4, 3 Convertans. — 5, 2 Animaque per angelos.

272. De sancto Martino.

Pontificum Martine decus, Martine piorum
Gloria, Martine, fons pietatis, ave.
Praesul ave, iubar ecclesiae, flos ordinis, hortus
Virtutum, sacrae religionis honor.
Vir meritis insignis, ave, qui dote prophetis
Es par, cui Dominus scire futura dedit.
Qui patriarcharum comes es, qui dogmate sacro
Es pater et generas milia prolis, ave.
Quem nec apostolico primatu laude minorem
Praedicat ecclesia, signifer orbis, ave.
Martyribus conformis, ave, non sanguine fuso,
Sed tamen assidua sub cruce martyr eras.
Flos confessorum, meritis praedives et omnis
Ordinis electi lux specialis, ave.
Virginitatis, ave, speculum, quem vita pudica
Virginibus meritis aequiperare potest.
Praesul, ave, miserere mei, memor esto precantis
Te miseri, solita me pietate fove.
Auxilium deposco tuum, scio namque, potens es,
Ante Deum facile quaeque petita capis.
Pro me funde preces, ut te poscente salutem
Corporis et mentis det mihi Christus. Amen.

Collect. ms. Gemblacense saec. 13. Cod. Bruxellen. 5387—96. — Cfr. Catal. Codd. Hagiographicorum Bibl. reg. Bruxellen. I, 491 sq.

273. Salus de beato Matthaeo.

1. Parendi velocitas
Prandiique largitas
Commendant Matthaeum,
Et duplex humilitas
Scriptorumque dignitas
Magnificant eum.

2. Cito Christo paruit,
Ad cuius deseruit
Vocem theloneum,
Largitate nituit,
Dum convivas habuit
Cum sociis Deum.

3. Se praetendit humilem
Se dicens culpabilem
Ferensque malorum
Risum detestabilem,
Reddit hunc laudabilem
Dignitas ciborum.

4. Mole nullus hominum
Desperet peccaminum,
Quin, si convertatur
Paenitens ad Dominum,
Mox veniam criminum
Plenam mereatur.

5. Cuius testimonium
Paulus, doctor gentium,
Davidque psalmista
Probant, quibus socium
Addidit se tertium
Hic evangelista.

Cod. Bernen. 414. saec. 13. (add. saec. 13.). — 2, 3 theroneum; darüber als Glosse: (s)cambium. — 3, 3 Herens, korrigiert in: Ferens mit der Glosse: Sustinens. — 5, 6 Hus evangelista.

274. De sancto Matthaeo.

1. Pretiose virtutum flos,
Matthaee, nunc respice nos,
Qui mundana reliquisti;
Rex caelestis te vocavit
Et te sibi sociavit
Mox ei adhaesisti.

2. Orbis taxas reliquisti,
Quod a Christo didicisti
Beatum evangelium;
Cultu Aethiopes verae
Fidei atque sincerae
Trahis ornans ad Dominum.

3. O pie evangelista,
Quanta fulsisti in ista
Valle vitae sanctitate,
Pellens ritum profanorum,
Gentes ad regnum caelorum
Convertens in veritate!

4. Infirmorum tu solamen,
Pro fide Christi certamen
Adisti dum sanctissimum,
Victor effectus tyranni,
Ad cenam vocatus agni,
Regnum intrans altissimum.

5. Superno gaudens de throno,
Fine conservatos bono
Perduc nos ad caelestia.
Fac, ut tibi collaetemur
Pariterque iucundemur
Per saeculorum saecula.

Orat. ms. incertae orig. saec. 15. Cod. Pragen. XIII H 3 a. — 1, 1 Pretiosum flos. — 3, 3 vita. — 5, 5 coniucundemur.

275. De sancto Mauritio.

1. Ave, clarissima sanctorum
Turma Thebaeorum,
Quam morum
Honestas
Ac divina maiestas
Venustavit.
Normam vos militum servastis,
Rapinas vitastis,
Levastis
Egentes,
Quos pressura maerentes
Contristavit.
Ubi mos proelii poposcerat,
Fortes exstitistis,
Caesar vos milites accierat,
Statim paruistis,
. . . .
Vicistis
Malignum,
Mortis poena quem dignum
Cito stravit.

2. Iter fidelibus trivistis,
Quo caelum petistis,
Tempsistis
Obscaena
Carnis, Dei amoena
Iam cernitis.
Mortem [diram] praeeleg
Ferre, quam in istis,
Deistis
Parere,
Caeli regnum hinc vere
Percepitis.
In coetu gregis iucundissi
Palma coronati,
Assueri, regis praestantiss
Dextrae sociati,
Nobis deputati
Probati
Tutores
Contra canis timores
Tricipitis.

3. Vestris nos precibus iuvate,
Veniam rogate
Patratae
Donari
Pravitati, mundari
A vitiis.
Fac nos artissimae salutis
Vivere statutis
Acutis,
Decerni
Ne contingant Averni
Suppliciis.
Regibus caeli praeclarissimis
Nos fac copulari,
Gregibus cum praefulgidissimis
Semper recreari,
Deum contemplari,
Levari
Atque frui mansuris
Deliciis.

Miss. et Brev. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. —
derselben Quelle Anal. Bolland. VI, 368. — Die Cantio folgt der Melo
A v e s a n c t i s s i m a r e g i n a, Anal. I, 52.

276. De sancto Nicolao.

Summe pater Nicolae,
Me ad summum bonum trahe;
Trahe me od summum bonum,
Quia feci te patronum.
Nunc te rogo, nunc adesto,
Nunc succurre mihi maesto,
Dele omnia peccata,
Quae a me sunt perpetrata.
Simul sunt coadunata,
Armis asperis armata,
Ob illecebras carnales
Plagas inferunt mortales,
Animaeque peccatrici,
Miserae et infelici,
Si recusas subvenire,
Nequit mortem praeterire.
Ne tardaveris adesse,
Quia multum est necesse.
Sicut naütis adfuisti,
Quibus ita subvenisti,
Ut ventorum vi sublata
Navis fieret salvata;
Sicut illas tres puellas,
Modis omnibus misellas,
Ab incestu revocasti
Auroque locupletasti,
Animae tu commendatae
Subvenito pietate
Et oppresis tuo telo
Vitiis me serva caelo
Et per undas huius maris
Esto ductor meae navis
Perque tuam largitatem
Pelle meam paupertatem,
Ut penuria deiecta
Vique turbinum defecta
Sim praecentor tuae laudis
Cum virginibus et nautis.

Collect. ms. Ravennatense saec. 12. [—15]. Cod. Classen. 246 [139. 3. D.] — 26 collocupletasti. — 29 oppressi.

277. De sancto Nicolao.

1. Copiosae caritatis
Nicolae pontifex,
Esto meae parvitatis
Copiosus opifex,
Ne me damnet pro peccatis
Mundi summus artifex,
Et tormentet cum damnatis
Gehennalis carnifex.

2. Qui in cunis ieiunasti
Quarta, sexta feria,
Da, ut ventris parce pasti
Firmer abstinentia;
Qui puellas liberasti
Carnis a spurcitia,
Da, ut fruar cordis casti
Carnisque munditia.

3. Suscitator clericorum,
Signis admirabilis,
Fac, a morte peccatorum
Surgam reus flebilis;
Copiosa meritorum
Vita praedicabilis,
Fac, operum sim bonorum
Actu commendabilis.

4. Quem vox designavit Dei
Dignum pontificio,
Dissolvatur per te mei
Reatus ligatio,
Plagas atque morbos rei
Tua sanet unctio,
Et ad portum requiei
Ducat benedictio.

Collect. ms. S. Lupi Trecen. saec. [10. et] 11. Cod. Trecen. 1170. add. saec. 12. — 1, 3 parvitati. — 3, 5 Copiose. — 4, 1 designavit Dei.

278. De sancto Oswino.

1. Gloriose rex Oswine,
Qui virtutis vi divinae
Fulges super sidera,
Opem ferens medicinae
Salutaris a ruinae
Casibus me libera.

2. Digne tibi deservire
Et me tuo fac finire
Vitam in servitio,
Ut de duce minas irae
Dei possim praeterire,
Tutes in iudicio.

Orat. ms. Anglicanum saec. 13. Cod. Londinen. Ar. 201.

279. De sancto Ottone.

1. O Ierusalem superna,
Pace fruens sempiterna,
Tu de lapidibus vivis
Deo vivo construeris.

2. Nec malleus nec securis
In tuis auditur muris,
Sed expoliti lapides
Sunt electi, quos contines.

3. Malleos percussionum
Perfert vita electorum,
Quamdiu sub carne gemit,
Dum virtutibus proficit.

4. Qui virtutum profectibus
Ascendunt quasi per gradus
Ad te, sancta Ierusalem,
Omnium credentium matrem.

5. Illic manu artificis
In suis ponuntur locis
Pusilli cum maioribus,
Senes cum iunioribus.

6. Civitas gaudiis plena,
Non eges sole nec luna,
Quam lumen illustrat verum
Per saecula saeculorum.

7. Corpore mortis exutas
Tute suscipis animas,
Quas sinu quietis foves,
Consolatione mulces.

8. In tua sede locata
Gaudeat felix anima
Pii praesulis Ottonis,
Omnibus ditata bonis.

9. O proceres angelici,
Ministri regis aeterni,
In vestro contubernio
Laetetur pontifex Otto.

10. O patriarchae praecelsi,
O prophetae Deo pleni,
Concivis et domesticus
Vester sit Otto beatus.

11. O cohors apostolorum,
Tenens orbis principatum,
Tecum tripudiet pius
Otto, vir apostolicus.

12. Martyrio candidati,
Athletae invictissimi,
In regno Christi vobiscum
Exsultet Otto per aevum.

13. O beati pontifices,
O confessores illustres,
Sit vobis associatus
Pius Otto episcopus.

14. Alma chorea virginum,
Candida sicut lilium,
Tecum floreat in aevum
Praesul Otto ante Deum.

5. O civitas Dei summi,
Sedes regni perpetui,
Cives tui universi
Pio faveant Ottoni.

6. Ex filiis tuis multos
Habet hic praesul patronos,
Sub quorum patrocinio
Struxit ecclesias Christo.

7. Dat primitias votorum
Tibi, Laurenti, suorum
Otto praesul ecclesia
In Vrangia constructa.

8. Et tibi, sancte Georgi,
Devote coepit obsequi
Otto condens ecclesiam
Prope urbem Ratisponam.

Te, Petre, princeps pastorum,
Otto habeat patronum,
Per quem tibi est constructum
In Uraha coenobium.

Ottonem Christo commenda,
Iohannes evangelista,
Cui est ab eo constructa
In Vicbiluelt ecclesia.

O Iacobe apostole,
Ottoni praesuli fave,
Qui apud Enstorf condidit
Cellam, quam tibi dicavit.

2. Ottoni faveto pia,
Dei genetrix Maria,
A quo tibi est constructum
In Lancheim monasterium.

3. Tibi, o regina caeli,
Devotione fideli
Otto dicavit optimum
Apud Biburc coenobium.

4. Is tibi Windebergensem
Donavit possessionem,
Qui adunavit ibidem
Cleri congregationem.

25. Otto per Dei gratiam
Ornavit sedem propriam,
Addens ei abbatiam
In Madelhardestorf sitam.

26. Otto, satagens augere
Decus ecclesiae suae,
Addit illi ad honorem
Cellam Monasteriensem.

27. Reginstorf Bambergensi
Otto acquisivit sedi,
Quem locum regularium
Constat esse clericorum.

28. Halesprunnen monachorum
Construxit habitaculum
Tibi, o virgo virginum,
Parans ille obsequium.

29. In honorem sancti Petri
Alterspach fecit construi,
Qui locus est delegatus
Clericis regularibus.

30. Aspach et Clůnich geminas
Suae sedi addit cellas,
Unam beati Matthaei,
Alteram Andreae sancti.

31. In Arnoldesteine structam
Sancto Georgio cellam
Praesul venerandus Otto
Suo dat episcopio.

32. In Vezera quasi stellam
Otto pius construxit cellam,
Quam dedicavit in honore
Dei genetricis Mariae.

33. In monte sancti Michaelis
Cellam construxit sanctae Fidis,
Exceptis habitaculis
Longe vel prope positis.

34. In his locis Otto pius,
Plenus bonis operibus,
Domino cottidianum
Praeparavit obsequium.

Collect. ms. Ratisbonense saec. 12[—14]. Clm. Monacen. 13087. — 6, neque luna. — 27, 1 fehlt eine Silbe. — 30, 4 Alteram sancti Andrea apostoli. — 32, 1 quasi matutinam stellam. — 33, 2 beatae Fidis. — 33, Exceptis fidelium habitaculis. — Aufschrift: „Rithmus pro commendatione pii Ottonis episcopi et de gestis eius.“

280. De sancto Paulo.

1. Paulus, aemulator legis,
Persecutor Christi gregis,
Lupus rapax mortem gerens
Circuit, necare quaerens
Cuneos fidelium.

2. A divina luce tactus,
Mente raptus, caecus factus,
Ductus est ad Ananiam,
Videns novae vitae viam,
Iesum Dei filium.

3. Uetustate spoliatus,
Fonte gratiae renatus
Coepit usque fines terrae
Salutare semen ferre
In fervore spiritus.

4. Laetus Christum est secutus
Multa passus ipso iutus,
Probris laesus, virgis caesus
Mortis poenam et catenam
Pati non est veritus.

5. Uitam longam in virtute
Duxit mundi pro salute,
Martyr tandem cum corona
Sumptus ad aeterna bona
Laudat regem gloriae.

6. Sancte Paule, dux doctorum,
Martyr, flos apostolorum,
Nos emenda, Deum ora,
Ut illustret nos decora
Beatorum requie.

Collect. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Dies Gedicht ist von demselben Verfasser wie oben Nr. 251 auf den hl. Laurentius.

281. De s. Paulo Eremita.

1. Bina legione David
Hostes Israel prostravit,
Mundum, carnem, daemonium,
Primum martyrum levitam,
Monachorum eremitam
Dans Paulum primicerium.

2. Ipse puer vix sedennis
Columbae vestitur pennis
Petens antrum maceriae.
In desertum dat volatus
Orans, templans, incolatus
Praesentis flens miseriae.

3. Sentit tunc Valerianus
Socer dirius vesanus,
Huic moliens interitum;
Solitudinem petivit,
Qua salvaret, exquisivit
Puer, pusillum spiritum.

4. Cohors prior iam cessare,
Sequens debuit pugnare,
Quapropter Christus noluit
Quod in illa militaret,
Nostrae sed ducatum daret,
Prout insignis voluit.

5. Mentem pascit spiritale
Manna, Iesu, pluis quale
In pauperi dulcedine;
Octo carnem palma lustris
Nutrit, corvus hinc industris
In semipanis fragmine.

6. Iesu dulcis, hunc duplasti,
Tandem sibi sociasti
Convivam dum Antonium;
Pium oritur certamen,
Quis confringat, pacis tamen,
Amoris dulce iurgium.

7. O quam laete convivantur,
Nam delibant, quae parantur
Iam regis in triclinio!
Si ministrat ibi Christus,
Certe frangit panem istis
Plus spiritus in scrinio.

8. Potat sanctum aqua rivus,
Plus sed aptat te fons vivus,
Hinc vena vitae scaturit;
Libet tamen contemplari
Vestem, magis qua ornari
Tantus miles meruit.

9. Quis ignoret innocentem
Cocco bissoque fulgentem,
Auro, iacintho, purpura;
Gloriam sed hanc decoris
Intus vide, quaeso, foris
Quae monachi cucullula.

10. Manibus victores gerunt
Palmas, huius artus ferunt
Contextam palmis tunicam;
Armis victor loricatur
Ferme centum, amplexatur
Sic undique victoriam.

11. Sile, caro, cede, munde,
Vade, Satanas, rotunde
Deridet vos emeritus;
Nil habetis, quod non sprevit,
Qui nec suasis acquievit
Nec mala vestra veritus.

12. Dic, Antoni, senex sancte,
Dic, dic adhuc vitae tantae
Quidquam pluris magnalium.
Vere magnus, quem revelat
Tibi Deus, grex nec celat
Monstrosus animalium.

13. Hunc quaesisti cum labore,
Repertum mirans stupore,
Occulta nempe panderat;
Affers pallium petitum,
Plangens rediens sopitum,
In Christo iam dormierat.

14. Cernis turmas angelorum
Iungere apostolorum
Prophetisque collegio;
Quam devote moriatur,
Flexus poples hoc testatur;
O stupenda religio!

15. Cambis pater vestem tuam,
Testamento capis suam,
Qua in festis progrederis,
Digne credens te ornari,
Tanti patris decorari
Amictu si merueris.

16. Dant leones sepulturae
Corpus sacrum et hoc iure,
Ut sanctis ferae pareant;
Sic spe caro requiescit,
Bonis gloriae fulgescit
Spiritus, quem exhilarant.

17. Iam, praeclara caeli stella,
Paule pater, seda bella,
Quibus desertum quatitur;
Urit ignis, mordet serpens,
Gravat labor atque torpens
Mens Amalech insequitur.

18. Duc nos montem visionis,
Terram ad promissionis,
Supernam Ierusalem,
Ubi sanctis pater paret,
Flamen ardet, verbum claret
Per te, rex o Iesu Salem.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstatien. 521. — 1, 4 Prime. — 13, 3 Occultas.

282. De sancto Pelino.

I.

1. Regis regum plebs devota
Voce clara, mente tota
Celebret sollemnia;
Festa redeunt iucunda,
Et nos mente sitibunda
Solvamus praeconia.

2. Solve vota digna laude,
Totis viribus congaude,
Valvensis ecclesia;
Sola digna tu fuisti,
Sola tu promeruisti
Pelini suffragia.

3. Sola possides primatum,
Sola tenes praesulatum
Et eius insignia,
Cuius corpus hic quiescit,
Per quem latius clarescit
Haec mater ecclesia.

4. Haec lux mirae claritatis,
Gratia latinitatis,
Oritur in Graecia,
Quam inde praedestinarunt
Et huc gratis asportarunt
Dei providentia.

R⁰ Eia, fratres, canite,
Trino regi psallite,
Grates dignas agite,
Vetera deponite,
Nova vos induite,
Diem festum colite,
Cantilenam facite,
Martyri complaudite.

II.

1. Hic nobili genere
Civitate Durachio
Matre quidem Saphira,
Patre natus Archadio,

2. Deo famulantibus,
Constitutis in senio,
Nullam spem tenentibus
Super habendo filio,

3. Nisi quam conceperant
Praecinente Basilio,
Cuius post commissus est
Praeclaro magisterio.

4. Et in templo Domini
Oblatus est cum gaudio,
Cuius hic continuo
Congaudemus martyrio.

R⁰ Eia, fratres, canite.

III.

1. Crevit sanctus de repente
Sancto spiritu replente
Desuper ingenium,
Et festinus aspiravit
Et ad sacrum convolavit
Doctrinae fastigium,

2. Non ascribens sibi tanti
Sed donis spiritus sancti
Muneris officium,
Tunc relictis universis
Ac legitime dispersis
Iuxta evangelium.

3. Contra sectas paganorum
Et cultores idolorum
Opponens se obvium,
Navem protinus intravit,
Statim sanctus invocavit
Dei patris filium.

4. Dono cuius est eggressus
Et celeriter ingressus
Nobile Brundisium.
Quem Aproculus inspexit,
Praesul terrae, nec despexit,
Excepit in filium

5. Et archidiaconatus,
Post coegit praesulatus
Conscendere solium.

R° Eia, fratres, canite etc.

IV.

1. Romam vadit ordinandus,
Papae manibus tractandus
Et pie suscipitur,
Deo intus inspirante,
Papa foris operante
Caput et mens ungitur,

2. Et sibi pontificatus,
Animarum praesulatus
Per Iulium traditur;
Post acceptam missionem
Necnon benedictionem
In pace dimittitur.

3. Sed Aproculus cum eo
Rediens vocante Deo
Apud Ansam moritur;
Postquam sanctus emigravit,
Praesul sibi consecravit
Domum, sicut cernitur.

4. Post ad Apulos reversus,
Ubi populus inversus
Habitasse dicitur,
Evidenti ratione
Omnes et oratione
Convertisse legitur.

5. Omnis ritus paganorum,
Omne fanum idolorum
Per ipsum destruitur.

R° Eia, fratres, canite etc.

V.

1. Iam sanctus converterat
Calabros et Apulos
Et, quoscunque poterat,
Edocebat populos
Elargiri propria
Nec servare loculos,
Ut Christus praeceperat
Per suos apostolos.

2. Plenus omni scelere
Caesar Iulianus
Audit, quod Simpronius
et Aurelianus
Sit uterque publice
factus christianus,
Frendens torquet oculos
tamquam vir insanus.

R° Eia, fratres, canite etc.

VI.

1. Hos ipse miserat
   Martyrem ducere
   Et eius socios
   Omnes adducere,
   Quosdam promissis
   Et largo munere,
   Alios minis
   Et diro vulnere.

2. Quos sanctus innocens
   Sic exhortatur:
   Eamus Romam,
   Nunc praeparatur
   Corona nobis,
   Nam tunc probatur
   Verus athleta,
   Cum proeliatur.

R⁰ Eia, fratres, canite etc.

VII.

1. Ecce, Romam veniunt
   voce laetabunda
   Intraturi proelia,
   quae non sunt iucunda,
   Ea tamen sustinent
   mente sitibunda
   Exsecrantes penitus
   idola immunda.

2. Praesul ait Caesari:
   „dic tu, Iuliane,
   Nunc factus apostata,
   quondam christiane,
   Reliquisti Dominum
   et servis Dianae,
   Ut tibi conquireres
   solium inane?

3. Miser, quid te decipit,
   quid tibi blanditur?
   Ecce, quod tu possides,
   repente finitur,
   Furia, qua praefuris,
   cito sepelitur,
   Ubi fures fodiunt,
   tinea molitur."

4. Caesar apostasiae
   Tactus improperio
   Cogitat multiplici
   Perdere martyrio
   Pelinum sanctissimum
   Cum suo collegio
   Et Pelinum tradidit
   Tunc Corniculario.

5. Hic huius provinciae
   praeses et praefectus,
   Forma novi sceleris,
   omni dolo tectus
   Et nefanda daemonum
   mixtura confectus,
   Cui mens est horrida,
   funestus aspectus.

6. Rediens Corfinium
   praeses hic inflatus,
   Quod pravorum hominum
   erat incolatus,
   Daemonum congeries,
   sedes et primatus,
   Civitas praecipua
   huius comitatus.

7. Praeses laetus incipit
populo narrare,
Quod Pelinum duxerat
huc sacrificare
Et ipsum suppliciis
duris macerare,
Nisi cito satagat
daemoni curvare.

8. Quod Pelinus audiens
dixit ad profanum:
„Ecce, mecum pergite,
ibimus ad fanum."
Quod ut omnes audiunt,
properant in vanum,
Prosequentes omittunt
praesidem insanum.

9. Ubi sanctus Domino
genua curvavit,
Totum templum corruit,
idola constravit
Et Cornicularium,
qui hoc ordinavit,
In ruinam suffocans
totum conquassavit.

10. Postquam cernit populus
praesidem migrasse,
Animam daemonibus
cito commendasse,
Pelinum antistitem
dicunt incantasse
Et suis praestigiis
talia patrasse.

11. Nesciunt, quod daemonum
furia peremit
Praesidem, quae neminem
a poena redemit;
Adcurrunt pontifices,
populus contremit,
Et ad casum principis
tota plebs infremit.

12. Pessima pontificum
turba conclamavit,
Plagis et verberibus
sanctum cruciavit,
Donec martyr animam
Deo commendavit
Et caelorum ardua
terra commutavit.

13. Multa sustinuerat
pontifex martyria,
Poenas importabiles
et longa suspiria,
Antequam exsolveret
extrema supplicia,
Corpus cuius possidet
nunc nostra confinia.

R⁰ Eia, fratres, canite etc.

VIII.

1. Miro modo plaudite
Voce, corde, manibus,
Sedem vobis facite
In virtutum gradibus.

2. Praeferentes spiritum
His lutosis carnibus,
Luteam materiem
Exornemus moribus.

3. Vocis modulatio
Et cor purum sordibus
Iungat se celeriter
Caritatis sedibus,

4. Et Pelini precibus
Nobis suffragantibus
Iungamur perenniter
Angelorum coetibus.

R⁰ Eia, fratres, canite etc.

IX.

1. Infernali furia
Caesar Iulianus
Rapitur ad inferos
tamquam tunc profanus,
Post quem regnat, imperat
Caesar Iovianus,
In quo gaudet pariter
orbis christianus.

2. Hic legatos destinat
carpere Corfinium,
Nicostratum praesidem
et Pardum patricium;
Qui non possunt viribus
Neque per ingenium,
Nisi, ex quo martyrem
habuere praevium.

3. Hi redire coeperant
tamquam desperati
Ad id, pro quo venerant
valde fatigati,
Sed iacentes lectulo
somno soporati,
Martyr his apparuit
dicens: „O legati,

4. Quis honor, quae gloria,
sic repatriare,
Leviter incipere,
frustra laborare,
Infecto negotio
nihil consummare?
Nam solet opificem
opus declarare.

5. Ecce, retro cedite,
nihil dubitetis,
Nam auctore Domino
terram capietis,
Corpus meum utique,
quod invenietis
Ante portam positum,
sub luto tolletis."

6. Hi divino munere
terram receperunt,
Iuxta dictum martyris
corpus invenerunt
Et sibi basilicam
ibi construxerunt,
Cui totam patriam
devote dederunt.

7. Hanc novam basilicam
vetus procreavit,
Cupressina capsea
corpus conservavit,
Quod praesul Gualterius
publice locavit
Et altare desuper
maius ordinavit.

R⁰ Eia, fratres, canite etc.

Pass. ms. Sulmonense saec. 11. Cod. Vatican. 1197. add. saec. 12. in- 7, 5 Gualterius ep. Sulmonen. 1104—40.

283. De s. Petro Caelestino.

1. Petrus de petra mittitur
Deserti montem visere
Sion, in papam tollitur
Miti vestitus vellere;
Fratrum fastus reprimitur
Novo recisus vomere,
Gratia clerus colitur
Iam lucis orto sidere.

. Caelesti rore praeditus,
Suo respondens nomini,
Caelestinus, vir inclitus,
Sacrosanctae regimini
Ecclesiae praepositus,
Velut in caelo gemini
Irradiat divinitus
Iste confessor Domini.

3. Petrus dat laudum carmina,
Petrus pro grege vigilat,
Petrus absolvit crimina,
Serpens antiquus sibilat,
Petrus confert iuvamina,
Quibus omnis plebs iubilat,
Post Petrum canunt agmina:
Aurora lucis rutilat.

Collect. ms. S. Iacobi Leodien. (olim Simonis de Leodio, Canonici ıngren.) saec. 13. Cod. Darmstadien. 2666. — 1, 3 monte. — 1, 8 et ıpam. — 1, 4 vestibus. — 1, 7 cleru. — 3, 7 canunt carmina. — „Anno omini MCC nonagesimo quarto haec scripta sunt de papa Petro, qui et ıelestinus." — Aus derselben Hs. auch (nicht ohne einige Lesefehler) in ›man. Forsch. VI, 11. Das Lied ist ersichtlich unvollständig.

284. Ad sanctos tres Reges oratio.

. Te, rex Iaspar, imploramus,
Confer nobis, quod optamus,
Christum Iesum propitium;
O rex Iaspar, serve Dei,
Te rogamus servi rei,
A peccati carcere
Educ nos potenti prece,
Nobis detur victa nece
Tecum semper vivere.

. Te, rex Melchior, rogamus,
Nobis dona, quod optamus,
Nec sic spernas peccatores,
Ut non cernas precatores,
Reos sibi diffidentes
Tuo siste Domino.

3. Balthasar, rex pietatis
Et totius sanctitatis
Flumen indeficiens,
In te salva confidentes,
Salutari sitientes
Potu nos reficiens.

4. Ad de flentes suspiramus,
Te gementes invocamus
Evae proles misera,
Statum nostrae paupertatis
Vultu tuae bonitatis
Clementer considera.
Deo, sancte, nos commenda,
Ut exutos omni menda
Nos locet in gloria.

5. Iesu Christe, fili Dei,
Tota salus nostrae spei,
Trium regum interventu
Angelorum nos concentu
Fac gaudere iugiter.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 3, 1 O althasar. — 5, 3 Tuorum regum. — Starke Entlehnungen aus Adam von . Viktor.

285. De s. Richardo Eboracensi.

1. Dives virtutibus
   Dura sustinuit,
Pollens candoribus
   Ut rosa rubuit,
Pro sponsae iuribus
   Vincens occubuit,
Quinque vulneribus
   Dum polum adiit.

2. Scrobem purificat
   A sorde criminum
Et scopam ordinat
   Sanguinem proprium,
Sic ruens recipit
   Rigoris gladium
Et procul propulit
   Quodque piaculum.

3. Post donum spiritus
   In luce Cynthiae
Willelmi praesulis
   Fulgente iubare
Est palam proditus,
   Sed nimis callide,
Ligatus nexibus
   Mortis dirissimae.

4. In domo propria
   Mitescens sistitur,
Ubi iustitia
   Dire comprimitur,
Iniusti iudicis
   sermo depromitur
Sine responso,
   Sic nece plectitur.

5. Virgo, sponsus
   et pastor populi,
Martyr vincens
   triumpho nobili,
Novus Abel
   succedens veteri,
Extra portam
   fit datus funeri.

6. Pelle piacula,
   Pastor piissime,
Iam sine macula
   Regnans aequissime,
Dissolve vincula
   Litis nequissimae,
Astringe foedera
   Pacis piissimae.

Horae B.M.V. sec. usum Sarum saec. 15. in. Cod Oxonien. Lat. l f. 2. — 3, 2 luce zinzie. — 4, 6 sena [!] depromitur. — 4, 7 fehlt ei Silbe. — 5, 7 Sic extra; in der ganzen 5. Str. abweichendes Metrum. — Na dem Gedichte folgt noch Versic. et Resp.:

V. Pro nobis ora, quaesumus,
   Richarde, martyr Christi,
R. Qui petens quinque vulnera
   mortem pertulisti.

Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

286. Salus de beato Stephano.

1. Passionis Christi primus
Testis, pro tuis opimus
   Intercessor hostibus,
Stephane, votis accimus
Te, quem caelestibus scimus
   Laureatum sedibus.

2. Cuius lipsanis inventis
Sociorum adiumentis
   Terrae cessit siccitas;
Tuis laudibus intentis
Prosit diei praesentis
   Votiva sollemnitas.

3\. Christo paupere ditaris,
Paulo nudo lapidaris,
Coronaris laurea;
Rabbi Pauli revelaris,
Servas loca, renitaris
In aula siderea.

Cod. Bernen. 414. saec. 13. add. saec. 13. — 1, 2 pro cuius.

287. De s. Thoma Lancastriensi.

Gaude, Thoma, ducum decus,
lucerna Lancastriae,
Qui per necem imitaris
Thomam Cantuariae,
Cuius caput conculcatur
pacem ob ecclesiae,
Atque tuum detruncatur
causa pacis Angliae,
Esto nobis pius tutor
in omni discrimine.

Cod. Londinen. Reg. 12 C XII. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

288. De ss. Thyrso, Palmatio et Sociis.

1\. O athletae Thebaeorum,
O vos cives Trevirorum,
Corpora quiescunt quorum
In hoc sacrato solo,
Vos saluto, vos collaudo,
Mille miliesque plaudo,
Cor et mentem iam non claudo,
Audite me de polo.

2\. Felix, Deus quem vocavit,
Sua fide illustravit
Robur mentis et donavit
Acerbae mortis hora!
Tyrse princeps, decollaris,
Bonifati, sociaris,
Pie Soter, applicaris
Constanti sine mora.

3\. O Palmati, o Maxenti,
Nullus timor fuit menti,
Firmo corde, non paventi
Datis colla candida.
Alexander, progrederis,
Mitis Leander, sequeris,
Quos non, Iustine, deseris,
Mens cum non sit languida.

4\. Ach, Papyri cum Hormisda,
Fortis, Faustus, agonista,
Sancta a palaestra ista
Haud metus te fugavit.
Sacer miles Ioviane,
Tu constantiae quam sanae,
Ducis bonum et suave,
Quod mors te triumphavit.

5. O vos innumerabiles,
Celsi fortesque martyres,
Cunctis digne amabiles,
Saluto hilariter,
Qui spreta mundi gloria
Sprevistis transitoria
Pro sanie et scoria
Ob Christum suaviter.

6. Exprobrati, spoliati,
Trusi, caesi et truncati,
Saevo ense decollati,
Tellus madet cruore;
Urbis sacravit moenia,
Dum sex per miliaria
Mosellae rubent flumina,
Christi fusus amore.

7. Mundo ostro exornati,
Margaritis coronati,
Adamante decussati
In choris angelorum
Exsultantes congaudetis,
Carum Christum iam habetis
Cuius bona possidetis
Cum milibus sanctorum.

8. Trinitati sociati,
Vera vita iam dotati,
Omni bono et beati,
Nostra sumite vota.
En, cum carne premit mundus
Hostis quoque furibundus
Bella citat nutabundus,
Heu, vobis non ignota.

9. Pro vestra sed victoria
Triumphi assit gloria,
Ne mala transitoria
Conducant ad infernum,
Sed ovantes contemplemur
Deum verum et laetemur,
Vestrae sorti gratulemur
Ultra et in aeternum.

Schmitt Ph., Die Kirche des hl. Paulinus bei Trier, Trier 1853. S. 481 u. f., aus „Cod. Treviren. Gest. 33". Da die Hs. mit dieser veralteten Signatur kaum aufzufinden, mufs ich mich mit dem Abdrucke aus Schmitt begnügen.

289. De sancto Udalrico.

Sancte praesul bone, miserorum fide patrone,
Udalrice grate Christi pugilque beate
Nobilis et miles, actus omnino viriles
Qui perfecisti pugnans pro nomine Christi
Sub floridis armis, cum saevis nempe tyrannis,
Quos tu vicisti, licet aspera multa tulisti.
O praesul mitis, palmes verae quoque vitis,
Nomine pro Christi passus qui multa fuisti,
Ecce, triumphasti, cunctos hostes superasti
Nuncque iucundaris aliqua nec mole gravaris,
Conregnans laetus Christo sine fine quietus.
Eia, praedigne, pie, clemens, large, benigne,
Ob Christi nomen, per quod sortitus es omen
Tanti dulcoris et veri culmen honoris,

Me miserum, qui te nunc pulso, respice mite
Iugiter orando pro me semperque iuvando,
Ut mea sit vita virtutum luce polita
Deque malis tuta mundi curisque soluta.
Omnem languorem mentis carnisque dolorem
In me tu cura removeque tua prece pura.
Reprime nocturnos hostes pariterque diurnos,
Ne spolient, tundant, alia mihi vel mala fundant.
Ast obitus hora pietate tua mihi rora
Gratum solamen, mihi sis et dux ad unamen
Regni caelorum, gaudens ubi turma piorum
Concinit ante Dei vultum carmen iubilaei.
O flos caelestis, pia dans solamina maestis,
Ora pro cunctis vivis et corpore functis,
Ut vivis detur venia, pax et cumuletur,
Detur et aeterna lux functis aede superna.
O praesul invicte, si quisquam veneratur te
Te prece pulsando vel digne te venerando,
Hic si turbatus fuerit, languore gravatus
Aut paupertate quacunque vel anxietate,
Per te sanetur, ditetur vel laetificetur.
Praestet plasmator hominum pius et miserator,
Omnipotens Dominus, qui regnat trinus et unus.

Orat. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobonen. 3650. — 19 Omnemlue. — 22 spoliant. — 25 Regna.

290. De sancta Ursula.

1. O Ursula, nobilis genere,
Nobilior morum sanctitate,
Quae regales nuptias spernendo
Regi regum adhaesisti Christo,

2. Aduxisti post te, dux inclita,
Tot sanctarum virginum milia,
Quae servantes vestro sponso fidem
Meruistis lauream duplicem.

3. Ad caelestes nuptias ingressae,
Casto agni amplexu beatae,
Quocumque it, cum eo pergitis
Et canticum laete concinitis.

4. Obsecro vos, ut vestris precibus
Caste, pie et iuste vivamus,
Ut translatae in vestrum numerum
Christo sponso canamus canticum.

Devotae orationes (Fontrebaldenses) imp. Parisiis 1546.

291. Misa de s. Willelmo Comite.

Introitus.

1. Omnes confitemini
Deo, quia bonus,
Cuius iugum suaviter
leve fertur onus,
Ad laudum praeconia
surgat quisque pronus,
Cui servit terra
caelicus atque thronus.

Officium.

2. Dona, Christe, comiti
requiem aeternam,
Consequatur gratia
lucem sempiternam,
Christus, pro quo spreverat
gloriam modernam,
Laudibus ac hymnis
ferat ad Sion ille supernam.

Oratio.

3. Inclina, misericors
Deus maiestatis,
Lacrimosis precibus
aures pietatis,
Rogamus clementiam
summae deitatis:
Gaudia Willelmo
da, Kyrie, fons bonitatis.

Epistula.

4. Libro sumpta lectio
de Maccabaeorum;
Iudas vir fortissimus,
collectam bonorum
Misit Ierosolymam
pro factis reorum,
Delicti veniam
sperans per manus eorum.

Gradale.

5. Requiem spiritibus
dona defunctorum
Et eos a nexibus
solve delictorum,
De profundis clamitant
voces peccatorum,
Quas audire velis,
Deus, unica spes miserorum.

Evangelium.

6. Sequens evangelium
hic per Lucam datur,
Panis Dei filius
vivus nuncupatur,
Vivent, qui comederint,
quibus mors negatur,
Sanguinis in potu
virus procul omne fugatur.

7. Praesumunt Iudaicae
gentes admirari,
Quaerunt, caro quomodo
possit manducari,
Modum quaerunt, sanguinis
in quo potum dari
Convenit his, quos vult
Deus in sublime locari.

8. Ipsa demum veritas
dicens attestatur:
Carnem non vescentibus
vita denegatur,
Qui non gustat sanguinis
potum, condemnatur
Et per contemptum
sibi mors iterata paratur.

Offertorium.

9. Gloriae rex, animas
salva defunctorum
Et depressas libera
mole peccatorum,
Signifer archangelus
Michael istorum
Ad lucem ducat,
qui spes est certa laborum.

Secreta.

10. Hostias offerimus
plebis pro peccatis,
Pro vivis te petimus
morti ferae datis

Et defunctis aperi
fontem pietatis,
Quos tu plasmasti,
Iesu, miserere renatis,

Praefatio.

11. Imperans per saecula
cuncta saeculorum.
Amen dicit populus
et plebs electorum,
Sursum corda, domino
subdant dominorum,
Cui Cherubim serviunt
ac agmina sancta polorum.

Sanctus.

12. Sanctus rec pacificus,
mortis triumphator,
Sanctus rex magnificus,
omnium creator,
Sanctus caeli patriae
gloriae donator,
Nomine sit Christi
veniens benedictus amator.

Benedictus.

13. Illi, per quem libera
tua fit Susanna,
Coetus in excelsis
sanctorum dicat Hosanna.

Canon.

14. Iuste iudex patiens
et salvator Deus,
Virgo mater, Simeon
et Bartholomaeus,
Adreasque Iacobus,
Paulus et Taddaeus,
Barnabas et Lucas,
Clemens, Petrus atque Matthaeus,

15. Orate pro comite
mundi redemptorem,
Qui redemit miseros
sanctum per cruorem,
Ut Willelmus tartari
poenas et horrorem
Transeat illaesus,
non sentiat inde dolorem.

Pater Noster.

16. Qui venturus saecula
cuncta iudicare,
Praeceptis salubribus
monet nos orare.
Dic pater, si moribus
te vis informare,
Digneris nomen
in nobis sanctificare.

17. Tuum regnum veniat,
tuum fiat velle,
In terris ut solio,
quo figuntur stellae,
Panem dona iugiter
dulciorem melle,
Debita dimitte,
temptamina cuncta repelle.

Sed libera.

18. Libera nos, Domine
rex, a cunctis malis,
Sub tuis continue
protegamur alis,
Dele, quod commiserat
homo bestialis,
Sit nobis scutum
maiestas imperialis.

Pax et Agnus Dei.

19. Pax tua continua
sit Willelmo, Christe,
Illa, quam non poterat
dare mundus iste.
Agnus suo sanguine
tollens omne triste,
Ad verum pacis
auctorem transeat iste.

Communio.

20. Pro cuius memoria
corpus est oblatum,
Sanguis sumptus redimens
miserum reatum,
Liberans a carcere
servum captivatum,
Christe, tuum pugilem
tecum fac esse locatum.

Postcommunio.

21. Sumpta sacrificia
tergant, quod peccavit,
Cuius virtus comiti
donet, quae optavit,
Summi dator praemii,
pro quo dimicavit,
Hoc sibi donet rex,
quod fida mente paravit.

22. Per patrem, per filium
et per sanctum flamen,
Deus, cuius omnia
tremunt ad examen,
Omnes sancti comitis
assint ad tutamen,
In pacis requie
Willelmus dormiat. Amen.

Cod. Coll. Corp. Christi Oxonien. 232. — 10, 4 mortis. — 6, 2 Das Evangelium steht aber Joh. 6. — 11, 6 divinorum. – 16, 3 salutaribus. — 21, 4 quam. — 21, 8 quam. — Diese Messe wird eingeleitet mit den Worten: „Incipit Missa pro Willelmo comite.“ Vorher geht noch in der Hs. eine Anzahl von Versen erzählenden Inhaltes, die um so mehr hier fortbleiben, als sie nur ein Bruchstück eines gröfseren Ganzen zu sein scheinen. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

292. De sancto Wolbodone.

1. Ave, pater egenorum,
Wolbodo sanctissime,
Relevamen afflictorum,
Praesul devotissime,
Ave, gemma confessorum,
Signorum clarissime,
Spes et salus languidorum,
Virtutum ditissime.

2. Dudum prudens, pius, castus,
Sobrius et humilis,
Hostis evitabas astus
Spretis eius iaculis,
Tuis ergo, quaeso, pastus
Exemplorum formulis,
In me frena mundi fastus
Pressis carnis stimulis.

3. Et qui quondam distributor
Facultatum fueras,
Pupillorum quoque tutor
His opem contuleras,
Mihi, rogo, sis adiutor,
Ut veras divitias,
Quibus iam egere putor,
Adquiram et caelicas.

4. Iuxta tumbam, qua locatae
Sacrae sunt exuviae,
Inauditae sunt patratae
Virtutes eximiae;
Illud ergo precor a te,
Me mente et corpore
Tua serves pietate
Et mundum a crimine.

5. Pie Iesu, pastor bone,
Precor cordialiter,
Sacro duce Wolbodone
Orante suaviter
Fac sanctorum me coronae
Iungi aeternaliter,
Tui vultus visione
Potiri finaliter.

Collect. ms. S. Laurentii Leodien. saec. [13. 14. 16.] 15. Cod. Bruxellen. 9598-606. — Nach 4, 4 eingeschoben:

Sanitates restauratae,
Propulsae molestiae.

MORALIA.

293. Ad Animam.

1. O cara anima,
Deo pretiosa,
Tu es redempta
Sanguine Christi
Sub illo.

2. Intus amore
Illius arde,
Uti sis salva,
Undique tuta
Sub illo.

3. Rector et auctor
Orbis ubique
Te cupit esse
Namque benignam
Sub illo.

4. Mitis adesto,
Corpore casta,
Integra fide,
Clarior actu
Sub illo.

5. Ista, quae cernis,
Saecula cuncta
Sunt vana menti
Pura cernenti
Sub illo.

6. Nunc manet fides,
Spes caritasque,
His tribus maior
Est caritas tunc
Sub illo.

7. Genua fige,
Corpora stringe,
Christum adora
Pectore toto
Sub illo.

8. Illo holocausto
Deum placabis,
Corde contrito
Si bene plangis
Sub illo.

9. Laus tua sola,
Gloria cuncta
Sit Deus almus
Semper ubique
Sub illo.

10. Est tua merces
Pii laboris,
Si modo clamas
Nocte dieque
Sub illo.

11. Regi et aeterno
Iuncta maneto
Ac memor esto
Patris et matris
Sub illo.

12. Esto devota,
Omnibus pia,
O cara anima,
Atque beata
Sub illo.

13. His carminulis
Laeta caneto,
Cantica David
Semper amato
Sub illo.

14. Te benedicat
Christus in aevo,
O cara anima,
Vale, iucunda
Sub illo.

Collect. ms. Frisingense saec. 9/10. Clm. Monacen. 6411. — 4, 2 casta fehlt. — 8, 2 placaris. — 8, 4 Si be plangis. — Überschrift: „Rhythmus, carmen".

294. Hortulus Animae.

1. O fratres devotissimi,
Attendite prudenter
Hortulum dulcissimi
Iesu et decenter
Herbas atque plantulas
Colere studete,
Ne hostis per regulas
Descendat, praecavete.

2. O si bene colitis,
Nitorem et odorem
Dabunt, inde tollitis
Fructum, non dolorem
Et alios allicitis
Ad Dei amorem,
Fructum vitae facitis
Nulli ad pudorem.

3. Horti huius ostium
Timor sit divinus,
Ad quod nullus hostium
Venit, nocet minus,
Omnis vel adversitas
Sed neque intrabit
Ad furandas herbulas,
Sed foris semper stabit.

4. Delectabit plurimum
Inde transeuntes
Dulcedineque animum
Erunt perfundentes
Herbae late maxime
Optime olentes,
Pro utroque homine
Erunt haec valentes.

5. Fundamentum hortuli
Cum humilitate
Stercora ut anguli
Satis delicate
Maneant, suaviter
Intus incrementum
Iesus det, perenniter
Tandem complementum.

6. Et tu sollicitius
Planta duas herbas,
Invigila instantius
Eisdem, ne has perdas,
Si crescunt, simul habitant
Simul vel marcescunt,
Augmentantur, radicant
Sive aut decrescunt.

7. Si bene custodieris,
Totum hortum implent,
Si colere desieris,
Urticae tunc subintrent;
Quapropter semen omnium
Herbarum sunt revera
Seu virtutum omnium
Doctrina ex sincera.

8. Et haec sunt Dei caritas
Et proximi non ficta,
Quae si crescunt, deitas,
Trinitas invicta,
Spatiatur iugiter
Intus, delectatur
In hoc horto dulciter,
His herbis oblectatur.

9. Cum herbam patientiam
Portaveris in manu,
Hostes in caecutiam
Vertis tuos, sinu
Requiescit grandium
Cibus sapientum,
Est haec herba fortium
Perseveramentum.

10. Herba, quae iustitia
Dicitur, locanda
Non longe, sed spatia
Sunt interponenda.
Est misericordia
Discretioque mater
Virtutum, est optima
Et servanda semper.

11. Haec namque discretio
Valet plus quam aurum,
Si eius plantatio
Deest, nil aut parum
Cetera sunt omnia,
Nam temperamentum
Est herbarum, semina
Ducit in augmentum.

12. Cum hac liberalius
Optime stat semper
Mentis sive mititas,
Cole has diligenter
Cum benevolentia,
Quae viret omni hora,
Hanc cum diligentia
Planta sine mora.

13. Est rara herba plurimum,
Nobilis sed multum,
Stupor quasi hominum,
Si vis, crescit per cultum,
Huius horti raritas
Minime te gravet,
Et est exemplaritas,
Scandalum quae cavet.

14. Redolet peroptime,
Sed non omni horto
Crescit, o carissime,
Quaere hanc in ortu
Cuiuscumque operis
Intentione bona,
Si debite locaveris,
Accrescunt tibi dona.

15. Adhuc herba rarior,
Igni similata,
Pretiosa, carior,
Obtinens optata,
Fervens est oratio,
Caelum quae intrare
Solet fumigatio,
Ut aquila volare.

16. Sit humilis cum moribus
Optimis et bonis,
Actibus parilibus,
Respondeant ut donis
Dei, sed omittere
Non debes causa huius
Alia, quae facere
Teneris et, quod maius.

17. Cum cantico et cithara
Concordent vox et verba
Et alia praeterea
Virtus sive herba,
Quae in bonum vertere
Debet, quidquid currit,
Eventum, te conectere
Et sic se comburit.

18. Herbam quoque aliam
Audivi praecellentem,
Quae non laedit aliam
Nec dentem rodentem
Habet, sed nec alias
Admittit fraudulenter,
Se inspicit et alias
Curat evidenter.

19. Alias evellere
Cura malas herbas,
Stude sed inserere,
Ut tempus non perdas,
Bonas herbas iugiter,
Ut pacem acquiras,
Gaudium perenniter
Spiritale bibas.

20. Tunc Iesus bene aderit
Et hortum rigabit,
Odorque diffunditur,
Multum fructum dabit
Atque bonum animum,
Iucundum sine mora
Praemiumque maximum,
Cum transit mortis hora.

21. Ex quo viridescere
Istae herbae debent,
Florere sed et crescere,
Malae, ne has laedant,
Evellantur penitus
Radicitus a fundo,
Abiciantur longius
Cordis de profundo.

22. Maledicta nimium
Herba venenosa,
Insidiatrix hominum,
Tota maculosa,
Cuius semen mittitur
Inferni de profundo,
Mentis tumor dicitur,
Non peior est in mundo.

23. Hoc semen mittit Lucifer,
Dives inde, pauper
Sumit gratis, nequiter
Malum hinc inde semper,
Oritur saepissime
Messis atque pastus
Herbae amarissimae
Ac elatus fastus.

24. Scindunt vestes turpiter
Cum elata mente,
Donis Dei nequiter
Utuntur dura fronte,
Quod portant oves iugiter
Cum humilitate,
Hoc gestant hi inaniter
Pompose et elate.

25. Hinc venit praeda, rabies,
Furtum et usura,
Furor, dolus, sanies,
Pauperum pressura,
Occidunt, adulterium
Committunt multi inde:
O Deus, da remedium,
Ne pereamus inde.

26. Vindicta iusta graviter
Videtur imminere,
Apparuit atrociter,
In promptu est videre,
Quid proelia, quid rabies,
Quid fames, quid ruinae
Quidve mortis sanies,
Quid fecerint et minae.

27. Tempestates etiam
Aliaque signa
Hominum malitia
Feriunt ut digna;
Propterea, carissimi,
Non segniter nec lente,
Surgamus velocissimi
Et vigilemus mente.

28. Si studiosissime
Malas eradamus
Herbas, tunc saepissime,
Ut est et speramus,
Iesum horto capimus,
Hinc inde spatiatur,
Eique sumus thalamus,
Audimus, quid loquatur.

:9. Maria cum sodalibus,
Cum angelis, cum sanctis
Veniet cum talibus,
Permaximis cum tantis,
Ad culturam singuli
Venient cum decore,
Iesus atque angeli
Pascuntur ex odore.

O. Qui studiosus fuerit
Horti in cultura
Hac atque studuerit
Servire mente pura
Deo, et hunc hortulum
Ipse praeparabit,
Non fructum aut parvulum,
Sed se ipsum dabit.

31. Ibi „Sanctus Dominus“
Clare omnes cantant,
Laudant mihilominus,
Non herbas ultra plantant,
Sed omnia in omnibus
Est eis Deus vivus,
Prae cunctis qui gratissimus,
Sufficiens et divus.

32. Qui suam det hic gratiam
Ad hortuli culturam,
Huius et propitiam
Mariam ponas puram,
Sanctorum adiutorium
Det et sanctum flamen
Et nunc et in perpetuum
Saeculorum. Amen.

Collect. ms. Seitzense saec. 15. Cod. Roman. 602. (Varia 4). — 3, 7 rendas. — 9, 7 haec fehlt. — 15, 4 Auro optinens. — 21, 4 laedent. — , 6 sed leute. — 30, 2 Hortus. — 30, 3 Hac et. — 32, 5 Sanctos.

295. Iubilus gaudentis sed corde maerentis.

1. Intima laetitia,
Cordis hilaritate,
Absque omni maestitia,
Mera iucunditate
Dei lauda iudicia,
Quae ni ex veritate
Emergunt, ac supplicia
Divina voluntate.

2. Homo videns exterius
Perversa machinatur,
Deus cor interius
Atque renes scrutatur,
Nil obest, si uberius
Hic quisquam praegravatur,
Si spiritus sincerius
A Deo consolatur.

3. Eia, o pauperrime,
Nequaquam verearis,
Tametsi nunc miserrime
Amare confundaris,
A Christo sic uberrime
Probaris, adamaris,
Purgatusque celerrime
Coronam assequaris.

4. Rex regum altissimus,
Hanc viam est ingressus,
Sicque innocentissimus
Tam dira est perpessus
Pro te, qui es turpissimus
Peccatisque oppressus,
Sic panditur laetissimus
Aeternorum accessus.

5. Optabilis tristitia,
Quae fert iucunditatem,
Ast gaudii initia
Praebens felicitatem,
Perfecta haec laetitia
Probabit caritatem,
Nam Dei sic iustitia
Nutrit humilitatem.

6. Nil reor sic utilius
Pro Deo tribulari
Patique virilius,
Perversus reputari,
Sic Christus, Dei filius,
Hic maluit temptari
Ac prae cunctis vilius
Quam latro conculcari.

7. Involutus vitiis
Hic non ab re probatur,
Variis maestitiis
Continue purgatur,
Mentis exercitiis
Exhinc illuminatur,
Caelestibus divitiis
Summe remuneratur.

8. Mihi hinc absit, Domine,
Nunc usque gloriari,
Nisi in tuo nomine
Et cruce onerari.
Ob id a quovis homine
Hanc vereor turbari,
Ut aevo sancto lumine
Merear inflammari.

9. Velle placidissimo
Me offero, resigno
Tibi Deo altissimo
In crucis tuae signo,
Ab hoste pellacissimo
Et homine maligno
Oppresso, turbatissimo
Succurre, heu, indigno.

10. Suscipe, piissime,
Hoc cordis iubilamen,
Iesu benignissime,
Confer opitulamen
Creaturae vilissimae,
Ausculta agravamen,
Ne pereat, dulcissime,
Mors tua in me. Amen.

Collect. ms. Seitzense saec. 15. Cod. Roman. 602 (Varia 4). — 2, - si liberius. — 6, 6 Hinc maluit. — 8, 6 Hanc vereor. — Als Autor bezeichnet das Akrostichon einen Iheronimus, die Hs. als Singweise für da Lied: Patris sapientia.

296. Alphabetum Morale.

R⁰ Adiuva nos, Deus meus,
In te posui cor meum.

1. Amat puer castitatem,
Mundus erit de peccato.
Tertium diem surrexisti,
Sedens ad dexteram, Christe.

2. Bonum virum et prudentem,
Quem Maria portavit
In ventrem, adoremus,
Regem magnum filium.

3. Caecos tu inluminasti,
Paralyticos curasti,
Lazarum quatriduanum
De monumento suscitasti.

4. Deus, qui sedes sub septimum thronum,
Et iudicas, quod est bonum,
Libera animas nostras
De manibus inimicorum.

5. Ecce, flumen de Iordane
Quem traxit sanctus Iohannes,
Ipse fontes non siccavit,
Ubi Christum baptizavit.

6. Fecit caelum, fecit terram,
Fecit quatuor evangelia
Et in medio paradiso
Fecit Adam et fecit Eva.

7. Galilaea quando venit,
Mirabilia multa fecit,
De quinque panes et duos pisces
Satiavit multas gentes.

8. Hait Deus, ait: terra
Iam resurgunt omnes herbas;
Et de germen, de frumento
Satiavit multas gentes.

9. Israel permeat mare,
Moyses percussit virga,
Et ante ipsum factum est diluvium
Et post ipsum factum est bonum.

). Lumen hominum fecisti,
Benedictus es tu, Christe,
Et dum in caelis habitasti,
Semper cum patre regnasti.

. Mulier sanguinem fluxa
Ambulabat inter turbas,
Tetigit fimbriam vestimenti eius,
Salva facta est in hora.

12. Noe fuit homo iustus,
Qui nutrivit filios pulchros,
Et ante ipsum factum est diluvium,
Et post ipsum factum est bonum.

13. O infelices vos Iudaei,
Qui negastis nomen Dei!
Quando eritis ante eum,
Iudicare habet vos sicut reos.

14. Petrus super mare ambulabat,
Dominus ad litus stabat,
Exclamavit voce magna:
Ad me veni super aquas.

Martyrol. ms. Modoitiense[?] saec. 9 ex. Cod. Capit. Veronen. XC (85). — ›, 2 posuit; der Rundreim wiederholt sich nach allen Strophen. — 1, 4 ristі. — 2, 4; es folgt noch die überzählige Zeile: Deum omnipotentem. — 1 septimo tronum. — 5, 2 Quem transivit sanctus. — 5, 3 Ipsam fontes. — 4 Dittographie von 7, 4? — 9, 1 Israel per media mare. — 9, 3 sq. ttographie von 12, 3 sq.? — 10, 4 cum patribus. — 14, 4 das Weitere ılt. weil das folgende Blatt ausgeschnitten ist. — Dafs dies Gedicht in den etae sevi Carolini übergangen wurde, ist auffällig.

297. Adhortatio ad recte vivendum.

1. Veris flos,
Herba, ros,
Nemus, glos,
Folia
Plurimos
Inter nos
Movent lascivia,
Inanes per inania.

a. Uxor, bos,
Mundi dos,
Mollit os
Varia,
Teneros
Animos
Fluidos
Pluvia
Facit mollitque mollia.

2 b. Laudo vos,
Quorum os
Ad caelos
Patria,
Sed non hos,
Ducit quos
Pravus mos,
In via
Vincens per transitoria.

3 a. Mens corruit,
Dum diffluit,
Se vanam vanis inficit
Et deficit,
Quae respicit,
Ad ima mortem reperit
Et morsa morte deperit.

3 b. Se reficit
Et erigit,
Qui munda mundus eligit,
Qui prospicit,
Intellegit,
Immunda mundi despicit
Et vita vitam contigit.

3 c. Quid proficit,
Qui polluit
Se, vita vitam deserit
Et esurit
Nec saturit,
Qui mundi cuncta colligit,
Si non datorem diligit?

4 a. Ergo respice
Te nec infice
Pice,
Despice
Te teneri rustice.

4 b. Gratis inspice,
Quod mirifice
Spicae
Lyricae
Stirpis est Davidicae.

5 a. Patre numine,
Matre virgine
Deus homo [fit repente],
Sine semine
Fit pro homine
Noster et salus in gente.

5 b. Suo sanguine
Nos a crimine
Mundavit munda mente
Christus, sequere
Ipsum opere
Cum verbo confitente.

6 a. Ne sis vanum
Vas, in vanum,
Fatue, laborans,
Adde manum,
Opus sanum
Sedulo perorans.

6 b. O quam stultum
Nec inultum,
Si scis et non faris!
Mentis vultum
Das incultum,
Si non operaris.

7 a. Spinae crescunt
Nec decrescunt
Mentibus avaris,
Ni de micis
Des amicis,
Inimicis daris.

7 b. Da, da, ni des
Nonne vides,
Si iam moriaris,
Perdes ea,
Quibus rea
Sorte dominaris.

8. Quid tumes, vas fragile,
Quid tam impleris?
Quo te fers, perlabile,
Quid tanto quaeris?
Signum hoc non stabile,
Iam non hic eris.

9a. Qui colis mundum,
Scias immundum,
Extollitur,
Vergitur,
Mergitur,
Nescit, quod intendit
Vel quod apprehendit.

9b. Mel sed fellitum
Nec impunitum
Qui suxerit,
Deserit,
Deterit
Mentem et suspendit
Nec videt, quo tendit.

9c. Quid te suspendas?
Vide, quo tendas,
Ad horrida
Lurida
Tartara
Iam miser descendit,
Qui Deum offendit.

10a. O iam, misera,
Iam considera,
Quod ad infera
Properas,
Nisi vas
Tuum abluas
Potius te munda

10b. Surge, propera
Mente libera,
Matris ubera
Repetas
Et vivas,
Si paeniteas,
Omnia sunt munda.

10c. Iam fructifera
Florent opera,
Si cum opera
Seminas
Semina,
Purgat sordida
Spiritus et unda.

11a. Terra flores
Et odores
Profert dono roris;
Iustus plora,
Cor irrora
Fonte salvatoris,

11b. Ne seductum
Perdat fructum
Mens intenta foris;
Insta, certa,
Dum incerta
Mors insultat poris.

12a. Nec est hora,
Quae sit mora,
Quam tibi proponas?
Si non modo,
Cras quomodo
Melius disponas
Annonas?

12b. Sursum te fer,
Mentem praefer,
Ad hoc cor apponas,
Sic et ibi
Caelo tibi
Merito reponas
Coronas.

13. Mundus iste
Transit, Christe,
Manes, cuncta donas,
Miserere
Tu, qui vere
Iudicas personas
Pravas, bonas;
Tecum ponas

14. Nos in regno gloriae,
Qua regnas regie
In aeterna requie,
Ubi nil miseriae.

15. Omnis exspirat dolor
Et onus malorum,
Memorato, quis honor
Sit regnum caelorum.

16. O Maria, virginum
Virgo, flos et florum,
Placa nobis Dominum
Memor miserorum,
Ut vivamus omnium
Cum coetu sanctorum.

17. Hoc praesta,
Deus da,
Rex trinus et unus,
Ut nostra
Sic terra
Ferat, ut sit tuus
Noster fructus
Et congruus
Sit terminus.

Collect. ms. Vedastinum saec. 13. Cod. Cadomen. 14. (IV° 18). — 3b, 1 Si. — 4b, 1 Gratuite respice. — 5a, 3 Deus homo steht hinter 5a, 5. — 5b, 4 Christum. — 7b, 2 Non evides. — 10a, 5 Ni vas. — In Chevaliers Repertorium als Marienlied aufgeführt. Von demselben Verfasser weiter oben das Lied: Area rosea vinea. Vgl. das dort Bemerkte.

298. Oratio ad Cenam.

Mellifluus Iesus sit nobis potus et esus.
Escas praesentes benedic, Deus, et comedentes.
Potum servorum benedic, Deus alme, tuorum.
Per Iesum Christum cibum benedicimus istum,
Et reliquum munus benedicat trinus et unus.

Post cenam.

Gratias ex esu referamus Christo Iesu,
Sit semper Dominus cum matre sua benedictus.
Laus Deo, pax vivis requies aeterna defunctis.

Collect. ms. Romanum [?] saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 254.

299. De Ecclesia.

Alleluia iterum modulis tollatur in altum,
Vociferando domum tangat concordia vocum,
Impleat et tectum mirabilis ordo tonorum,
Absida non taceat, nec porticus inde silescat,
Tinniat et culmen, resonet calcabile limen,
Introitum dantes recinant nova carmina postes
Perque iter ad patriam doceant repedare priorem.
Vox liniat tegulas, pavimentum succinat odas,
Tigna modos nectant, laquearia picta revolvant;
Fundamenta, columnae, arcus, pariesque politus
Tinnitu reboent, dum cleri carmina cantent.
Aedibus his patulae iungantur in arce fenestrae,
Quas decorat vitrum calamo cingente ligatum,
Lumen et immittat, ventorum flamina pellat.
Possit et incensus flammas dispendere lychnus,
Candelae et rutilent, quae curvis arcubus instant,
Gaudeat omnigenis domus haec ornata coronis.
Gratus honor templi renovetur ab ordine cleri.
Hanc intrando domum persolvat episcopus hymnum,
Luminibus claram procedat praesul ad aram,
Carminibus plenam festinet clerus in aulam,
Dulcisono mirum repleatur carmine templum,
Adpropiet populus cleri sermone docendus,
Agmina concurrant crepitantia laude sonora,
Desuper immissus sit in omnibus omnia Christus.

Collect. ms. Tegurinum saec. 10. Clm. Monacen. 18628.

300. De Sacerdotibus.

1. O quam sacerdotium
regale et perfectum,
O quam venerabile
genus est electum!
Stola legis gratiae
decus reis rectum,
Vivis e lapidibus
nobis est detectum.

2. Sacerdotes gloria
tanta venerantur,
Dignitatis gratia
angelis aequantur,
Excellentes angelos
Deo famulantur,
Angelizant saepius,
Caelo coronantur.

3. Corpus, sanguis Domini
per hos consecratur,
Regibus et ducibus
istud denegatur,
Sacra pistis ducibus
non haec condonatur,
Per signa, verba mystica
forma figuratur.

4. O gens sancta, mira quanta
Deus operatur,
Iam per signa, verba digna
Panis incarnatur,
Et ex aqua fonte lata
Sanguis procreatur.

5. Hic est Iesus, virgis caesus,
Dulcis esus; cum sit esus,
Non est laesus,
Manet tamen integramen
Pneuma flamen et spiramen.

6. Veri Dei, nostrae spei,
In aeternum, in supernum,
Qui infernum
Regit, fregit et subegit
Maiestate, potestate,
Adorate, regum natae.

7. Qui formavit
Et plasmavit.
Animavit,
Spiritum vitae
Dum inflavit
Et cibavit,
Pavit et beavit,
Quos sudore
Et cruore
Lavit, expiavit
Nostram vitam
Redimitam
Nostrum omen,
Vestrum nomen
Hinc laudetur,
Veneretur
Benedicetur,
Invocetur
Ut salvare,
Non damnare,
Vos beare
Condignetur.
Vobis detur
Sacrum flamen
Et iuvamen
In perenni gloria.

8. Ens, usia
Et sophia,
Voce tria
Una persistentia
Ecce fides,
Non relides
Neque strides,
Quia fides,
In usia
Ista tria
Unum permanentia.

9. Sacerdotes,
Mundi cotes,
Caeli dotes
Et nepotes
Estis vere
Et sincere;
Vos avete
Et florete,
Cum quiete
Regnum vitae possidete,
Hierarchiam obtinete,
Una mecum congaudete
Solium supernum
Et aeternum
Ovanter,
Laetanter,
Glorianter
Vobis cedat cum omnibus
Sanctis triumphanter.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 2, 1 Sacerdotes inquam gloria. — 3, 1 Quia corpus, sanguis Domini. — 3, 2 consecrantur. — 3, 4 ista denegantur. — 3, 6 hoc. — 3, 8 figurantur. —

Dann folgen vier Zeilen, die augenscheinlich nur eine andere Redaktion von Str. 3 sind:

Panis, vinum et aqua
in corpus transmutantur,
Sanguis, homo adicitur,
haec c'ca Dei dantur.

5, 5 pneuman. — 7, 6 Et fehlt. — 7, 8 Suo sudore. — 8, 1 Ens Isaia. — 8, 9 In unia. — 9, 7 Vos fehlt. — 9, 15 ff. Ovantur, laetantur, gloriantur, triumphantur.

301. De Dignitate Sacerdotum.

Sacerdotes, nunc audite
Dignitatem vestrae vitae,
Qualis sit vel quanta,
Non est data tanta
Angelis in
caelis et in terris.
Sacerdotum sacrae palmae
Parant natum matris almae
Incarnare velut mater,
Quem ante tempus pater
Gignebat laudabiliter,
Licet ineffabiliter.
Hoc sancta sanctorum
Et decus angelorum
Facere non potuit,
Quia Deus voluit
Omne sacrum
esse sacerdotum.
Dicitur sacerdos
quasi sacer dans,
Dans sacrum sacris palmis.
Dignitatis est indicium
Sacerdotum,
si suum officium
Peregerit digne,
Tunc a poenarum igne
Ad minus ducit
unam animam,
Quae post hoc lucet
in honore
Cum suo creatore.
Dicitur ergo sacerdos
quasi sacer dux,
Ducens de poenis ad gaudium.
Quid plus operatur,
Missa dum celebratur?
Ad minus convertit
unum peccatorem
Ad amorem
Sui salvatoris
In his sacris horis.
Sacerdotes, cur scitote
Nihil maius sacerdote.
Vos sacravit sacra dote
Christus, illud mementote.
Sacra dote vos dotavit,
Petro ter dum clamavit:
Pasce oves meas
Animasque solve reas.
Quidquid solvis, est solutum,
Per te datur iter tutum.
Quidquid ligas est ligatum.
O quam felix hoc mandatum!
Hic est filius ancillae,
Sarae reges proles,
Surgunt ex hac prole
Multum nitidiores sole,
Pulchriores stellis,
Quorum lingua favus mellis,
Quorum verba sunt polita,
Sacris scripturis redimita.
Dicuntur ergo sacerdotes
Sacri dantes sacras dotes.
Digne ferunt hoc in mundo
Hi, qui vivunt corde mundo,
Regnant super omnes reges,
Supra iura, supra leges,
Et hoc fit de vero iure,
Quia soli debent pure
Virginis natum tractare;
Non quaeratur unde, quare.
Sic sacerdos honoretur,

Cui maior laus debetur,
Licet ipse sit indignus;
Tamen clemens et benignus
Deus ita ordinavit,
Qui nos sua carne pavit.

Collect. ms. S. Mariae Magdalenae in Maiori Frankental saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 362. — 63 Sacros dantes sacra dote.

302. Contra Insidias Diaboli.

1. Temptator pravus et dolosus
Mihi adfuit et clamosus,
In me irruit ut famosus,
Prout apparet tenebrosus.

2. Venit iste serpens fortis
Suis quoque cum amicis
Robur meum tollens dolis,
Ut me torqueat in tormentis.

3. Iste est draco ille magnus,
Serpens ruffus et antiquus,
Qui Satan et inimicus
Est vocatus et malignus.

4. Septem habet ergo capita,
Secum portans decem cornua,
Ut me perdat in versutia,
Minus potens quam favilla.

5. Nimis cautus ille leo,
Ortus iam in paradiso,
Mortem induxit illo pomo
Cooperante suo veneno.

6. Nihil aliud iste amat,
Nisi ut animam sibi tollat,
Se fecisse nihil putat,
Si quod corpus non occidat.

7. Tristatur et ipse, ut decipiat,
Gaudere se fingit, ut illudat,
Apparet agnus, ut me comprimat,
Lupum se facit, ut seducat.

8. Tu ergo, Iesu Christe,
Mihi quoque miserere,
Sicut fecisti Magdalenae
Te rigando valde pie.

9. Heu, heu mihi, Domine,
Vaeque animae meae,
Recessisti, consolator vitae meae,
Nec dixisti mihi vale.

10. Defeci ego et cor meum,
Deus, pars mea in aeternum,
Quaesivi ego vultum tuum,
Tu ergo mihi offer manum.

11. Auxilium meum a te requiram,
Ut a me Satan repellam,
Tui tu mihi da memoriam,
Qua proeliari bene valeam.

12. O virgo munda, venerabilis,
Maria, mater humani generis,
Te precor, o admirabilis,
Ne mei unquam obliviscaris.

13. Nam angustiis saepe premor,
Multis malisque coartor,
Die ac noctu ego peccator
Tui filii sum offensor.

14. Dulcis mater, placa filium,
Cuius uteri subiit claustrum,
Ne me abhorreat suum servum,
Sed suscipiat in aeternum.

15. O benedicta semper virgo,
Roga genitum, ut a saeclo
Me recipiat sitque cito
In aeterno ponens caelo.

16. O clemens pastor, sancte Petre,
Caelorum regna claudens clave,
A daemone isto me defende,
Qui infert iacula menti meae.

17. Tu etiam, Paule, pro me ora
Deum, qui semper sine mora
Preces capit sine ira,
Quia te rogat sua creatura.

18. Etiam rogo te Iohannem,
Iesu Christi amatorem,
Ne me respuas peccatorem
Meis delictis semimortuum.

19. Iesum vere baptizasti,
Nondum natus prophetasti,
In virtute praecessisti
Eumque ore praedicasti.

20. Apostoli omnes salvatoris,
Iesu Christi, vestri amoris,
Dei iam preces peccatoris
Conspectui offerte plasmatoris.

21. Omnes quoque anici Dei,
Pro me rogare Deum dignamini,
Gratia illa, qua salvamini
In paradisoque locamini.

Serm. S. Bernhardi saec. 15. Cod. Rossian. X, 8 add. saec. 15.

303. De Septem Vitiis Capitalibus.

1. Multam labem peccatorum
Ex contactu mundanorum
Mundani contraximus,
Blandiendo quos seduxit
Et in culpam nos adduxit
Mundus, hostis pessimus.

2. Cuius in se flos defloret,
Sed in nobis adhuc floret,
Cuius flos ariditas.
Quae pax mundi nisi fluctus
Vel quis risus nisi luctus,
Cuius fructus vanitas?

3. Quid est mundi, quod sit tutum,
Vel quae gemma nisi lutum
Vel quid eius stabile?
Si quid dulce, durat parum,
Vel si durat, est amarum,
Quia totum labile.

4. Cuius honor est in casu,
Cuius bonum in occasu,
Voluntas in taedio,
Cuius amor est catena,
Vita labor, quies poena,
Ludus est illusio.

5. Hunc deludit, cum quo ludit,
Et quem ungit, illum pungit
Adulando verberans,
Novercatur, cum arridet,
Et blanditur, cum deridet,
Blandiendo vulnerans.

6. Multi tamen hunc adorant,
Quamvis istud, quod implorant,
Raro possunt assequi,
Nam labuntur cum labente
Et cadentes cum cadente
Nihil valent consequi.

7. Quorum quidam nummum colunt
Et eidem dare volunt
Cultum Deo proprium,
Venerantur vanitatem
Et divinam veritatem
Vertunt in mendacium.

8. Iam qui nummum venerantur,
Hunc adorant, hunc precantur,
Illi cultus solvitur;
Quorum Deus est in arca,
Non in Marco, sed in marca
Horum Deus legitur.

9. Non in libro per scripturam,
Sed in libra per usuram
Tormentari cupiunt,
Dum plus habent, plus affectant,
Dum plus tenent, plus exspectant,
Dum potant, plus sitiunt.

10. Ventrem cogunt ieiunare
Et crumenam separare
Non valent pecunia,
Contra bursam conqueruntur,
Os et venter dum coguntur
Servare ieiunia.

11. Inter nostros quidam tales,
Quos nummorum speciales
Cultores cognovimus,
Quos, ut bursam satiarent
Et crumenae cibum darent,
Ieiunare vidimus.

12. Vinum servant, bibunt villum
Et manducant panem illum,
Qui damnatur furfure,
Qui potantes servos notant,
Nam si plus quam semel potant,
Non est sine murmure.

13. Hi non cenant, vel si, rarum,
Hi non bibunt, vel si, parum,
Dicunt esse physicum;
Hoc ignoro, utrum ventrem,
Sed hoc scio, quod non mentem
Curat istud modicum.

14. Vestes habent vetustate
Iam consumptas, non aetate
Iuniores Nestore,
Aevum quorum homo nescit
Nisi Noe, qui has gessit
Et in illo tempore.

15. Immo pilis iam privantur
Ut clamare videantur:
Nolite me tangere;
Quarum partes iam dissutae
Pilis carent, immo cute,
Carent omni foedere.

16. Quorum tamen usus rarus,
Nisi quando dies clarus
Vel festus institerit;

9. Istas vestes, si tu notes,
V..ligenter scire potes,
Rec..trum festum fuerit.
Nec ..

Di
U

17. Sunt qui nummum non attendunt
Sed cum Iuda Christum vendunt,
Emunt spiritalia,
Nummos quaerunt, nummos amant
Et in missa nummos clamant,
Non Christi magnalia.

18. Quorum missa quaestuosa,
Nummum venans monstruosa,
Trina gerens capita,
Missam quaerunt, ut venentur,
Non ut Christum venerentur
Vel ut solvant debita.

19. Profitentur quidem leges,
Legis tamen sunt exleges,
Dum vendunt scientiam,
Donum Dei spiritale,
Quod exponunt ut venale
Venando pecuniam.

20. Isti vendunt veritatem
Et defendunt falsitatem
Amore pecuniae,
Apud istos nil perorat
Nisi nummus, quem adorat
Servus avaritiae.

21. Quidam morbos arte curant,
Dum curare sese curant
A morbo penuriae,
Quos paupertas non excusat,
Amor nummi quos accusat
Et sitis pecuniae.

22. Saepe curant paupertatem,
Sed infirmo sanitatem
Raro valent reddere,
Ventrem movent, os ut vomat,
Et ut nummos bursa promat,
Bursam cogunt promere.

23. Medicinam dum componunt
Et aegrotis hanc proponunt,
Gravis propositio,
Sed cum morbus invalescit,
Quem curare curans nescit,
Gravior assumptio;
Si mors nummo subinfertur,
Vita cedit et infertur
Pessima conclusio.

24. Quae sit fides medicorum,
Immo quae fraus mendicorum,
Ipsa clamant marmora,
Quorum opus contemplari,
Quod non decet, et scutari
Urinas et stercora.

5. Quidam facto diffitentur
Verbum Dei, quod fatentur
Verbo, sed non opere;
Quid de Christo loqui volunt,
Sed praecepta ipsi nolunt
Actibus exponere.

6. Actu negant, quod loquuntur,
Non de facto prosequuntur,
Quia mercenarii;
His, quae dicunt, contradicunt,
Qui vocales non reales
Dicuntur theologi,
Nec sic tamen nuncupari
Recte possunt, sed vocari
Potius multiloqui.

7. Laudatores sunt virtutum,
Ab his tamen nihil tutum,
Quia temptant omnia;
Temptant tamen non temptanda
Et, quae dictu sunt nefanda,
Omnibus sunt omnia.

8. Sunt, qui student in figmentis
Poetarum, statum mentis
Exuentes perperam,
In poetis, non prophetis
Hi scelesti, non caelesti
Doctrinae dant operam.

29. Imis mentis vim inclinant,
Musa, Musae qui declinant
Et scamnum cottidie,
Magis credunt Iuvenali
Quam doctrinae prophetali
Vel Christi scientiae.

30. Deum dicunt esse Bacchum,
Et pro Marco legunt Flaccum,
Pro Paulo Virgilium
Et Lucanum pro Matthaeo,
Et pro Iuda Maccabaeo
Commendant Ascanium.

31. Sunt, qui colunt nisi cantum
Et in cantu student tantum
Vocumque concordia,
Sic observant vocis sonum,
Quod nullarum dictionum
Servant accidentia.

32. Sunt concordes in concentu,
Sed discordes in accentu,
Barbarismum faciunt;
Curant voces, ut concordent,
Ipsi tamen, ut discordent,
Dictiones nesciunt.

33. Sunt, qui curam ventri dantes
Nimis petunt naufragantes
In potus diluvio,
Qui plus legunt in salmone
Quam in ipso Salomone,
Lege vel psalterio.

34. Tantum venter honoratur,
Quod frequenter conqueratur
De ciborum copia,
Multo magis esurire
Ipse vellem, quam sentire
Tot escarum proelia.

35. Intus tibi movent bella,
Quibus motis fit procella
Tonitrusque nascitur,
Dumque certant, quis exibit
Horum prior vel praeibit,
Spiritus egreditur.

36. Sunt qui iura castitati
Sua negant, voluptati
Subditi venereae,
Sub Dione toti fluunt
Et, quo caro ducit, ruunt,
Pereunt spontanea.

37. Passim ruunt more ferae
Nec in ullo statu fere
Distant a pecoribus,
Vivunt namque more suis
Vel iumenti, qui in suis
Putrescit stercoribus.

38. Toti fluunt sine mora,
Tutent, putent in foetore,
Toti sunt in macula,
Qui, dum bene grammatizant,
In natura barbarizant
Errantes a regula.

39. Vidi quosdam, immo multos
Nimis senes et sepultos,
Sepultos desidiae,
Qui deiecta mente iacent,
Quibus tantum somni placent
Torporis, acidiae.

40. Qui, dum vivunt, moriuntur,
Vix, ut vivant, patiuntur
Deiecti per otium;
Quos torporis funus capit,
Quorum vita noctem sapit,
Quorum esse taedium.

41. Sunt, in quibus ira fremit,
Mentem premit, vires demit
Rationis usibus;
Nam dum mentem premit ira,
Mens per iram fit delira
Suis carens visibus.

42. Haec est carens rationis
Et internae notionis
Pessima proscriptio.
Apud quosdam hospitatur
Livor edax, quibus datur
Prava retributio,
Nam in illos prima furit,
Illos damnat, illos urit
Livoris iudicio.

43. Qui laetanter plaudunt, rident,
Proximorum si quem vident
Sub fortuna gemere,
E converso tristes fiunt,
Gement, lugent . . .
. . . .

44. Sed quid dicam de superbis,
Qui sub gestu, facto, verbis
In arte desipiunt,
Nec se credunt, qui sunt, esse
Nec sunt secum nec penes se,
Sed supra se sapiunt;

45. Inter multos partiales,
In communi speciales,
Communes in specie,
Quorum verba sunt exceptae
Rationis vel ineptae
Actionis propriae.

46. His abundans, his iucundan
Nos immundus facit mundu
Et immundos vivere,
Cuius flores, immo foenum,
Cuius gemma, immo scaenum,
Laboramus metere.

47. Sed notati culpae nota,
Nos devote nostra vota
Praesentemus virgini,
Per quam mundo vita redit,
Regnat virtus, culpa cedit,
Salus datur homini,

48. Ut ab ista labe mundi,
Qua tenemur, simus mundi
Per eius suffragia,
Ut post huius vitae cursum
Nos ab imo ducat sursum
Ad caeli palatia.

Collect. ms. Dr. Hartmanni Schedel Nurenbergen. saec. 15. Clm. Mo-
acen. 416. — 7, 6 madacium. — 8, 1 Iam quod. — 10, 3 Non fehlt. —
2, 3 damnat. — 15, 5 Pilis cogent. — 19, 6 Venandi. — 22, 4 monentos
; fomat. — 29, 1 vim clamant. — 30, 5 Et pro Iuda pro. — 31, 1 volunt. —
5, 4 Dum quem. — 36, 1 vera castitati. — 36, 3 venere. — 37, 1 Passum. —
7, 5 in fehlt. — 41, 4 Haecam dum. — 43, 1 plaudent. — 44, 3 despi-
unt. — 48, 1 Verba ista labe.

04. Oratio devota ad sanctam trinitatem et beatam Mariam virginem pro peccatorum venia et gratia impetranda.

1. Pater [sancte], a quo mundus
   lege firma regitur,
   A quo certa ratione
   benigne disponitur,
   Parce plebi, quae a Christo
   christiana dicitur.

2. Adonai, ab inferni
   defende periculo,
   Quos dilecti sacravisti
   filii vocabulo,
   Quos eiusdem redemisti
   salubri patibulo.

3. Fili Dei, Iesu Christe,
   dominator, Domine,
   Qui pro mundi medicina
   natus es ex virgine,
   Placa patri nos, quos tuo
   redemisti sanguine.

4. Athanatos mediator
   Dei atque hominum,
   Firma pactum pacis huius
   inter nos et Dominum,
   Ne privemur regno Dei
   pro commisso criminum.

5. Qui procedis ab utroque,
   paraclete spiritus,
   Cuius ignis inflammavit
   fideles divinitus,
   Hoc eodem nostras sordes
   igne crema penitus.

6. Hoc eodem nostrae mentis
   oculos illumina,
   Hoc eodem sensus nostros
   scabrosos examina,
   Hoc eodem universa
   nostra dele crimina.

7. Trinus Deus in personis,
   unus in substantia,
   Culpas nostras et reatus
   plena dele venia
   Et sic mundos a peccatis
   reduc ad caelestia.

8. Ave, virgo, Dei mater,
   vera spes fidelium,
   Porta caeli, stella maris,
   recti cursus bravium,
   Summa legis, forma pacis,
   salutis exordium.

9. Ave, virgo, ave, feta,
   ave, plena gratia,
   Ave, sponsa, ave, mater,
   ave, Dei filia!
   Quam diversa facis unum,
   [o] omnipotentia!

10. Fons signatus, sacramenti
    summi receptaculum,
    Scala Iacob, domus David,
    Salomonis ferculum,
    A leonis ore salva
    christianum populum.

11. Theotocos, virga Iesse,
oliva fructifera,
Templum Dei, arca Noe,
columba pacifera,
Ab inferni nos charybdi
in aeternum libera.

12. Turris, a qua pendet omnis
armatura fortium,
Rosa florens, sacra vitis,
lilium convallium,
Medicina peccatorum,
virtutis donarium.

13. Uva dulcis, flos suavis,
nardus odorifera,
Virgo semper gloriosa,
sublimis puerpera,
Praebe nobis abortivis
pietatis viscera.

14. Orientis porta clausa,
quam vidit Ezechiel,
Mensa regis, ad quam dapes
tulit ipse Gabriel,
Quorum opem in leonum
lacu sensit [Daniel].

15. [Virgo, liber vitae, clausus
permanens in] saecula,
Cuius potest solus agnus
solvere signacula,
In hoc nostra precum stilo
conscribe vocabula.

16. Tuae, virgo, sanctitatis
luce nos irradia
Et sic tua pia prece
Deo reconcilia,
Ut post mortem gloriemur
in caelesti patria.

17. Ad hoc, omnes potestates
virtutum caelestium,
. . . .
. . . .
Ad hoc, omnes sancti, vestrum
petimus auxilium.

18. Miserere nostri, Deus,
in personis trinitas,
Miserere, miserere
nostri, simplex unitas,
Te spiritus omnis laudet,
sempiterna deitas.

Psalterium a seraphico sancto Bonaventura compositum in honorem virginis Mariae. Impressum Valentiae in aedibus Petri a Huete in platea Herbaria. Anno MDLXX, fol. lxxxi b. — 4, 2 Dei et. — 5, 4 fides. — 13, 1 suavium. — 13, 5 adoptionis.

305. Planctus Paenitentis.

1. Pange, lyra cordis mei,
carmen lamentabile,
Regum regem rogitando
valde admirabilem,
Ut me liberet a malis,
quibus gravor graviter.

2. Rerum omnium creator,
pater invisibilis,
Fili Dei, cosmi rector,
pulcher, ineffabilis,
Spiritus, qui astas cordi
hominis, almificus,

3. Deus trinus in personis,
unus in substantia,
Qui plasmasti cuncta verbo
orbis unus climata,
Me nunc, deprecor, exaudi
mea tollens crimina.

4. Meque miserum errantem
suscipe, piissime,
Et ad patriam caelestem
facito pertingere,
Quem errantem redemisti
tuum dando sanguinem.

5. Meo sensui infunde
lumen almi spiritus,
Cuius lumine accensus
propriis a nexibus
Merear absolvi cito,
fusis, quaeso, precibus.

6. Meque doce, rex caelestis,
agere quid debeam
Quidve loqui, quid tacere,
facere quid valeam,
Ut ad arva paradisi
te iubente transferar.

7. Fortitudinem da mihi
praebe et prudentiam,
Temperantiam concede
dando et iustitiam,
Mihi dona caritatem
atque pudicitiam.

8. Tolle crimen voluptatis,
tolle et luxuriam,
Pelle crimina nefanda
auferendo noxia,
A me vana cuncta aufer
inserendo optima.

9. Heu, me miserum, quid agam
tabefactus scelere?
Glisco Christum possidere,
glisco caelum scandere,
Sed non possum oneratus
delictorum onere.

10. Vae, vae mihi, ad quem curram,
qui mecum condoleat?
Me gravantur valde dira
peccatorum onera,
Quibus licet circumsaeptus
iuges fundo lacrimas

11. Rogitando te, salvator,
qui salvasti saeculum,
Mihi quatenus concedas
spiritum paraclitum,
Quo repletus te laudare
queam perspicacius.

12. Spiritales sensus quaero
castumque corpusculum,
Meque vas electionis
facito purissimum,
Quo digneris semper esse
veniens assiduus.

13. Portas poli paradisi
facito me ingredi,
Ubi gaudeam translatus
iugiter cum angelis,
Qui te laudant incessanter
laudibus hymnidicis.

14. Sonant ibi melodiae
laudes ineffabiles,
Quae cantantur a pollenti
Angelorum agmine,
Quo me Christus, suum plasma,
faciat pertingere.

15. Qui cum patre regnat semper
et cum sancto spiritu
Venturusque est de caelo
iudicare saeculum,
Ipsi honor et potestas,
decus et imperium.

16. Salva, salva, rex caelestis,
illum virum sedule,
Qui composuit hoc carmen,
carmen amicabile,
Atque sibi dona illud,
quod sonat in carmine.

17. Fiat, fiat, fiat sibi,
sicut carmen postulat,
Atque sibi rex caelorum
tribuat haec omnia,
In superna paradisum
possidere faciat.

Collectan. ms. S. Orrientii Auxitani saec. 12. Cod. Parisin. Nouv. acq. 456. add. saec. 12/13. — 2, 6 almificus gegen den Reim. — 3, 4 uus. — 9, 5 Sed fehlt. — 14, 4 Angelorum fehlt. — 16, 3 hunc carnem. — Aufschrift: „Incipit hymnus vel oratio conspicui patris Amandi." Cheval., Repert. hymnol. Nr. 14524, macht daraus einen Hymnus auf den hl. Amandus. Wer dieser conspicuus pater Amandus ist, bleibt ungewifs. Am ehesten könnte man an Amand du Chatel denken.

306. Planctus Paenitentis.

1. Memorans novissima,
cogitans futura,
Quam horrida, quam aspera
sit mortis hora dura,
Quod secundum merita
post mortem redditura
Sit iustis letitia
et reprobis tortura.

2. Haec in corde recolens
ponet mens impura
In se nil reperiens,
quo fiat secura,
Dum peccata meminit,
quae commisit plura,
Et se fedam conspicit
multiplici laesura.

3. Heu, miser quam misere
miserum me feci,
Dum praecepta Domini
post tergum proieci!
Prava pravis, scelera
sceleribus adieci,
Mersus in profundo sum
et addictus neci.

4. O quanta perversitas
meae caecae mentis,
Laqueum suspendii
sibi connectentis,
Dum peccata sordidis
auget incrementis
In conspectu iudicis
omnia cernentis!

5. O quanta dementia
insaniaque videtur,
Deus cuncta conspicit
et non reveretur,
Immo plus respiciens
gartio timetur
Quam creator omnium,
cuncta qui intuetur.

6. Pro scurro, si respiceret,
desinerem peccare,
Pro Christo non desino,
qui cuncta videt clare,
Igitur quid faciam
aut quid possim operare,
Cum districte venerit
cuncta iudicare?

7. Miser, plenus vitiis,
indignus et reus,
Quid faciam, cum venerit
ad iudicandum Deus?
Cum interrogaverit,
quid illi respondebo,
Quem offendi totiens,
cum iudicem videbo?

8. Horrendum est incidere
in manus viventis
Dei, iusti iudicis,
omnia cernentis,
Qui non parcet cuiquam
in die vindictae,
Quin secundum merita
iudicet districte.

9. Pudeat me miserum,
quod fui tam ingratus
Eius beneficiis,
a quo sum plasmatus,
Qui solem et lunam est
pro me fabricatus,
Ad meum adiutorium
omnia creatus.

10. Qui pro me descendere
de caelis est dignatus,
Paulo minus ab angelis
pro me minoratus,
Dum suscepit hominem
meum incarnatus
E virginali thalamo
procedendo natus.

11. Natus, circumcisus est,
in templo praesentatus,
Simeonis brachiis
senis amplexatus,
In Iordanis flumine
a servo baptizatus,
At post longum ieiunium
a Satana temptatus.

12. Multos pro me pertulit
in carne cruciatus,
Fame, siti, frigore,
itinere lassatus,
Cuncta, quae sunt hominis,
infirma toleratus
Praeter ignorantiam
contractumque reatus.

13. Iudae tandem osculo
Iudaeis propalatus
Traditur et trahitur,
illuditur velatus,
In facie conspuitur,
pro me colaphizatus
Et est a falsis testibus
innocens accusatus.

14. Pium fudit sanguinem
vinculis artatus,
Dirissimis verberibus
in cane flagellatus,
In derisum factus est
spinis coronatus
Et morte turpissima
tandem condemnatus.

15. Ductus est ad victimam,
ut agnus immolatus,
Affixus in patibulo
crucis elevatus,
Fossionem manuum
ac pedum toleratus
Et aceto sitiens
felleque potatus.

16. Hos et multos alios
passus cruciatus,
Poenis et opprobriis
immensis fatigatus,
Tandem reddens spiritum
est exanimatus,
Sed et defuncti lancea
aperitur latus.

17. Ecce, miser, perspice,
perversus et ingratus,
Quanta pro te pertulit
Deus incarnatus!
Nec pater pro filio
nec pro patre natus
Sustineret talia
nec tot cruciatus.

18. Sepelitur mortuus
sepulcro collocatus,
Inferni claustra penetrans
captivos liberatus,
Resurgens die tertia
mortem superatus,
In argumentis plurimis
discipulis monstratus.

19. Eisdem intuentibus
in caelum elevatus,
Polorum scandit culmina
nube baiulatus,
Ad patris sedet dexteram
cunctorum iudex datus,
Iudicaturus veniet,
qui fuit iudicatus.

20. Igitur cum venerit
rex iudicaturus
Et talenti crediti
lucra quaesiturus,
Quanta pro te pertulit,
patenter ostensurus,
Miser, plenus vitiis,
quid eris responsurus?

21. Si iustus apparueris,
iustitia salvabit,
Si impius exstiteris,
impietas damnabit,
Malum opus puniet,
bonum remunerabit,
Ubi te invenerit,
ibi te iudicabit.

22. Quid dormitas igitur?
exsurge a morte,
Qua patescit aditus
infernalis portae,
Excutere de pulvere,
solve iugum forte,
Et adnumerabit te
in sua Christus sorte.

23. Ecce, stat ad ostium,
ecce, pulsat foris;
Ad te, si ei aperis,
intrabit rex decoris,
Ad ignoscendum promptus est
cunctis clementer horis,
Non enim vult interitum
sed vitam peccatoris.

24. Hinc sunt exemplaria
plura tibi data,
Petrus, Paulus, Maria,
peccatrix appellata,
Mathaeus et adultera
ac latro, cui peccata
Cuncta paenitenti sunt
in cruce condonata.

25. Quod si adhuc trepidas,
modicus in fide,
In Christi tui faciem
crucifixi vide
Et, quam offert, gratiam
cunctis perpendens ride
Ac omnem diffidenciam
penitus abscide.

26. Caput habet pendulum
ad te deosculandum
Et extenta brachia
te ad amplexandum,
Manus perforatae sunt
se totum ad praestandum,
Et apertum latus est
te totum ad amandum.

27. Pedes clavis fixi sunt
ad tecum manendum,
Totum corpus passum est
ad te redimendum,
Haud dubium, quin pronus sit
ad te suscipiendum,
Qui se tibi disposuit
talem exhibendum.

28. Ecce, vitae ianua
patens et aperta!
En, seductos revocat
veritas miserta,
En, iure conqueritur,
quare sit deserta,
Cum sit mors in ianuis
et hora sit incerta.

29. Revertenti praemia
offert infinita,
Quae nec vidit oculus
rec aure sunt audita;
Nec intellectus hominis
capit in hac vita
Quae sint in caelis praemia
iustis acquisita.

30. Igitur convertere
ad tuum plasmatorem,
Ad amicum, dominum,
patrem, redemptorem,
Timorem et debitum
rependens amorem,
Qui a peccatis proprium
te lavit per cruorem.

31. Nil dubites, nil haesites,
nil velis trepidare,
Curre velox audaciter
ad tuum salutare;
Quacumque hora veneris,
promptus est salvare,
Nam gravat eum perdere,
quod emit tam amare.

32. O mira clementia
tua, rex caelorum,
O tua magna bonitas,
creator saeculorum,
O larga tua pietas,
indultor peccatorum,
O pia tua largitas,
dator regni caelorum!

33. O quam es amicabilis,
lapsorum reparator,
O quam es admirabilis,
reorum immutator!
Quis non amabit te,
o clemens miserator?
Quis non timebit te,
o vindex iudicator?

34. Ecce, miser clamito
ad te de profundis,
Sorditatus vitiis
oppressus et immundis.
Tu mihi manum porige,
qui gratiam infundis,
Sicut scis et quando vis,
mentibus iucundis.

35. Intende piis auribus
ad vocem meae precis,
Infunde lumen oculis
mentis meae caecis
Et educ me miserum,
aeternae reum necis,
De lacu miseriae,
foedae luto faecis.

36. Miserere mei, Deus,
miserere mei,
Miserere miseri,
miserere rei,
Summi dator praemii,
lucis ac requiei,
In te confidit anima
mea, succurre ei.

37. Miserere misero,
parce confitenti
Atque manum porrige
surgere volenti
Et amorem imprime
tuum meae menti,
Me mundans a vitiis
virtute potenti.

38. En, ad te confugio,
qui potens es salvare,
Tuum adiutorium
imploro salutare,
Mihi nihil oberit,
si me velis iuvare,
Quia tu solus, si vis,
me potens es mundare.

39. Ecce, redit prodigus
de longinquo natus,
Sua cum meretricibus
bona dissipatus,
Indignus est, ne amodo
sit filius vocatus,
Sit inter mercenarios
saltem numeratus.

40. Succurre, pater, filio,
occurre revertenti,
Restaura statum perdito,
da lumen caecae menti,
Vitam redde mortuo,
vivere cupienti,
Tuum est enim veniam
praestare confitenti.

41. Agnosco mea scelera,
confiteor peccatum,
Cognosco miseriam
meam et reatum,
Contritum ne despicias
cor et humiliatum,
Sed per te munus veniae
sit confitenti datum.

42. Vulnus meum detego
tibi, summe bone,
Tu medicamen adhibe
curata laesione,
Tuam namque faciem
cum contritione
Praevenire cupio
in confessione.

43. Confiteor humiliter
indignus et peccator
Tibi sanctisque omnibus,
sanctorum gubernator,
Quia peccavi nimium
carnis factus amator,
Transgressor legis Domini
et praevaricator.

44. Peccavi corde nimium
prava meditando,
Pravis desideriis
nimis immorando,
Irascendo leviter
et iram reservando
Et despectis ceteris
magnum me reputando.

45. Ore vana, turpia,
scurrilia loquendo,
Mendacia, periuria,
maledicta promendo,
Adulans, convitians,
deridens, detrahendo,
Probra, contumelias
ac minas inferendo.

46. Peccavi visu nimium
illicita videndo,
In carnis voluptatibus
oculum figendo,
Spectaculis ac lusibus
me vanis immiscendo,
Superbum, nequam, lividum
oculum habendo.

47. Per auditum aurium
peccavi delinquendo,
Vana, stulta, noxia
libenter audiendo,
Aurem detractoribus
ac frivolis praebendo,
Auscultans illicita,
utilia spernendo.

48. Per gustum assidue
illicitum offendo,
Superflua cibaria
ac pocula sumendo,
Delicatus, bibulus
ac vorax existendo,
Membrorum per superflua
effectum omittendo.

49. Per narium illicitum
peccavi odoratum,
Libidinose attrahens
et emittens flatum,
Immundum et illicitum
odorem habens gratum,
Hunc sensum mihi praestitum
convertens in peccatum.

50. Peccavi tactu sordido
manus polluendo,
Illicita, nefaria
immundaque tangendo,
Mala multiformia
manibus agendo,
Damna, violentiam,
vim fratri inferendo.

51. Pedibus illicite
peccavi incedendo,
Viam pacis deserens,
ad scelera currendo,
Ad lusus et spectacula
vana gradiendo,
Inconstans et instabilis
ac vagus exsistendo.

52. Capitis a vertice
plantam usque pedis
Plenus sum spurcitiis
illecebrisque foedis,
Totum corpus subdidi
malignonum praedis,
In foetore sordium
assimilatus hoedis.

53. Peccavi per superbiam
me ipsum extollendo
Et ad inanem gloriam
iactanter praeferendo,
Pertinax et contumax
in inoboediendo,
His et multis aliis
modis superbiendo.

54. Invidiosus exstiti
detrahens susurrando,
In adversis proximi
frequenter exsultando
Et in eiusdem prosperis
afflictum cor gestando,
His modis per invidiam
et aliis peccando.

55. Per iram et per odium
peccavi tumescendo,
Rixas, contumelias,
clamorem proferendo,
Indignans in animo
malitiam ferendo,
Sic et multipliciter
per iram delinquendo.

56. Victus avaritia
sum fraudem faciendo,
Fallaciis, periuriis
proximum fallendo,
Pietatis opere
affectuque carendo,
Sic per avaritiam
peccatum adaugendo.

57. Per vitium acidiae
foedatum me perpendo,
Torpens, pusillanimis,
remissus existendo,
Tristis boni taedium,
pigritiam habendo,
Multimodum acidiae
lapsum incurrendo.

58. Peccavi per ingluviem
ventri serviendo,
Delicata appetens,
superflua sumendo,
Vitam in desideriis
carnis peragendo,
Circumquaque vitiis
per gulam succumbendo.

59. Peccavi per luxuriam
carnem polluendo,
Carnis voluptatibus
pravis consentiendo,
Mente caecus, corpore
immundus exsistendo,
Sic vitiis mortalibus
me septem opprimendo.

60. Peccavi decalogum
legis transgrediendo,
Deum ficte diligens
ac fictius colendo,
Dilectionem debitam
fratri subtrahendo
Nomenque sanctum Domini
in vanum assumendo.

61. In pravos usus sabbati
requiem convertendo
Parentibusque debitum
honorem non solvendo,
Mentis, licet non manibus,
affectu occidendo,
Per carnis immunditiam
maechiam committendo.

62. Aliena rapiens
furtumque faciendo,
Falsum testimonium
proferens mentiendo,
Immobiles ac mobiles
proximi res appetendo,
Sic praecepta Domini
ac legis contemnendo.

63. His vitiis et aliis
innumeris sum foedatus,
Plenus immunditiis,
peccatis oneratus,
Intus mente, corpore
foris sordidatus,
Circumquaque vitiis
oppressus et artatus.

64. Haec tibi confiteor,
summe miserator,
Qui solus es misericors,
lapsorum sublevator,
Tu mihi, summe pontifex,
sis veniae collator
Ac commissorum scelerum
clemens condonator.

65. A te deposco veniam,
qui fons es pietatis,
Agens paenitentiam
de malis perpetratis:
Infunde mihi gratiam,
ut liber a peccatis
Ex hoc tibi deserviam
in factis tibi gratis.

66. Causam meam etenim
tibi revelavi,
Contrito corde recolens,
quae mala perpetravi,
Succurre mihi, Domine,
quoniam in te speravi,
Licet enim peccavero,
te tamen non negavi.

67. Peccavi quidem nimium
per fragilitatem,
Sed plus potes dimittere
per tuam bonitatem,
Ne, precor, contineas
tam veram pietatem,
Ubi iam notoriam
agnoscis pravitatem.

68. Si maior est iniquitas
quam oporteret reum,
Eritne minor pietas
tua quam decet Deum?
Absit; Deus pius est
refugiumque meum,
Qui etsi me occiderit,
sperabo in eum.

9. Tu meum es refugium,
Iesu, singulare,
Tu mihi adiutorium
praebe salutare,
Ut, quae commisi, scelera
possim expiare
Et a nefandis actibus
de cetero cessare.

0. Singularis mihi spes
est in te Deo vero,
Qui illustrator cordis es,
da veniam, quam quaero,
Licet enim peccaverim,
tamen non despero,
Quia, si me converteris,
peccator iam non ero.

1. Tua namque pietas
in brevi curat hora
Et, quos vult, tua gratia
immutat sine mora,
Tu tuae more gratiae
cor meum irrora,
Qui occulta cordium
nosti interiora.

2. Converte servum impium,
immuta delinquentem,
Fer reo remedium,
relaxa paenitentem,
Contritum pie suscipe
absolve confitentem,
Ut sic in regno gloriae
me facias gaudentem.

3. Tu enim ore proprio
benedicto dixisti,
Quod ad salvandos perditos
missus exstitisti,
Et quod reos ad veniam
revocare venisti;
Hoc dictis atque plurimis
exemplis astruxisti.

74. Non est enim valentibus
opus medicante,
Sed male se habentibus
medico sanante.
Haec pia vox insonuit
te pio predicante
Et ad paenitentiam
peccatores vocante.

75. Tu pie de theloneo
publicanum vocasti,
Tu in adulterio
deprehensam salvasti,
Tu negantis discipuli
lapsum reparasti
Et paradisi aditum
latroni reserasti.

76. Tu vere paenitentium
spes et reparator,
Tu ad te convertentium
susceptor et amator,
Tu es in te credentium
misericors salvator
Et tibi servientium
largus remunerator.

77. Te nullus fideliter
unquam invocavit,
Qui non misericorditer
levamen impetravit;
Nullus unquam confusus est,
qui in te speravit,
Nec est seductus aliquis,
qui corde te rogavit.

78. Qui igitur in tantis es
misericors probatus,
Ut fons misericordiae
sis merito vocatus,
Preces rei servuli
exaudi miseratus,
Dimittens ei debita
condonansque reatus.

79. Qui ad salvandum perditos
dignatus es venire
Et crucis supplicium
pro miseris subire,
Tu mihi miserrimo
veniam largire,
Et in mortis articulo
dignare subvenire.

80. Qui peccatorum veniam
solus potes dare,
Quod tuae pietatis est,
opus operare,
Miserrimique miserans
lapsum reparare
Ac commissorum veniam
tribuere dignare.

81. Succurre pie misero,
conforta desolatum,
Iuva pusillanimem
et erige prostratum,
Consolare flebilem,
emunda sordidatum,
Lapsum reconcilia,
perversum muta statum.

82. Moveat te anxia
contritio gementis,
Moveant suspiria
te cordis paenitantis,
Ut gemitum exaudias
te veniam petentis,
Quatriduani reparans
statum iam foetentis.

83. Foetens enim sordibus
velut quatriduanus
Deprimor sub lapide
peccati veteranus;
Sed si facturae dextera
tuae succurrat manus,
Mox redivivus integre
conresurgam sanus.

84. Ergo tolle lapidem
peccati deprimentem,
Oppressum exonera
sublevа iacentem,
Ligati solve vincula,
purifica foetentem
Atque foras revoca
peccatis inhaerentem.

85. Sic poteris de mortuo
vivum reparare,
Sic de servo impio
filium reformare,
Sic commissa scelera
poteris expiare,
Sic amissa praemia
potes restaurare.

86. Sic delere poteris
maculam commissam,
Mentem sursum trahere
hactenus demissam,
Redonare gratiam
funditus amissam,
Producere ad gloriam
fidelibus promissam.

87. Quod ipse tribuere
dignare, rex caelorum,
Per preces et suffragia
sanctorum angelorum,
Per prophetarum merita
patrumque praeelectorum,
Qui tibi efficacia
placuerunt morum,

88. Per preces precipue
matris tuae piae,
Gloriosae virginis
reginaeque Mariae,
Quae levamen exhibet
tam nocte quam die
Oppressis miseriis
aerumnosae viae.

89. Per cunctorum quoque
preces apostolorum,
Evangelistarum, martyrum
atque confessorum,
Virginum ac omnium
sanctorum beatorum,
Qui vivis et regnas,
per saecla saeculorum.

90. Idipsum humiliter
deposco pro praelatis,
Pro amicis, fratribus,
parentibus, cognatis
Ac pro cunctis fidelibus,
ut rorem pietatis
Infundas eis iugiter
coniungasque beatis.

91. Pro animabus et
parentum, amicorum,
Benefactorum, omnium
fidelium defunctorum,
Tibi preces offero,
benigne rex caelorum,
Ut dones eis requiem
in saecla saeculorum.

Collect. ms. Anglicum saec. 13. Cod. Londinen. Arund. 248. — 12, 4 tinereque. — 47, 8 utiliaque. — 55, 6 malitiaque. — 57, 6 pigritiamque. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

307. Speculum Peccatorum.

1. O pos omnes, qui transitis
Figuram hanc inspicite,
Memores mei semper sitis
Et mundum hunc despicite.

2. Quondam eram gloriosus
Habens aurum et argentum,
Nunc a vermibus corrosus;
Quam horrendum testamentum!

3. Heu, quam male sum deceptus
Habens annos iuveniles,
Nec sum penitus adeptus,
Quod speraveram, seniles.

4. Heu, nunc me mors supplantavit,
Quando minime credebam,
Et mihi vitam amputavit,
Qui securus incedebam.

5. Quidquid boni intellexi
Vel ab aliis audivi,
Plane totum hoc neglexi,
Quia carni deservivi.

6. Curam carnis semper egi
Et vanam gloriam amavi,
Pro his in poenam hanc impegi,
Sero novi, quod erravi.

7. Luxuriose et gulose
Vixi temporaliter,
Pro his poenas copiose
Recepi aeternaliter.

8. Peccaverunt pedes, manus
Contra legem Domini,
Egi corde vagus, vanus,
Quae non licent homini.

9. Hoc considerate templum,
Quod me mersit in profundum,
Relictum vobis sum exemplum,
Deceptus per falsum mundum.

10. Qui non volunt paenitere,
Sicut ego sunt futuri,
Debent merito terreri,
Quod sic semper sunt arsuri.

11. Oportunum nunc habetis
Tempus, aptum paenitendi,
Vigilate, ne tardetis,
Ne occurrat tempus flendi.

12. Nemo unquam comprehendit,
Quanta patiar tormenta,
Nec in cor hominis ascendit,
Quae mala malis sunt retenta.

13. Mundus mihi repromisit
Multis annis vivere,
In his tormentis me collisit,
Sic solet retribuere.

14. Multos male sic fefellit
Variis conatibus
Et in mortem sic impellit
Multis cum reatibus.

15. Quidquid mihi dicebatur
De aeterna gloria,
Nihil mihi videbatur
Nisi temporalia.

16. Heu, sic miser sum delusus
Per meam neglentiam,
In infernum sum detrusus
Iustam per sententiam,

17. Quae damnandis est dicenda
Magna cum severitate,
Quae vox multum est timenda,
Vos ad illam praeparate.

18. Vitiorum fui cultor,
De bonis nulla fuit cura,
Reddidit mihi iustus ultor
Multo plus quam cum usura.

19. Nigriores quam carbones
Sunt isti pessimi tortores,
Animarum sunt praedones,
Qui nos ducunt in horrores.

20. Nonne vides, quam deformis
Sum per neglentiam?
Miser homo, cur sic dormis?
Age paenitentiam!

21. Voraci flammae sic sum datus,
Heu, quod unquam fui natus!
Propter varios reatus
Sine fine sum damnatus.

Collect. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. 97. A. — Collect. ms. Inderdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7660. B. — Collect. ms. S. Albani Treviren. saec 15. [et 16]. Cod. Treviren. 228. C. —

3, 3 Nunc sum AB. — 4, 1 Heu, me mors nunc. B; Heu, nunc mors me C. — 6, 2 gloriam semper amavi ABC. — 6, 4 Scio, novi, quod A. — 7, 2 Semper vixi AB. — 8, 3 vanus fehlt A; vagis A; fagus C; vanus vagus B. — 8, 4 licet AC. — 9, 2 Qui me AB. — 9, 4 Deceptum AB; per hunc falsum ABC. — 10, 3 Deberet B; terrere B; timeri C. — 10, 4 Quod et semper B. — 11, 1 Optimum nunc A. — 11, 4 Ut non occurrat AB. — 12, 2 patior AB. — 14, 2 Variis tenacibus A. — 14, 3 morte AB. — Nach Str. 16 schieben BC ein:

Talem poenam praevenite
Cum paenitentia et laboribus (doloribus C),
Ne vobis dicatur Ite
Novissimis temporibus.

17, 1 damnatis AB. — 17, 3 Quae vobis multum AB. — 17, 4 Et ideo in vita bona perseverate B; Contra qnam vos praeparate C. — 19, 4 in errores AB. — 21, 1 sum sic datus C. — 21, 2 Heu, nunquam fui natus B; Heu, nunquam fuissem natus A.

308. Vado mori.

Vado mori, mori, naturae cedo, recedo,
Ut pereunt, abeunt cetera, vado mori.
Vado mori tortus, ortus sub littore portus,
Qui vix, si vixi; discite, vado mori,
Vado mori, pueri teneri sub sorte, teneri
Me morbis orbis sentio, vado mori.
Vado mori crescens, adulescens corpore grato,
Fato compellor cedere, vado mori.
Vado mori iuvenis et plenis sanguine venis,
Areo nunc, pereo, marceo, vado mori.
Vado mori miro me stante viro rutilante,
Tempore nunc Christi corpore vado mori.
Vado mori vetulus querulus fractusque subactus,
Deficio vario vulnere, vado mori.
Vado mori, metas mortis non effugit aetas,
Cernens, discernens haec ego, vado mori.
Vado mori modicus, mendicus, egens, male degens;
Quid mihi sic misere vivere? vado mori.
Vado mori plenus opibus, quibus, heu, male partis
Usus et effusus exsulo, vado mori.
Vado mori victus parci, mordentis amictus,
Ne crucier, satier amodo, vado mori.
Vado mori crapula, quae sedula fercla retorquet,
Torquet adeps misera viscera, vado mori.
Vado mori castus nullaque libidine pastus,
Ut videam, teneam caelica, vado mori.
Vado mori Veneris celeris teda cum lue foeda,
Ut poenae plenae sint mihi, vado mori.
Vado mori vilis, humilis non corde tumente,
Ut mihi sit varia gloria, vado mori.
Vado mori tumidus et acerbus, mente superbus,
Ad limos imos transeo, vado mori.
Vado mori late circumfusus pietate,
Dia mihi reserans ostia, vado mori.
Vado mori pavidus, miser, invidus, omnibus hostis,
Postis avernus avet me sibi, vado mori.
Vado mori comitis, ducis auctus honore, Quiritis,
Praedia praeliaque transfero, vado mori.

Vado mori regis clarus diademate, legis
Custos et iustos transeo, vado mori.
Vado mori; bacule, quid et annule, mitra, peristis?
Tristis adest hora, nec mora, vado mori.
Vado mori papa vel satrapa nomen et omen,
Hoc leve sive breve desero, vado mori.

Collect. ms. S. Iacobi Leodien. saec. 11.—14. Cod. Darmstadien. 1988. add. saec. 24. — 12 und 14 umgetauscht. — „Hos versus composuit frater Lambertus dictus Boreis, prior ordinis praedicatorum Leodiensium in extremis." Vgl. den Doppelgänger dieses Gedichtes Anal. XXXIII, Nr. 255.

309. De Morte.

Mors est ventura, cuius conclusio dura,
Mors est ventura tibi pro meritisque datura,
Mors est ventura tibi grande malum paritura,
Mors est ventura postesque tuos subitura,
Mors est ventura prece nec pretio fugitura,
Mors est ventura, ne plus vivas, vetitura,
Mors est ventura, quantum debes, monitura,
Mors est ventura, ut te trahat irreditura,
Mors est ventura, nisi te rapiat, moritura,
Mors est ventura tibi treugas non habitura.
Mors est ventura finem mox exhibitura,
Mors est ventura, per quam tua vox peritura,
Mors est ventura sine te prorsus non itura,
Mors est ventura, nec, credo, tui caritura.
Mors est ventura, fac, ut sint pectora pura,
Mors est ventura, quam non fugat ulla figura,
Mors est ventura, quae confringit tua crura,
Mors est ventura, nescis, quae vita futura.
Mors est ventura, quid aget procera statura?
Mors est ventura, quid erit de praepositura?
Mors est ventura, doctrina parum valitura,
Mors est ventura, quae nunc stans urbs ruitura.
Mors est ventura, tua faux non plus bibitura,
Mors est ventura, tua lingua procax tacitura.
Mors est ventura, non fac, quae scis nocitura,
Mors est ventura, fac quaeque Deo placitura.
Mors est ventura, nec me neque te veritura,
Mors est ventura, non fac, quae sunt nocitura.
Mors est ventura, quod emantur, fac, tibi tura.

Collect. ms. Ebersbacense saec. 15. Clm. Monacen. 6033. — 24 lingua fehlt. — 28 nocitura wohl verschrieben. — Zum Gedichte die Bemerkung: „Magister Henricus", womit wohl Henricus de Hassia gemeint ist.

310. De Timore Iudicii.

1. Qui signati estis Christo,
Mementote repromisso,
Quod daturum se in caelo
Vobis dixit in futuro.
Abicite vana loqui.

2. Habetote in prospectu
Reddituros vos de actu
Rationem coram Deo,
Qui venturus est e caelo.
Abicite vana loqui.

3. Hoc de verbis otiosis
Idem clamat in scripturis,
Ideo, rogo, cavete
Leve carmen personare.
Abicite vana loqui.

4. Actus vestros immutate
Et corrigere studete
Et dignum Deo parate
Habitaculum in corde.
Abicite vana loqui.

5. Ora vestra, quae factorem
Confitentur, ad devotam
Semper sint parata laudem,
Sicut decet conditorem.
Abicite vana loqui.

6. Et quid prodest hic laetari,
Si contigerit tristari,
Ubi est perennis vita,
Gaudia quoque mansura?
Abicite vana loqui.

7. Ne, quaeso, deludat praesens
Gaudium meos sodales,
Sed contendite adipisci,
Ad quod estis invitati.
Abicite vana loqui.

8. Non est gaudium, quod finis
Angustat deceptionis,
Sed est laqueus, qui nectit
Ignaros atque subvertit.
Abicite vana loqui.

9. Nuptias Christus paravit,
Ad quas omnes invitavit;
Ergo vos tantae exsortes
Eritis felicitatis?
Abicite vana loqui.

10. Eritis utique, veste
Si caretis nuptiali,
Ligatique in tenebras
Proiecti exteriores.
Abicite vana loqui.

11. Ubi est fletus ac stridor
Dentium et vastus horror,
Timor et tremor aeternus
Et perennis cruciatus.
Abicite vana loqui.

12. Ibi sunt hydri mordaces
Et flammae nimis edaces,
Ibi horrida vorago
Et taeterrima caligo.
Abicite vana loqui.

13. Haec sunt dona inimici
Et non sunt alia vestri,
Haec suis semper largitur
Crudelis et muneratur.
Abicite vana loqui.

14. Auferat Deus a vobis
Et a vestris animabus,
Ut non his damnati poenis
In perpetuum ploretis.
Amen, sic faciat Deus.

15. Sine fine sed cum Christo
Liberati ab hoc malo
Mereamini laetari
Et cum sanctis gloriari.
Amen, sic faciat Deus.

16. Tibi laus, Christe redemptor,
Qui es omnium protector,
Nunc et semper et in aevum
Per saecula saeculorum.
Amen, sic faciat Deus.

Collect. ms. Laudunense[?] saec. 12. Cod. Bernen. 455 add. saec. 10. — 5, 2 ac devotam. — 5, 3 parate. — 7, 1 delutat. — 7, 3 Sed condite adipisci; liest man contendite, so wird Elision nötig, die sonst im Rhythmus nirgends angewandt ist. Will man diese vermeiden, mufs man sich notwendig weiter von der Überlieferung entfernen. — Vgl. auch Hagenus, Carmina medii aevi, p. 98 sqq.

311. De Vanitate Mundi.

Mundus abit; res nota quidem, res usque notanda;
Nota tibi mundi sit nota; Mundus abit.
Mundus abit; non mundus idem, haec machina mundi
Dico, sed mundi gloria, mundus abit.
Mundus abit; cito nomen abit, cum nomino mundum,
Sed citius mundi nomine mundus abit.
Mundus abit; tria sunt: Erit, est, fuit; haec tria mundum
Mota movent, clamant haec tria: Mundus abit.
Mundus abit fugiens, ut tempus, ut annus, ut aura,
Ut mundus; satis est dicere: Mundus abit.
Mundus abit; constans nihil est, quod constat abire;
In mundo constat nil nisi: Mundus abit.
Mundus abit, nihil in nihilum, tamen eius abire
Non abit; error abit, quo duce mundus abit.
Mundus abit; nil quod quaeras, satis unde queraris;
Mundus abit; quod abit, respue; mundus abit.
Mundus abit; fortis sum, non ero; sum speciosus,
Non ero; sum dives, non ero; mundus abit.
Mundus abit; sequitur mors vitam, stricta solutam,
Longa brevem, laetam nubila; mundus abit.
Mundus abit, mundus, qui verbo fallit in omni,
Nescit in hoc uno fallere: Mundus abit.
Mundus abit, non Christus abit; cole non abeuntem;
Dicens: Non abeo; me sine mundus abit.
Mundus abit; quotiens iterabo? Cesset abire
Mundus, cessabo dicere: Mundus abit.

Collect. ms. Remense[?] saec. 12. Cod. Berolinen. Phillipp. 1996. add. saec. 12. — Dies Gedicht befindet sich auch in Cod. Trecen. 215. saec. 13.

312. De Vanitate Saeculi.

Fistula dulce sonat, ut aves in retia ponat,
Prospera delectant, ut nos in scandala nectant.
Piscis inescatur capiens, a quo capiatur,
Mens delectatur cupiens, in quo moriatur.

Me mundus laesit, mihi mundus ut hamus inhaesit,
Mundum laesus amo, saliens quasi piscis in hamo.
Me capit indago, me mundi caeca vorago,
Me male iucundus rapit ad sua gaudia mundus.
Ridens flenda gero, gaudendo tristia quaero,
Quaero spernenda, spero, quae sunt metuenda.
Amans illud amo, quod amatum perdit amantem,
Illud habens habeo, quod habentem reddit egentem.
Hydropicus mire discit potando sitire,
Vir cupidus misere consuescit habendo carere.
Improba mens nimium cupiens sequitur fugitiva,
Sponte perit, sua damna gerit cupiendo nociva.
Cum satis utrumque perpendo, bonumque malumque,
Eligo peiora, licet aspiciam meliora.
Fomes peccati nos alligat impietati,
Attrahit, astringit, captivat, crimine cingit.
Quod quandoque volens, illud facio modo nolens,
Arbitror, ut nolim, sed adhuc volo, sicut et olim.
Versor in hoc mundo quasi vel navis vel arundo,
Quam rapit infestus hac illac ventus et aestus.
Turbo quatit varius hic cymbam corporis huius,
Per varios motus ego discordo mihi totus.
Spiritus atque caro motu vexantur amaro,
In me pugnatur, in me mihi pugna paratur.
Nos gravat, ut nostis, caro nostra, domesticus hostis,
Pugnat et instigat quaerens, ut spicula figat.
Si bene pugnatur, caro servit, mens dominatur,
Si male certatur, caro vincit, mens superatur.
Sed caro vel nunquam vel vix superabitur unquam,
Nunquam sedatur, nisi caelitus hoc tribuatur.
Murmurat ancilla contra dominam vetus illa,
Cauda caput frangit, caro mentem duriter angit.
Pax mihi nulla datur, nisi pax, quam mors comitatur,
Pax peccatorum, pax impugnanda malorum.
Nos et nostra sumus quasi flos agri, quasi fumus,
Nobiscum nostra pereunt quasi ventus et umbra.
Ecce, nivis more perit infans unius horae,
Vivit et absque mora moritur, qua nascitur, hora.
Nascitur et moritur, deponitur et sepelitur,
Non homo sed vermis, non vir sed truncus inermis.
Dives pauperque pinguisque macerque peribunt,
Quo fera mors, fera sors vocat hos, aequaliter ibunt.
Sunt humus et limus vir, femina, summus et imus,
Servus liberque, vetulus iuvenisque puerque.
Hoc sumus, hoc erimus et eramus et hoc bene scimus,
Nam quod erat primitus, erit omnis homo quasi limus.
Hoc sunt, illud erunt, illud quandoque fuerunt,

Qui modo sunt vel erunt vel qui nunc usque fuerunt.
Fluxa, caduca, levis carnis substantia quaevis,
Crescens decrescit, quoniam crescendo senescit.
Nascimur, ut simus, sumus, ut pereamus, et imus
Illuc, unde sumus, quia terram terra subimus.
Terra sumus, terram colimus terrena propago,
Instabiles, fragiles, mortales, mortis imago.
Nudi nos omnes de terra venimus, omnes
Nudi venimus huc, nudi transibimus illuc,
Huc nihil attulimus, nihil hinc abducere quimus.
Nil abducemus nisi, si bene quid faciemus,
Res et opes tales, tantae, tamen perpetuales,
Nunquam perdentur, quae nos in morte sequentur.
Sanctorum merita non aufert mors neque vita,
Non rapiunt fures, non possunt rodere mures.
Ergo vacate, boni, non carni sed rationi,
Ut bona paretis, quae, qualia, quanta valetis.
Talem thesaurum super argentum, super aurum
Quaerite quaerendum, quaerentibus inveniendum.
Me scio non facere, quod vos praesumo docere,
Me scio tardare, qui vos facio properare.
Tardus crescentes, decrescens proficientes,
Sanctos pollutus, magnos impello minutus.
Mundos immundus, pudibundos impudibundus,
Cultos incultus, prudentes instruo stultus.
Aeger sanatos, tenebrosus clarificatos,
Claudus vadentes, caecus produco videntes.
Lapsus constantes, dormitans evigilantes,
Durus compunctos, solus considero cunctos.
Factor opus, famulum Dominus salvet pereuntem,
Pastor ovem, genitor subolem revocet fugientem.
O Deus, o Domine, sine principio, sine fine,
Fac miserans hominem peccatis ponere finem.

Collect. ms. Voraviense saec. 12/13. Cod. Voravien. 33 (111). — 34 hic tribuatur. — Bei dem Gedichte der Name des Verfassers Rûdigerus.

313. De Vanitate Mundi.

1. Quid in hac miseria,
   Miseri, moramini?
   A mundana gloria
   Quare delectamini
   Vos, qui moriemini
   Relinquentes omnia?
   Mors, qui parcit [nemini],
   Vestra tollet gaudia;
   Sic egrediemini.

2. Opum adfluentia
   Parum prodest homini;
   Mundi sapientia,
   Sicut bene memini,
   Iuxta verbum Domini
   Quaedam est stultitia.
   Illud intuemini,
   Relinquentes vitia
   Virtutes sequimini.

3. Vae vobis mortalibus,
Qui putatis vivere,
Cum mors sit in foribus,
Quae solet occidere
De cunctorum genere
Filios cum patribus.
Homo, reminiscere,
Cum abundas opibus,
Eas te dimittere.

4. Unum prosit omnibus
Dominum metuere,
Non ipsum timentibus
. . . .
Verum est acquirere
Deum diligentibus,
Quidquid volunt petere,
Iustis tamen precibus,
Sic debemus credere.

5. Quae te vincit rabies?
Nam tua res agitur,
Dum vicini paries
Proximus comburitur.
Hic vivit, hic moritur;
Dic, homo, quid facies?
Quidquid orbe clauditur,
Et genus et species
In momento perditur.

Collectan. ms. Incert. Origin. saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 1544.

314. De Vanitate Mundi.

1. Vanitatum vanitas
Est omnis mundi huius
Res aut saecularitas,
Finis malus cuius;
Hinc pensa, quod futurum est,
Quo venturus tandem,
Nam iudicaturus est
Deus veram in lancem.

2. Mundum velle sapere,
Dolum aut honorem,
Eius fraudem carpere,
Blandientum morem,
Ventum talis retinet,
Sed non nimis diu,
Hic Deum non attinet
In tali ambitu.

3. Ab his et carnis onere
Diabolique fraude,
A peccati pondere
Et ab omni clade,
Deus pius liberet
Nos trinus et unus,
Qui gaudium tribuet,
Qui est summe bonus.

Collect. ms. Seitzense saec. 15. Cod. Roman. 602 (Varia 4). — 3, 4 omni claude. — „De vanitate mundi carmen ut „Patris sapientia".

315. De Vanitate Mundi.

1. O mortales, quid agitis
Mundi quaerentes gaudia?
O miseri, quid facitis,
Qui vestra desideria
Et maligni perficitis,
Quae vos ducunt ad vitia?
Certe, nisi videritis,
Trahet vos ad supplicia.

2. Cur ergo delectamini
In mundi vanitatibus?
Numquid hunc intuemini
Plenum esse doloribus?
Vos certe moriemini
Cum vestris pravitatibus,
Ad inferna trahemini
Cum multis peccatoribus.

3. Dic, homo, mihi responde,
Cur tanta mala pateris?
Quid thesaurizas? attende,
Cui ea dimiseris;
Quid de te fiet, perpende,
Cum vitam finieris,
In bono semper intende,
In hac vita dum vixeris.

4. Ubi sunt mundi divites,
Qui terrena possidebant,
Ubi sunt et sapientes,
Qui scientia pollebant,
Ubi fortes et potentes,
Qui vi regna subiugabant?
Certe ad finem tendentes
Nunquam mori se putabant.

5. Felix homo, qui fugerit
Mundi huius miseriam
Et qui perfecte vicerit
Diaboli malitiam;
Certe, qui ita vixerit,
Ut fugiat superbiam,
In fine bene poterit
Caeli videre gloriam.

6. Idcirco veri monachi
Mundi fugiunt prospera,
In bonis enim intenti
Semper tendunt ad supera,
Quamvis dicant maledicti:
Horum vita est aspera,
Omnes autem benedicti
Illorum amant opera.

7. Sed sibi bene caveant,
Ne talia sustinendo
Eorum facta pereant
Superbe se extollendo,
Vanam gloriam fugiant
Carnem suam macerando
Humiliterque impleant,
Quod voverunt, faciendo.

8. Ergo, creator omnium,
Christe, qui regis omnia,
Finis atque principium,
Qui facis mirabilia,
Da robur, fer auxilium,
Ut fugiamus vitia,
Ut in terra viventium
Vivamus cum laetitia.

Collect. ms. Seitzense saec. 15. Cod. Roman. 602 (Varia 4). — Nach Str. 8 folgt eine Doxologie, die indes, wie der Reim zeigt, fremde Zutat ist:

Donet pater cum filio,
Cum spiritu paraclito,
Cui sit summa gloria
Per infinita saecula.
Christi matri et angelis
Sit laus atque archangelis,
Electis quoque omnibus,
In quibus regnat Dominus.

316. De Vilipensione Mundanorum.

1. Mundi prosperitas
Et vitae brevitas
Multos decipiunt,
Dum volunt vivere,
Praeventi funere
Cito deficiunt.

2. Nulla potentia,
Nulla prudentia
Prodesse poterit,
Cum rerum omnium
Praetereuntium
Finis advenerit.

3. Quidquid est hodie
Laudis et gloriae,
Transit ut nebula,
Non est durabile
Quidquid mirabile
Ferunt haec saecula.

4. Mundi divitias
Atque delicias
Quisquis amplectitur,
Vel mortis gladio
Vel infortunio
Pauper efficitur.

5. Cur ergo quaeritur,
Quod cito perditur?
Non prodest quaerere,
Quidquid interitu
Vel quovis exitu
Potest deficere.

6. Quod transitoria,
Nihil sint omnia,
Defectus indicat,
Iacet in vitiis,
Qui transitoriis
Se nimis implicat.

7. Transeunt omnia
Saeculi gaudia
Miserabiliter,
Et, quidquid praeterit,
Diu non poterit
Esse feliciter.

8. Quid prodest species,
Quid pulchra facies,
Quid color roseus,
Et multiplicium
Quid prodest vestium
Ornatus aureus?

9. Invidens homini
Mors pulchritudini
Non novit parcere,
Mors nescit ordinem
Vel celsitudinem
Rerum agnoscere.

10. Ad finem omnia
Mors trahit impia,
Quae sunt in saeculo,
Facit deformia
Cuncta decentia,
Digna spectaculo.

11. Mortis saevitia
Plenos lascivia
Oculos operit,
Fit caro candida
Pallens et livida,
Quam vita deserit.

12. Venusta facies,
Blanda mollities,
Quae placent nimium,
Postquam subtrahitur
Vita, qua fungitur,
Fit cibus vermium.

13. Et quid amantibus
Fuerat omnibus
Vana laetitia?
Abhorrent oculi
Clausum sub tumuli
Brevis angustia.

14. Forma laudabilis
Iam marcessibilis
Sepulcro tegitur,
Pulvis in pulverem,
Cinis in cinerem
Cito revertitur.

15. Opes Tiberii,
Gloria Iulii,
Marci facunditas
Sunt audientibus
Atque videntibus
Veluti somnia.

16. Olim Virgilius,
Vates egregius,
Laudem promeruit,
Quamvis laus hominum
Post vitae terminum
Nil sibi profuit.

17. Nec Plato plurima
Scribens de anima
Mortem detinuit
Per sapentiam,
Cuius notitiam
Veram non habuit.

18. Sed nec grammatica
Nec dialectica
Nec flores Tullii,
Quos erudierant,
A morte liberant
Huius exsilii.

19. Oportet igitur,
Quamdiu vivitur,
Opus perficere,
Ut Deo placeat,
Et hic non valeat
Mundus inficere.

20. Et cum de omnibus
Saeculi actibus
Nihil supererit,
Nostra sint gaudia
In illa gloria,
Quae nunquam praeterit.

Collect. ms. Seitzense saec. 15. Cod. Roman. 602 (Varia 4). A. — Collect. ms. Incert. Orig. saec. 15. Cod. Vatic. 4257. B. — 2, 4 Sed rerum A. — 3, 5 mutabile A. — 4, 4 mortis taedio A. — 5, 1 Dum ergo A. — 9, 5 Aut celsitudinem B. — 10, 1 impia B. — 10, 2 omnia B. — 10, 6 speculatio B. — 12, 3 placet B. — 14, 6 redigitur B. — 15, 5 Et non videntibus. — Str. 16 ff. fehlen B. — Aufschrift: „Sequentia de contemptu mundi“ A; Expliciunt vera verba de contemptu mundi. Bernardus.“ B.

317. De superna Ierusalem.

1. Sume plectrum, lingua, metri,
Tange chordas trochaei,
Aureum deprome carmen
Aurea de patria,
Est ubi beata vita
Et perennis gloria.

2. Fige stilum dicque primum:
Rumpe, Christe, vinculum
Cordis et fibras resolve,
Ut tuo de numine
Metrice vel pauca possim
Te iuvante dicere.

3. Tu potestas gloriosa,
Tu maiestas unica,
Tu tuorum fortitudo,
Virtus et potentia,
Tu decus creaturam
Salus es et omnium.

4. Lucis auctor et perennis
Es orirgo luminis,
Veritas de veritate,
Lumen es de lumine,
Quo beatis sempiterna
Manat ipsa caritas.

5. Manat inde vita, salus,
Manat immortalitas,
Vestis apta nuptialis
Manat ipsa caritas,
Qua beatus perfruendo
Vivit omnis spiritus.

6. Es et ipse fons aquarum
Cunctarum viventium,
Ultro te bibenti prodis,
Ultro tendis brachia.
Qui sitit, sitire desit,
Sat bibat, sat hauriat.

7. Quos pias tu fonte sacro,
Quos perungis chrismate
Imbuisque christiano
Sacrosancto dogmate,
Hos paterno more nutris,
Hos adoptas, hos beas.

8. Sint ut ipsi sponsa Christi,
Sint amici, sint dii,
Cum iucunditate cordis
Possint et pepetuum
Nuptiarum semper aptum
Possidere gaudium.

9. Gaudium, quod nemo plenum
Tollat a fidelibus,
Sed perenne cum beatis
Possidebunt angelis,
Ut sit ex utroque semper
Una Hierosolyma.

10. Illa scilicet superna
Hierusalem, omnium
Mater electorum, sacro
Plena prolis agmine
Et beatorum caterva
Saepta semper virginum.

11. Cuius in platea semper
Dulciter melodians
Hymnum dicit angelorum
Pacifer concordia,
Hymnum semper et beata
Turba fratrum personat.

12. Coetus omnis angelorum
Et thronorum milia
Magno [cum] triumpho patri
Alleluia concinit,
Dicit Alleluia nato,
Dicit et paraclito.

13. Omnibus diebus, horis
Et momentis singulis,
Mensibus cunctis et annis
Omnibusque saeculis
Turba fratrum dicit hymnum
Mysticis in vocibus.

Collect. ms. Laudunense? saec. 10. Cod. Bernen. 455. — Mit der Überschrift: Versus Zmaracdi. — Vgl. Hagenus, Carmina medii aevi p. 93 sqq.

318. De Malitia Temporum.

1. Totus mundus est subversus
Et in mari gravi mersus
In profundo vitii;
Nunc virtutes relaxantur,
Super omnes honorantur
Deceptores impii.

2. Pertrahuntur ut raptores
Veritatis amatores,
Qui a malis abstinent;
Adulaces et loquaces,
Detractores et mendaces
Principatum obtinent.

3. Adorantur maculati,
Adhaerentes falsitati,
Et praesunt in curiis,
Maior locus illis datur,
Et sic mundus desolatur
Eorum consiliis.

Collectan. ms. Incert. Originis saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. misc. 523. — Wohl nur ein Bruchstück eines längeren Gedichtes. Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

319. Metra contra haereticos et schismaticos.

1. Mirentur mundi climata
Haereticorum schismata,
Zizania dotata,
Evulsa iacent lilia,
Rosa simulque viola,
Lolia radicata.

2. Insurgit matri filia,
Pereunt dotalitia
Summae caritatis,
Propalatur horridorum
Forma nunc haereticorum
Saeculo toto satis.

3. Est eorundem bonitas
Vultus, sed mentis acritas,
Hypocritarum nota;
Eloquia blandifera
Venena sunt viperea,
Nubila puritatis.

4. Statuta sanctis tradita
Emendatione addita
Rumpunt viri fallaces,
Fantur inventa frivole,
Ach, infausti agricolae
Profani, mendaces!

5. Eia, sanctorum agmina,
Tangentia caeli culmina,
Comprimite peccatores,
Fertur iam inaudibile
Omnibusque odibile,
Sancti non venerantur.

6. Horae iam nunc denegantur,
Orationes depravantur,
Undique lacerantur,
Signum crucis iam rumpitur
Imagoque deicitur,
Omnia frustrantur.

7. Omnino benedictio
Spernitur et aspersio
Semoto rubore,
Infantes iam apportantur,
Fluminibus coaptantur
Spreto fontis more.

8. Infirmus non perungitur,
Oleumque despicitur
Sacrum et vilescit,
Defunctus iam deducitur
Et tumulo recluditur
Campana non pulsanti.

9. Diffidunt purgatorio,
Ob quod non datur promotio
Animae migranti,
Descendunt antra barathri,
Ianuam atri Cerberi,
Sunt comites Plutonis.

10. Pauperes non sunt spiritu,
Comprobatur bono ritu,
Nam gliscunt aes habere;
Refutant enim obolum
Poni in offertorium,
Sunt deceptores vere.

11. Obulo nec pellinum,
Cinturae nec capucium,
Non aptantur phalera;
Delicati sunt martyres,
Cibos non nisi nobiles
Volunt deglutire.

12. Assunt et potabilia
Nisi bene nobilia,
Quod possint mensam polire;
Domentur ergo baculo,
Molares iungantur et collo,
Profundo madentur.

13. Non nisi nunc garrulizant,
Ubique infatuizant
Oves alienas,
Oboedientiam non sequuntur,
Omnes simul inducuntur
Ad aeternales poenas.

14. Infelices latrunculi,
Omnis virtutis aemuli,
Ubique divagantur,
Caritas periclitatur,
Dum per eos praedicatur,
Ut omnes expellantur.

15. Pastores ecclesiarum,
Quod non admiretur parum,
Et ipsi involvuntur
In ipsorum divitias,
Sectantes contumelias
Laicorum comitatu.

16. Latinitas paenuriam
Patitur et iniuriam,
Omnia vulgantur,
Brunus possidet cathedram
Ad scripturam reserandam,
Rustici magistrantur.

17. O quanta ignominia,
Dum iam cruenta bestia
Supplet vicem praelati!
Laicorum nunc collegium
Inurget clero taedium
Clamore bestiali.

18. Argumentum latratorum
Pugno, gladio, framea
Solvitur hostili,
Consonum benedicatur,
Ut laicus aratro iungatur
Spreto argumento.

19. Ideo iam non retaxet,
Condita cervix non laxet,
Fibria non somnizet,
O stupendorum genera
Illicitorumque foedera,
Aer ne agonizet.

Collect. ms. Ioh. de Praga, Cisterc. Aulae Regiae anni 1501. Cod. S. Crucis 334. — 1, 2 Horridorum amata(?). — 2, 6 satis fehlt; caeculo. — 3, 1 Et eorum decbuitas. — 4, 2 non addita. — 7, 1 Omnium benedictio. — 8, 6 pulsanti gefordert durch 9, 3, mit dem es reimt. — 9, 5 Cerberi atri. — 11, 1 Obulo wahrscheinlich verschrieben. — 11, 3 aptantur falerna. — 15, 3 Ut ipsi involvantur. — 15, 4 divitiis. — Das Lied handelt augenscheinlich von den Husiten. Latinität und Verskunst (cfr. 16, 1) stimmen völlig zu dieser „Heroenzeit" der tschechischen Nation.

320. De malis Sacerdotibus.

1. Sapiens hoc carmen audit
Libens, stultus aures claudit,
. . . .
Omnis stultus vitiosus,
Sapiens sed virtuosus,
Ut patet ex physica.

2. Ut habetur in ethicis
Per verba Aristotelis
Virtus unaquaeque
Medium exsistit intra,
Icarus sed venit extra,
Ergo peremit sese.

3. Iussa quod paterna sprevit,
Sol in eius alas sevit
Caumata, et cecidit;
Heu, sic multi sunt praelati
Saeculares, cucullati,
Clerici, quos edidit

4. Simonia, qui paterna
Iussa deserentes lerna
Inquinati corruunt.
Sacramenta et praebendas
Vendunt, emunt et emendas
Inde raro peragunt,

5. Illud iussum recusantes:
Gratis accepistis, dantes
Sitis gratis omnibus.
O quam multi clericorum
More negotiatorum
Viles sectantur quaestus!

6. Cauponizant et mercantur,
Mutuant, ut nanciscantur
Opes malas, deinde
Iussi parum recordantes,
Mutuum ut simus dantes
Sperantes nihil inde.

7. Ecce, quale sunt exemplum
Laicorum, quale templum
Christi eucharistiae!
Reor, quod a noxa horum
Rivet origo malorum,
Quae fiunt cotidie.

8. Quidam etiam praelati,
Postquam fiunt confirmati,
Plura, quam spoponderant,
Omnibus infringunt, quasi
Fidei de libro rasi
Se laute refocillant.

9. Subditos multum inanes
Quapropter tendunt ad manes,
Ponunt impotrabile
Dorsis aliorum, vere
Digito nolunt movere,
Non est hoc amabile.

10. Quidam clerici elati,
Vestibus non arte grati,
Literatos respuunt,
Plus amant ioculatores
Fistularum et clangores,
Hi virtutem deserunt.

11. Iussaque paterna pati
Medium tenent beati,
Cui virtus inerit,
Qui autem virtute caret,
Ut Boetio apparet,
Esse homo deserit.

Collect. ms. Aspacense saec. 13. et. 14. Clm. Monacen. 3215. add. saec. 13/14. — 9, 3 imperabile.

321. Incipiunt Decreta Simonis.

1. Sua Simon dat decreta,
Quod si bursa sit repleta,
Fiet praesul vel propheta
Davus, Birria vel Geta.

2. Non attendit probitatem
Neque mores nec aetatem,
Simon facit hunc primatem,
Hunc priorem, hunc abbatem.

3. Ad hoc pauper non accedit,
Accepturum nil se credit,
Nil habebat, nihil dedit,
Nec in sacra sede sedit.

4. Simon facit hos maiores,
Hos abbates, hos priores,
Nummos quaerit et non mores
Et nummatis dat honores.

5. Venter nimis incrassatus
Qualiscunque sed nummatus,
Apud omnes infamatus,
Quem plus inquinat reatus,
Si offerre sit paratus,
Fiet praesul et praelatus.

6. Et in sede collocatur,
Miser, a quo magis datur,
Tunc superbit, tunc inflatur,
Nil de Deo meditatur.

7. Sunt praelati, sed quid erunt?
Poenam tantum meruerunt,
Qui non crucem Christi ferunt
Nec salutem suam quaerunt.

8. Qui non portant crucem Christi,
Punientur poena tristi;
Si vis scire, qui sunt isti:
Praecursores Antichristi.

9. Non sunt Christi, sed dicuntur,
Quia Christum non sequuntur,
Qui mundanis abutuntur
Et in caudam relabuntur.

10. Inter hoedos numerati,
Sunt a Christo condemnati,
Non electi, sed vocati,
Sunt gehennae cibus dati.

11. Nihil eis est virtuti,
Carne caro quaerit uti,
Praesul procurandae cuti
Plus intendit quam saluti.

12. Non fit sermo de virtute,
Non est cura de salute,
Sed in procuranda cute
Student omnes praeacute.

13. Et dum venter satiatur,
Vis ardoris excitatur,
Ut a Paulo praedicatur,
Nubit praeses, ne uratur.

14. Hi mendaces, hi periuri,
Grex porcorum Epicuri,
Sancto domate securi
Volunt nubere, non uri.

15. Sunt tenaces, sunt avari,
Dare nolunt, immo dari,
Nummos quaerunt contemplari,
De favore populari
Volunt omnes gloriari.

16. Iudae perfidi sequaces,
Quos Veneris urunt faces,
Immo lupi sunt rapaces
Et hypocritae fallaces.

17. Omnes ad inferna tendunt,
Qui pro posse Christum vendunt,
Solis opibus intendunt
Et nos male reprehendunt.

18. Omnes tamen in occulto
Perpetrant maiora multo
Deo semper inconsulto,
Sed reatu non indulto.

19. Ventres male macilenti
Nihil exhibent egenti
Nec responsum dant quaerenti,
Nam in tantum sunt intenti
Fruttis auri vel argenti.

20. Quid de sexu non est cura
Et, si quaeris nosse plura,
Per hos sustinet natura
Turpi tantum in mistura
Violari sua iura.

21. Tales mores sunt eorum,
Talis vita praelatorum,
Et fiunt beati, quorum
Moles latent peccatorum
Per saecula saeculorum.

Collect. ms. S. Albini (et S. Maglorii) saec. 10—13. Cod. Vatic. Regin. 711. add. saec. 12/13.

322. De Avaritia Praesulum.

1. Satis verba varia
possem invenire
Et ea coloribus
variis vestire,
Sed quia prolixitas
solet fastidire,
Brevis esse cupio,
nolo lascivire.

2. Nolunt nostri praesules
liberos nos fore,
Immo volunt vivere,
nos servili more,
Qui non laudat omnia,
quae fatentur ore,
Si quem forte possidet,
pellitur honore.

3. In subiectos saeviunt
tyrannorum more
Et eos afficiunt
nimio dolore,
Quisquis dare poterit,
erit in amore,
Qui nil dare poterit,
erit in maerore.

4. Non formidant Domini
templa subhastare,
Care volunt vendere,
nihil gratis dare,
Nunquam vultus hilares
solent demonstrare,
Nisi prius loculus
incipit sonare.

5. Caritatem nominant
hoc, quod eis datur,
Simonia nomine
novo baptizatur,
Ad quid plura referam,
nemo sublimatur,
Nisi prius praesulis
bursa repleatur.

6. Quod sunt vera talia,
omnibus est notum,
Morbus iste volitat
per hunc orbem totum,
Quare vix invenies
unum sacerdotum,
A tam gravi crimine
penitus remotum.

Collect. ms. S. Albini (et S. Maglorii) saec. 10—13. Cod. Vatic. Regin. 711. add. saec. $^{12}/_{13}$.

323. De Simonia.

1. Est pretium in pretio,
Et vitiata praemio
Virtus est victa vitio,
Damnum plango commune,
Communi trahunt fune
Nos lucrum et ambitio.

2. Qui habet aures audiat:
Helisaeus gieziat,
Et Moyses adpropiat
Ad rubum calceatus,
Et pauper fit ingratus,
Cum gratis se discalciat.

3. Te videns infra speculum
Vultus Dei signaculum
Et ad lucri spectaculum
Sic currere spectaris,
Sacri dum oscularis
Secretum oris osculum.

4. Cruci servis nec in cruce,
Cum fers crucem lucro duce,
Inde casu crucis truce
Cruciamur merito
Ligni sacri subito
Eclipsata luce.

5. Poena patens est peccati:
Premunt nos praeputiati,
Vultum vituli conflati
Levat circumcisio,
Et regalis unctio
Servit falsitati.

6. Si vis regno, rex, regnare,
Spreto lucro te lucrare,
Pretio plus pretiare
Temet Christi pretium,
Qui dat suis praemium
Summum salutare.

Collect. ms. Veronense saec. 14. Cod. Oxonien. Canon. miscell. 95. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

324. De Iniustitia.

1. Vaeh vobis, hypocritae,
filii maeroris,
Qualis quisque lateat,
iam apparet foris,
Qui lux esse debuit
vitae melioris,
Per exemplum factus est
laqueus tortoris.

2. Vaeh, qui super cathedram
Moysi sedetis,
Lex a vobis legitur,
quam non confitetis,
Eius in ecclesia
speciem tenetis,
Cuius procul dubio
vitam non habetis.

3. Vaeh, qui mundum iudicas
sub humano die,
Sub te pugna graviter
David et Goliae,
Post vitae periculum,
post labores viae
Nosti dare miseris
litteras Uriae.

4. Vaeh, qui bonis hominum
faves et personis
Et ad voces pauperum
aurem non adponis,
Hic ecclipsim patitur
lumen rationis,
Ubi causa geritur
precibus et donis.

5. Vaeh, qui pro muneribus
mutas statum mentis,
Super causas positus
universae gentis,
Cum ad dona curritur
manibus extentis,
Causa quidem premitur
rei vel agentis.

6. Vaeh, qui pro sceleribus
impium non feris
Et cum pereuntibus
per consensum peris,
Cum offensam principum
tangere vereris,
Turpis lucri gratiam
pro mercede quaeris.

7. Vaeh, qui male spolias
Graecum et Latinum,
Ut in auro studeas
coronare vinum,
Non sic Christus habuit
Pondus netasinum
Panem cum discipulis
mittens in catinum.

8. Veniamus igitur
ad agones Christi,
Qui pro nobis voluit
ab tribunal sisti,
Quodsi bene novimus
opus Antichristi,
Non ad Christum pertinent
seductores isti.

9. Christus semel obtulit
hostiam pro mundo
Et, qui cedrus fuerat,
factus est arundo,
Sub Herode passus est
mundus ab immundo,
Ut suos educeret
lacu de profundo.

10. Christus morti datus est
ex patris decreto,
Eius Ionas meminit
positus in ceto;
Christus fellis poculum
bibens cum aceto
Dixit: Consummatam est
ordine completo.

11. Christus mori voluit
nova ratione,
Praeda factus eripit
praedam a praedone,
Sub Pilato mutus est
potens in sermone
Et qui salomonior
erat Salomone.

12. Christus pro Bersabee
caelos inclinavit,
Quam de patris solio
solam adamavit,
Liber inter mortuos
mortem non expavit,
Propter quod et Dominus
illum exaltavit.

13. Christus patientiae
praebuit doctrinam,
Nostrae carnis induit
vestem cilicinam,
Hoc illis in tempore
factus in ruinam,
Qui tenere renuunt
eius disciplinam.

14. Christus inter scandala
melius profecit,
Peccatori similis
peccatum non fecit,
Cum humanam corporis
speciem obiecit,
Non in fortitudine
fortem interfecit.

15. Christus dedit animam
mundi pro salute
Et pro mundo moritur
mundus absolute,
Sed iam pro vocalibus
accesserunt mutae,
Omnes quidem novimus
intus et in cute.

16. Ecce, dicet aliquis,
factus in ruina,
Qui relictis propriis
tractus peregrina,
Iam cortinas arguunt
saxa cilicina,
Voce dignioribus
detrahit sentina.

17. Super greges igitur
vigilent pastores
Et paulatim transeant
ad honestos mores,
Ut honestis moribus
congruant honores
Nec maiorum meritis
pereant minores.

18. Petrus petram convenit
versibus et metro,
Ut per metrum Petrus sit
generosus Petro,
Sicut quondam Moyses
acquievit Iethro,
Si quid iustum petimus,
non refellas retro.

19. Fraus est in notariis,
sed non fraus immota,
Hac in parte curiae
fides est remota,
Carta carens pretio
non carebit nota,
Sed scriptum reperies
apicem pro iota.

Collect. ms. Veronense? saec. 14. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 95. — ıbschrift von Rev. H. M. Bannister.

325. In Curiam Romanam.

1. Tuum, Sion, exsilium
Mirantur sol et sidera,
Ob cuius exterminium
Roma ruit adultera,
Huius obumbrat vitium
Legis ruentis litera,
Producitur in medium,
Cedat et Babel altera,
Regnante Romae vitio
Regnat omnis abusio.

2. Petrus iacet in vinculis,
Vetus iacet clementia,
Exaltatur in singulis
Simon et avaritia,
Neronizat in oculis
Suae prolis ecclesia,
Et, qui lux est in populis,
Recessit a iustitia.
Regnante Romae vitio
Regnat omnis abusio.

3. Vicem suam ius alterat,
Ordo naturae vertitur,
Mater suos eviscerat
Natos, quibus abutitur,
Aequum scelus exsuperat,
Fas in nefas convertitur,
Nummus per orbem imperat,
Qui pauper est, despicitur.
Regnante Romae vitio
Regnat omnis abusio.

4. Albinus servat ianuam,
Rufinus causas recipit,
Qui pupillum et viduam
Nihil ferentes despicit;
Uterque manum vacuam
Minando procul abicit
Dicens: nil dantes eruam,
Sic adulando decipit.
Regnante Romae vitio
Regnat omnis abusio.

5. Praebenti patet aditus
Eique fit petitio,
Nil dantibus introitus
Refutatur pro vitio;
In Romanis interitus
Crescit atque perditio,
Nam Roma rodens funditus
Non servit vili pretio.
Regnante Romae vitio
Regnat omnis abusio.

Collect. ms. S. Iacobi Leodien. saec. 13. Cod Darmstadien. 2777. — Iach dem Rundreime zu schliefsen, vielleicht auch Cantio.

326. Incipit planctus ecclesiae secundum statum modernorum filiorum et non praevignorum a quodam sacerdote editus.

I.

1. Rogo corde pertractari
Hoc breve compendium,
Quale mihi comitetur
Maxime dispendium.

2. Qui solebant gregem meum
Olim digne regere,
Modo non verentur Deum,
Nituntur me detegere,

3. Denudare, spoliare
Pannis istis vilibus,
Quae solebam quondam stare
Induta subtilibus.

4. Sic sum modo denigrata
Istis in squaloribus,
Quae quondam eram subornata
Aureis coloribus.

5. Olim qui me defendebant
Et morti se tradiderant,
Qui nec sua tunc quaerebant,
Sed propria perdiderant,

6. Nunc, quae sua sunt, quaerentes,
Non quae Iesu Christi,
Sic ad ima descendentes
Omnes hi et isti.

II.

1. Praesul cum canonicis
Sed et clerus totus,
Praelatus cum monachis
Super me est motus.

2. Abatissa non deest
Cum suis velatis,
Multitudo superest
Sexus et aetatis,

3. Quorum actus omnium
Non possum notare,
His videtur somnium,
Non volunt curare.

4. Imperator, duces, reges
Viam Dei respuunt,
Quondam qui solebant leges
Condere, nunc respuunt.

5. Miles, civis et mercator,
Omnes per ambaginem,
Vini cultor et arator,
Ruunt in voraginem

6. Omnes cum fallaciis
Et supplantatione,
Litibus, mendaciis
Et detractatione.

7. Quilibet subtiliter
Suum lucrum quaerit,
Nequiter, hostiliter,
Sic totus mundus perit.

III.

1. Haec a vobis clericis,
Qui estis Dei templum,
Fit ruina laicis
Vestrum per exemplum.

2. Vos legem offenditis
Et evangelistas,
Sanctos vos ostenditis,
Sic impletis cistas.

3. Monachorum quilibet
Non quaerit nisi suum,
Serit, regnat ubilibet
Meum atque tuum;

4. Duo haec pronomina
Scindunt unitatem.
Per tria tua nomina
Tolle vanitatem

5. Hanc, Deus piissime,
Per tuam maiestatem
Parce, clementissime,
Et redde caritatem.

6. Nam status claustralium
Nimium declinat,
Tuorum animalium
Nemo gregem minat.

7. Currunt nunc in biviis
Ut oves errantes,
Deviis et triviis,
Neminem curantes.

8. Terrae villas visitant
Nec non civitates,
Parum Deo militant
Propter vanitates,

9. Mores saecularium,
Quibus implicantur,
Rerum temporalium,
Quas illi imitantur.

10. Quem credebam monachum,
Deum ventrem habet
Et plus curat stomachum
Quam spiritum, quo tabet.

IV.

1. O si cum licentia
Possem enarrare,
Salva reverentia
Vellem revelare.

2. Quaedam currunt feminae,
Personae claustrales,
Venenosae semine
Seminant se tales.

3. Quondam erant sponsae Christi,
Nunc daemonis uxores,
In abditis deberent sisti,
Sed vanos gerunt mores.

4. Revelata facie
Vela deponentes,
In turbarum acie
Ementes et vendentes,

5. Serpunt veneficio
Habitum mutantes
Et saepe suo vitio
Frena sunt laxantes.

6. Non sunt istae monachae
Neque moniales,
Sed nec sunt canonicae,
Sed sunt curiales.

7. Virgines yconicae
Sic dicuntur tales,
Sed sunt daemoniacae
Vel daemoniales.

8. Comprimunt pectuscula
. . . .
. . . .
Lascivis et tenellis,

9. Quos trahunt subtiliter
Suum in amorem,
Quibus captis nequiter
Infligunt dolorem.

10. Suis amatoribus
Venenum dant pro melle,
Rhethoricis coloribus
Acetum dant cum felle.

11. Discurrunt prae foribus,
Sic implent suum velle,
Falsis cum odoribus
Teguntur agni pelle.

12. Hae student Ovidium,
Plane platearum
Felle stilicidium
Et faex feminarum.

13. Parant homicidium
Multarum animarum,
Utinam dimidium
Reservarent harum.

V.

1. Omnis iam religio
Iacet in ecclipsi,
A cuius vestigio
Non recedunt ipsi.

2. Qui per saecularia
Summis cedunt bonis,
Calcant spiritalia
Pro caducis donis.

3. Quae sit differentia
Militis et cleri,
Dei sapientia
Potest intueri.

4. Multi modo laici
Honestos gerunt mores,
Sic e converso clerici
Fiunt deteriores.

5. Nunc utuntur cingulis,
Gladiolis et peris,
Puto, quod in singulis
Non sit multum aeris.

6. Ubi est religio,
Ubi est tonsura?
Manet in fastidio
Animarum cura.

7. Quis potest has eripere
A morsibus luporum,
Iam incipit desipere
Sollertia pastorum.

8. Nam student has decipere
Quilibet raptorum,
Serpentes sunt et viperae
Desidia rectorum.

9. Plus a mercenariis
Laeduntur quam a lupis
Et falsis vicariis,
Si audire cupis.

10. Quondam erat gravitas
Et honestas morum,
Vanitatum vanitas
Modo tenet horum.

11. Consuetudo flebilis
His in detrimentum,
Quae nimis est fallibilis
Et ducet in tormentum.

12. Pro corona gloriae
Nnnc nutritur coma,
O flebilis memoriae,
Cur pateris haec, Roma?

13. Pompam huius saeculi
Student ampliare,
Nec timent periculi
Poenam evitare.

14. Non pugnant cum militibus
Rem publicam tenendo,
Sed manent cum divitibus
Thesaurum componendo.

15. Ebriosis litibus
Immergunt se bibendo
Nec cum sacerdotibus
Precantur in psallendo.

16. Asser, tesser, alea
Praesentantur ibi,
O Iesu Christe, qualia
Vota reddunt tibi!

17. Raro breviarius
Illic adportatur,
Sed timeo, quod rarius
Boni quid agatur.

18. Ubi vinum carius
Sit, interrogatur,
Ibi tabernarius
Quam Christus plus lucratur.

19. Adest cellerarius,
Et vinum ministratur,
Locus et notarius
Quivis sollicitatur.

20. Nunc venit camerarius,
Et mensa praeparatur,
Post adest stabularius
Et equus exornatur.

21. Aperit portarius,
Ad campum equitatur;
Cursitat avarius,
Ut aer capiatur.

22. Mos iste necessarius,
Sic tempus breviatur,
Occurrit pauper varius,
Sed illi nihil datur.

23. Vigilant in lusibus
Ad horam matutinam,
Pro divinis usibus
Ordinant coquinam.

24. Verba volant Veneris,
Pudoris inimica,
Huius mundi sceleris
Nimis impudica.

25. Vivunt in deliciis
Et sequuntur castra
In mundi divitiis,
Nec itur sic ad astra.

VI.

1. Schisma, sacrilegium
Modo venerantur,
Quorum privilegium
Multi imitantur.

2. Simonis officium
Multi prosequuntur,
Cuius maleficium
Amplecti nituntur.

3. Quod quondam erat dedecus,
Nunc honor reputatur,
Iustitiae famelicus
A multis detestatur.

4. Nefas nunc qui prohibet,
Ab omnibus oditur,
Sed qui se vanum exhibet,
Libentius auditur.

5. Omnis iam devotio
Dormit, tepet, nutat,
Sed veri subtractio
Viam Dei mutat

6. In concupiscentiam
Et in vanos mores;
Non curant continentiam,
Sed gulam et honores.

7. Quaeritur nunc otium
Omnium bonorum,
Lucrum et negotium
Mundanorum horum.

8. Quaeritur nunc corporis
Amor, honor, favor
Huius nostri temporis,
Regnat livor, pavor.

9. Crevit turba Simonis,
Proficiunt Giezitae,
Voce clamant daemonis:
Ite et venite.

10. Aurum si ostenditur,
Metalla, numisma,
Donum Dei venditur,
Nec timetur chrisma.

11. Legem, evangelium
Multi perverterunt,
Numismatum auxilium
Pro divino quaerunt.

12. Crescunt temporalia,
Spiritus decrescit,
Ad haec et ad aequalia
Quivis inardescit.

13. O pastores animarum,
Oviculas defendite,
Auscultate ergo parum
Et verbum attendite.

14. Quorum curam recepistis,
Honorem cum onere,
Pro quibus certe debuistis
Vitam vestram ponere,

15. Ut a lupis eruantur
Et pseudoprophetis,
Per quos multum infestantur,
Et tantum siletis.

16. Vos reddetis rationem
In die iudicii,
Recepturi talionem
Regni vel supplicii.

17. O quot lupi nunc a grege
Vorant lac et lanam,
Et qui vivunt sine lege,
Sectantes viam vanam.

18. Equitantes, cursitantes
Per omnes mundi plagas,
Vanitatem imitantes,
Linquentes oves vagas.

19. Quarum Deus curam gerat
Et protegat illas,
Cum salute sua ferat
Ad sedes tranquillas.

VII.

1. Vae vobis, hypocritae,
Sic dicetur clero,
Rationem reddite
Coram Deo vero.

2. Qui peccata hominum
Iugiter sumpsistis,
Pro quibus caelo Dominum
Orare debuistis.

3. Pro vestris sceleribus
Non paenituistis,
Sed nova veteribus
Semper addidistis.

4. Tumet, iubet et inflatur
Doctor decretorum,
Scriba legis exaltatur
Librorum sacrorum.

5. Si sic Deus honoratur,
Turba felix horum,
Sed, heu, plus dehonestatur
Perversorum morum.

6. Pauper hic despicitur
Nummo cum albino,
Sed dives respicitur,
Praefertur cum rufino.

7. Non ingreditur ad eos
Causa vidualis,
Sine nummo facit reos
Quorundam decretalis.

8. Pro tam vili pretio
Iura vendunt tales,
Aequalis discretio,
Quantum habes, vales.

9. Post hos assunt advocati,
Et tabelliones,
Qui cum multis sunt vocati,
Reddunt rationes.

10. Si cum paucis sint electi,
Quam felices illi,
Ubi multi et perfecti,
Semper sunt tranquilli.

11. Inter istos sunt devoti
Viri non errantes,
Summo Deo bene noti
Iustitiam sectantes.

VIII.

1. Prosequor compendiose
Voce lacrimosa,
Conquerendo dolorose
Tota ruinosa.

2. Sal terrae dicimini,
Subditi praelati,
Lux mundi scribimini,
Omnes literati.

3. Si sal infatuabitur,
In quo salietur?
Reprobum probabitur,
Ut pedibus calcetur.

4. Nova semper cuditis,
Vetera mutatis,
Pauperes retunditis,
Falsa fabricatis.

5. In vobis et in subditis
Graviter peccatis,
Latetis in abditis,
Minime latratis.

6. Deo quod absconditis,
Quod carum boni datis,
Gratis nihil facitis,
Hoc est mirandum satis.

7. Qui favorem venditis
In his terrae pratis,
Mortem non attenditis;
Vae vobis praelatis!

8. Cervicem extenditis,
Frena relaxatis,
Iustos vilipenditis,
Iniustos exaltatis.

9. Multos reprehenditis,
Vos semper excusatis,
Errores defenditis,
Sic barathrum intratis.

10. Quondam me persequebantur
Iudaei et pagani,
Quorum actus imitantur
Falsi christiani.

11. Meis quoque uberibus
Dulci lacte pavi,
Affligunt me sceleribus,
Pro quibus preces stravi

12. Sponso meo iugiter,
Qui fuderat cruorem
Pro eis mirabiliter
Victus per amorem,

13. Sacratis vulneribus
A morte quos exemit,
Ditissimis muneribus
Ab inferis redemit.

14. O caecorum caeci duces,
Qui vos excusabunt,
Cum accusatores truces
Constanter accusabunt?

15. Vos estis peremptorie
Breviter citandi,
Quid erit tunc memoriae
Negatis mora fandi.

16. Ninivitae, Sodomitae
Levius habebunt,
Cum vobis dicetur *Ite*,
Tunc corda pavebunt.

17. Stabitis attoniti
Sine ratione,
Prius tamen moniti
Cum dilatione.

18. Nil datur ianuario
Vel prolocutori,
Nil protonotario
Nec defensatori,

19. Neque cellerario
Nec adulatori,
Neque camerario
Nec procuratori.

20. Sedebit pro tribunali
Leo de tribu Iuda,
Cuncta boni sive mali
Tunc patebunt nuda.

21. Omnia in veritate
Iuste iudicabit,
Iustis vitam indilate,
Iniustis mortem dabit.

22. Quondam eram paupercula
Ex corde patris nata,
Simplex muliercula.
Humilis et grata.

23. Nunc sum in regalibus
Nimis exaltata
Et in tribunalibus
Gloria ornata.

24. Castris et palatiis,
Pulchris ornamentis,
Pluribus solaciis,
Stipor fulcimentis.

25. In gazophylaciis,
Auri blandimentis,
Sophisticis fallaciis
Et in argumentis,

26. Variis coloribus
Pulchris et ornatis,
Ornor a victoribus
Plus quam a praelatis.

27. Ducor nunc in curribus
Elatis et falcatis
Et in altis turribus,
Muratis et quadratis.

28. Specioso conqueror
Summi regis nato,
Quod sic modo desolor
In hoc terrae prato.

29. Quondam enim habui
Amatores plures,
Omnes tabent, tabui
Quia, quasi fures.

30. Carnis quaerunt gloriam
Vanam et honores,
Sic aurum fit in scoriam,
Et pervertuntur mores.

IX.

1. Viri venerabiles,
Sacerdotes Dei,
In fide sitis stabiles
Et serviatis ei.

2. Vos, qui eius filium,
Manibus tractatis,
Angeli consilium
Cum hoc habeatis.

3. Consecratis, ministratis
Christi sacramentum,
Manducatis, adprobatis
Novum testamentum.

4. Caritatem, fidem, spem
Invicem sectantes,
Caelestem in Ierusalem
Intrabitis laetantes,

5. Si tamen spreveritis
Mundi vanitatem
Et sobrie vixeritis
Amantes castitatem.

6. Non frangant vos contraria,
Si mala sustinetis,
Nam per haec angaria
Vitam invenietis.

7. Servus Christi in timore
Debet semper vigilare,
In labore et fervore
Temptamentis repugnare.

8. Contra diabolicas
Artes resistendo,
Tandem apostolicas
Virtutes obtinendo.

9. Finito certamine
Erimus uniti,
Finali in examine
Optime muniti.

10. Tunc pro nobis Dominus
Christus, sponsus meus,
Stabit nihilominus
Verus Homo-Deus.

11. Nos amplectens dulciter
Ardenti caritate,
O quam mirabiliter
Cum summa largitate!

12. Ducet nos intrinsecus
Mirae suavitatis,
Quondam qui forinsecus,
Eramus, cum beatis.

13. Nobiscum aeternaliter
Gaudebunt sine fine
Sic toti totaliter
Gloriae divinae.

14. Illi unanimiter
Erimus haerentes,
Sed et aequanimiter
Semper congaudentes.

15. Nunc oremus Dominum,
Qui nobis est fidelis,
Qui pro salute hominum
Ad nos misit de caelis

16. Dilectum suum filium
Pro nobis exsulare,
Ut nobis det auxilium,
Pugnando triumphare,

17. Ut post hoc exsilium
Mereamur conregnare,
Iniquum ne consilium
Nos possit arrestare.

Collect. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. [et 16.]. Cod. Treviren. 228. — III. 5, 3 piissime. — 8, 1 Fere villas. — IV. 1, 2 narrare. — 2, 1 Quidam. 5, 4 sunt fehlt. — VI. 15, 3 Per quod. — VII. 8, 4 habes, tantum vales. — VIII. 11, 1 verberibus. — 20, 3 Cuncta bona sive mala. — 26, 3 Lies: a rhethoribus? — 28, 1 Sponso specioso. — IX. 10, 1 Dominus fehlt.

327. De Peccato Adami.

1. Adam, Adam, primus homo,
Cur damnatus es pro pomo,
Quod sumpsisti contra Deum?
Hoc te fecit esse reum.

2. Adam, Adam, quid fecisti,
Quare stolam amisisti,
Qua indutus immortalis,
Angelis eras aequalis?

3. Serpens nequam me decepit,
Meum genus sic reiecit;
Miserere mei, Deus,
Ad te clamat Adam reus.

Collect. ms. Benedictoburan. saec. 12/13. Clm. Monacen. 4612. add. saec. 13.

328. Conflictus Iustitiae et Misericordiae.

1. Post peccatum hominis
iam facta ruina,
Dum vitam deceperat
mors adulterina,
Peccati cotidie
crescente sentina,
Audita est clementia
sic loqui divina:

2. O creator optime,
bonitas nativa,
Boni naturaliter
virtus effectiva,
Homo tibi similis
et imago diva
Iam prostratus pariter
fraude temptativa.

3\. Vera veri bonitas,
sine quo nil bonum,
A quo [manat unice
omnis] vitae donum,
Paradisi feceras
hominem colonum,
Nunc tuum in tenebris
plasma iacet pronum.

4\. Tu illi construxeras
ornamentum poli,
Quid mirum, quod adeo
valuere doli;
Serpens atque femina
nocuere soli,
Non intres iudicium,'
condemnare noli.

5\. Respondens iustitia
dixit pietati:
Nescis reverentiam
ferre maiestati,
Retractas iudicium
hominis damnati,
Fixum est chirographum
iuris consummati.

6\. De throno iudicia
prodeunt immota,
Omnis mutabilitas
prodit hinc remota,
Veri iuris ratio
non est tibi nota,
Quid retractas iurgia,
quae probavit rota?

7\. Nec respondit pietas
nec vult disputare,
Sed profusis lacrimis
non cessat orare,
Deo carmen intimat,
sibi rogat dare,
Quod rogandum praevenit
et facit rogare.

8\. Iudex, inquit, optime,
ne reus damnetur,
Nec eius infirmitas
culpae deputetur,
Serpentis astutia,
si bene notetur,
Peccantis simplicitas
veniam meretur.

9\. Super eum viscera
mea sunt commota,
Hominis infirmitas
tibi bene nota,
Et quia post culpam mens
est tibi devota,
Causa rei simplicis
non est rea tota.

10\. Tu, qui cuncta diligis
affectu paterno,
Hoc non ordinaveras,
pater, ab aeterno,
Homo quod de patria
et regno superno
Esset periturus sic
peccato veterno.

11\. Ecce, malum hominis
sic iacet inflictum,
Ut nolenti misero
subrepat delictum,
Peccatum cum homine
sic habet conflictum,
Quod infirmum vulnerat
et non sentit ictum.

12\. Peccatores miseros
sic nectit catena,
Ut peccati causa sit
et peccati poena,
Ex usuris criminum
succrescit catena,
Et, cum ex origine
sit corrupta vena,

13. Peccatum inhabitat
putre carnis folle,
Quod in vase nascitur
mors istius ollae,
Caro cogit hominem
illud velle, nolle;
Ergo parce gladio
et vindictam tolle.

14. Ecce, sub tot hostibus
et sub tot ruinis,
Quem creasti, Domine,
tuus iacet cinis,
Tuum plasma, Domine,
cur perire sinis?
Nunc festina, tempus est,
et memento finis.

15. Vix bene finiverat
pietas sermonem,
Et secretam consulens
Deus rationem,
Ut captivum liberet
et vincat praedonem,
Hanc profudit gratiae
fons orationem:

16. Pie mones, filia,
ceteris plus grata,
Quod te movet hominis
forma deformata,
Sed sola iustitia
tenet immutata
Mala, quae per hominis
culpam sunt librata.

17. Restat ut consilium
pandatur secretum,
Et suum iustitia
temperet decretum,
Et, cum profundissime
fuerit impletum,
Hominis redemptio
finem ferat laetum.

18. Serpens conculcabitur
iusta talione,
Ut sit meus unicus
victor in agone,
Et pax et iustitia
praedato praedone
Osculo se copulant
pia iunctione.

19. De serpente capia
prudenter tropaeum,
Placet, quod humilitas
carne tegat Deum,
Ut temptator hominum
invadendo meum
Innocenter opprimens,
iure perdat eum.

20. Fiant ergo nuptiae
nato Deo Dei,
Ut destructa penitus
parte Iebusaei
Vetus mortis spolium
restauretur ei,
Dividantur spolia
domus speciei.

21. His assistant nuptiis
caeli hierarchiae,
Sonent hymni, cantica,
sonent symphoniae,
Verbum patris unicum,
eiusdem usiae,
Ut in vellus pluvia,
sic descendat pie.

22. In Aegypto virginem
despondi servire,
Quam antiquus Pharao
vetabat exire,
Sub luto, sub latere
cogit oboedire,
Ut tandem ad patriam
vix speret redire.

23. Inter colli vincula
suspirat in malis,
Maior formae decor est
quam squalor poenalis,
Fuscam sol exusserat,
sed vultus regalis,
Inter Sion filias
nulla fuit talis.

24. Igitur rex nobilis
et veri decoris
Sponsam quaerit nobilem,
tantis dignam thoris,
Et quae tanti gaudii
digna sit, honoris
Ut intret palatium,
divini amoris.

25. Ille patris unicus
in hanc aestuabat,
Paranymphum virgini
statimque legabat,
Patris formam virgini
plurimum laudabat,
Quis, qualis et unde sit,
quid velit, mandabat.

26. David cum psalterio
sponsam salutavit
Et epithalamicum
carmen exsultavit,
Isaias gloriam
sponsi proclamavit,
Prophetarum quilibet
idem nuntiavit.

27. Virgo decus audiens
regis et decorem,
Regnum et divitias,
thesauri nitorem,
Ut Aegypti exeat
squalidum foetorem,
Servus regis sequitur
promittens amorem.

28. Procedant de thalamis
chori puellarum,
Laeta replent spatia
coetus reginarum,
Fides, spes, humilitas
et mater earum
Ordinavit caritas
cibos nuptiarum.

39. Stant adulescentulae
vultu decoratae,
Astant regum filiae
sponsae praeparatae,
Indumentis variis
decenter ornatae,
Ut regina splendeat
in varietate.

30. Sponsa petit osculum
copulantum more,
Sponsus sponsae virginis
gaudet in amore,
Zelat regis purpuram
et novo splendore
Sumit vestem de Bosra
tinctam in rubore.

31. Supernorum acies
et chori psallentum
Quaerunt, unde rubeat
regis indumentum;
Latet hic mysterium
et hoc tegumentum,
Quia sumptum ex Edom
fuit et inventum.

32. Inde sponsi thalamo
praeparatur lectus,
In quo sibi copulat
dilectam dilectus,
Et ut sponsus pectori
sponsae iungat pectus,
Sic in sponsam defluit
caelestis affectus.

3. Lectus ille floridus
ex lignis olivarum
Cetimque mox sternitur
et lignis palmarum,
Paradisi species
mitis resinarum,
De quibus conditum est
opus illud clarum.

4. Cherubim et Seraphim
assistunt cum thronis
Et epithalamicum
suis cantant donis,
Stant viginti quattuor
senes cum coronis,
Et servant fortissimi
lectum Salomonis.

5. Advocantur virgines
et circumdant thorum,
Ut cantent suavissime
carmen angelorum,
Inter quas et decima
fuit, haereticorum
Falsis scriptis intonat,
vult turbare chorum.

Arrianus.

6. Quas laudatis nuptias,
quaenam sunt et quare?
Contra naturalia
vultis delirare,
Praesumentes virginis
partum praedicare
Vel in tribus unicum
Deum adorare.

Nestor.

7. Protopanton, thogaton,
summus illocalis
Semper fuit et erit,
semper est aequalis,
A se nunquam discrepans,
nunquam inaequalis;
Fecit hoc anomalum,
ut esset mortalis?

Plato.

38. Ista non est logica
nec theologia,
Sed adultis mentibus
quaedam phantasia,
Cum super tot spatia
fert allegoria,
Non est ista veritas,
sed falsigraphia.

Sabellius.

39. Nunquam talis potuit
fieri descensus,
Quod mortalis fieret
creator immensus,
Intellectus deficit
et delirat sensus,
Ut mortem susciperet
in cruce suspensus.

Nicolaus.

40. Ista monstro similis
videtur doctrina,
De gigantum fabula,
non de re divina,
Quod res trina una sit
et res una trina,
Fingunt hoc haeretici
vel, qui potant vina.

Manichaeus.

41. Qui creare potuit
cuncta nec creari,
Suo, quo vult, ordine
iubet ordinari,
A naturae tramite
nil prorsus maechari,
Numquid ipse potuit
homo transformari?

42. Sic opponens ratio
magis insistebat,
Ad diversas haereses
species movebat,
Nestoris et Arrii
partes inducebat,
Sed fides haec dogmata
ultra non ferebat.

43. Fides ergo rotulit
paulisper commota:
Dogmata, quae praedicas,
non sunt tibi nota;
Procul a sacrario
nostro sis remota,
Non nosti caelestia,
non rotam in rota.

44. Singularis trinitas
totum unum esse,
Pater et paraclitus,
flos de virga Iesse,
Per trinas hypostases
creduntur expresse,
Ut sit una deitas
et totum unum esse.

45. Isdem tribus esse est
consubstantiale,
Nihil ibi dispar est,
nihil inaequale,
Sicut una deitas,
sic unum aequale,
Tres sunt, sed tribus abest
omne numerale.

46. Deo Dei filius
nescius abesse,
Sic assumit hominem,
quod non mutat esse,
Nostrum voluntarie
Suscepit necesse,
Sponte carnis legibus
dignatur subesse.

47. Et dum fit assumptio
carnis unione,
Non mutat substantiam,
habitum personae,
Nulla fit transsumptio
de coniunctione;
Cessent nunc arguere
de hac assumptione.

48. Hoc non potest ratio
disputando scire,
Nec intrare poteris,
cum velis exire,
Si desistes quaerere,
potes invenire
Et cognosces optime,
si velis nescire.

49. Fides haec catholica,
per hanc salvus eris,
Via non est alia,
qua iustificeris,
Firmiter, fideliter
credere iuberis,
Et, si non credideris,
in aeternum peris.

50. Veritas interea
non vult argumenta,
Sed languenti Iericho
praeparat unguenta,
Duos dat denarios,
duo testamenta,
Vinum stabularius
praeparat, fomenta.

51. Parte levat altera
filium mendicum,
Omnes opes abstulit
amor meretricum,
Stolam fert et annulum
post opus iniquum,
Fratrem licet habeat
aemulum antiquum.

52. Ad regales nuptias
multi confluxerunt,
Reges Tharsis et insulae
munera tulerunt,
Tyri et Aethiopes
ibidem fuerunt,
Ex Aegypto pariter
legati venerunt.

53. Tunc ponuntur fercula
mirando nitore,
Nardus, crocus, cassia
concertant odore,
Panis vitae ponitur
ferculo priore,
Sapit omnifaria
manna suo more.

54. Tunc caelestis curia
tota movet cantus,
Summique caelestium
chori cantant sanctus,
Cherubim et Seraphim
cantant sanctus sanctus,
Omnes sancti clamitant:
sanctus, sanctus, sanctus.

55. Sine fine clamitant
milia centena,
Sine fine talis est
nuptialis cena,
Eius ad sollemnia
nos ducat de poena,
Cuius mensa gaudia
semper habet plena.

Collect. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 374 (306). — 4, 5 et femina. — 9, 4 est tibi bene. — 9, 5 per culpam. — 9, 8 est tibi rea tota. — 14, 2 tot fehlt. — 17, 8 feret. — 22, 8 sperat. — 23, 3 forma. — 28, 3 spatio. — 33, 2 et lignis. — 42, 3 diversos. — 45, 1 est fehlt. — 54, 3 que fehlt. — 54, 4 chorus.

329. De Divite et Lazaro.

O tu, qui miseros spernis nec nutris egenos,
Cum legis haec, pensa pia Christi brachia tensa.
Maxima qui gratis recipis, cur parva negabis?
Marmora rite colis, non Christum, sat modo perdis.
Divitis, en, recole flagrantia, mente revolve,
Qui renuit Lazari mendici vel misereri.
Affluit hic dapibus, Larzarus ieiunat egenus,
Hic epulis gaudet, nec micas obtinet ille.
Mors subit et propere vita privatur uterque,
Iure datur barathro locuples, pauper paradiso,
Extremo Lazari digiti petit inde liquari.
Divitis hinc epulae pensantur deliciaeque,
Atque fames inopis pensantur et ulcera tristis,
Uritur ille malis, congaudet iste beatis.
Haec, miser, haec cogita, subeas ne tartara, vita.
Da tua; quae tua sunt, post mortem nil tibi prosunt.
Tunc bene servatur substantia, si tribuatur.
Quid tibi, si mundum totum complecteris istum,
Post hac perpetua crucient te saeva flagella?
Hunc imitare, rogo, qui se et sua donat egeno,
Sic poteris vere Christum sine fine tenere,
Non aliter, crede, poteris super astra sedere.

Collect. ms. incert. orig. saec. 15. Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 523. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

330. De Bello Sacro.

1. Tolle sarcinulas,
Qui crucem baiulas,
Ad crucis proelium
Pes currat fortium;
Nunc sponsi filii
Palmam martyrii
Tollunt per gladium.

2. Transit pericula
Petri navicula
Nec tota mergitur,
Sed ventis quatitur,
Ut mundum deserat
Et fructum referat,
Quisquis compatitur.

3. Haecne consideras,
Quisquis desideras
Honorum onera,
Lucra vel munera?
Exi iam propere,
Exuto vetere
Prima fac opera.

Collect. ms. Veronense? saec. 14. Cod. Oxonien. Canon. Miscel. 95. — Abschrift von Rev. H. M. Bannister.

331. De Vino et Venere vitandis.

1. Qui poetarum dogmata
Vult sequi, spernat vitia,
Discat honeste vivere,
Nullum se prorsus laedere,
Adiungat se maioribus,
Subiectus sit virtutibus.

2. Sed Bachum qui cum Venere
Vult indiscrete colere,
Virtutum est apostata,
Unde sonant proverbia,
Quod vini sint commercia
Honorum mors et femina.

3. Qui colit haec intrepide,
Deum perdit praecipue,
Parentes, sensus, dominos
Mores, mentem et socios,
Tempus . . . . . .
. . . .

Collect. ms. S. Floriani saec. 13. et 14. Cod. Florian. XI 587. add. saec. 14. — 3, 5 fini sint.

332. Versus de accipitre et pavone.

1. Avis haec magna
Ad astra tendit
Alta, sublimes
Aspergens voces
Agnum conlaudat,
Auctorem cunctis.

2. Bonus plasmator
Bene laudetur,
Bona per orbem
Bene formavit,
Bona percomplens
Benigne tegit.

3. Contectis plumis
Concussit pennas,
Cauda coruscat
Colore fulgens,
Cantum emittit,
Cunctis praecellit.

4. Dilatat pavo
Dignis triumphis
Diversis modis
Duo in rotis
De parvis membris
Decior cunctis.

5. Extrema die
Extinctus sole,
Excelsa subens
Evadat mala,
Extendens plumis
Evolat summis.

6. Fortis acceptor,
Firmior pavo,
Ferocem sive
Fidus despexit,
Felix, invictus,
Firmus permansit.

7. Gloria ipsi
Gaudens vicisse,
Girans in circo,
Gestans in plumis,
Gavisus canit
Gloria pompis.

8. Huic volatu
Hangeli vultus
Honesto modo,
Hilari vultu,
Hoc est mirandus
Huius aspectu.

9. In tempus veri,
Ignis et floris
Iungunt pennata,
Invitant pascha,
Invicem sonant
Ipse et pavo.

10. Largum [hi] plaudent
Linguis vibrantes,
Liquescunt melle,
Longe sonantur,
Laudantque patrem,
Laeti canemus.

11. Mirum probatur
Mortua, carnis
Multum post tempus
Marcida linquens,
Malaeque muscae
Minime tangunt.

12. Nullusque tempus
Nunquam excedit,
Nullusque vermis
Nunquam voratur,
Nec ullus quidem
Non invenitur.

13. Ovum exitus,
Oblitus nidum,
Ornetur plumis
Oportet cauda,
Obvia cunctis
Offerens bella.

14. Pulchra est iuncta
Pavone pugna,
Pergunt simul[que]
Pedes vibrantes,
Plagis cruentis
Pectus attendunt.

15. Quam pulcher totus
Quasi platanus,
Qui hoc viatur
Quem quod gemmatus,
Quod videns pectus
Quasi zmaragdus.

16. Regali ritu
Rutulet pavo,
Recte cum digno
Rege locabo,
Regali . .
Reguli esto.

17. Satisque pinguis,
Satiat nimis
Sapor vel gustus,
Satiat pectus,
Solusque bonus,
Similis nullus.

18. Trinitas summa,
Tibi sit gloria,
Tu factor bone,
Tu cunctis vita,
Tanta quae magna
Tegit sub astra.

19. Unumque trinum,
Unus triumphis,
Uerus occisus,
Uerus aeternus,
Uolans ad caelum,
Uivens aeternus.

20. Xristus est natus,
Xristus est passus,
Xristus in cruce,
Xristus se iussit,
Xristus (in) sepulcro,
Xristus (re)surrexit.

Collect. ms. Laudunense saec. 10. Cod. Bernen. 455. — 2, 6 Benigna. — 4, 6 Decior wohl so viel als Decentior. — 5, 3 Excelsas. — 5, 4 male. — 6, 1 acceptor für accipiter. — 7, 1 Gloriam. — 8, 1 Hic in. — 8, 2 vultu. — 9, 1 viri. — 9, 2 cum floris. — 10, 2 vibrantis. — 10, 3 Liquescet. — 11, 5 Malique. — 11, 6 tangit. — 13, 2 oblitum nidu. — 13, 3 Ornatur. — 15, 1 pulcher. — 15, 4 unverständlich. — 16, 6 esso. — 18, 1 sumat.

333. Dialogus Avari.

1. Quicunque vult salvus esse,
Ut contemnat est necesse
Crimen avaritiae,
Nulla gratis dat avarus,
Largitatis est ignarus,
Virtutis et gratiae.

2. Responsio haec avari:
Nos oportet gloriari
In cruce nummi Domini,
Paupertas non habet leges,
Dum tu tantis rebus eges,
Quae sunt tibi laus homini.

3. Dona gratis, ut sis gratus,
Felix eris et beatus
Et te Deus diliget,
Nam hilarem donatorem,
Largientem more morem,
Deus sibi eliget.

4. Sperne factum huius modi,
Dixit Cato, rem custodi,
Dilige denarium;
Nam qui sua sic consumit,
Aliena quando sumit,
Vertitur in odium.

5. Vilis opum est acervus,
Quas tu servas quasi servus;
Largitate fungere!
Ut mihi sit laus et honor,
Non meis me rebus conor
Quasi servus subdere.

6. O quam felix, quam amoena
Opulenta fit crumena
Et nummorum copia!
Ubi nummi, ibi census,
Ubi amor, ibi sensus,
Ibi pax et gloria.

7. Cum sis plenus aeris tanti
Tibi prava abundanti
Quid prosunt divitiae?
Ego satur, tu ieiunus,
Fames una, dolor unus
Angit te cottidie.

8. Opes donant quodvis donum,
Nummus solus summum bonum
Et perfecta caritas,
Nam quantitas quantitatum
Et potestas potestatum
Sola nummi quantitas.

9. Quid in nummo nisi forma,
Per quem perit legis norma,
Sepelitur ratio?
Augmentum est falsitatis
Et sepulcrum veritatis,
Mentis est confusio.

10. Opes omne bonum docent.
Et quid mihi verba nocent,
Sit salva pecunia?
Non res meae moriuntur,
Stultitiam patiuntur
Fecunda marsubia.

11. Opes tuae te derident,
Quia dicunt, qui te vident,
Quod opes te capiunt;
Congregando te enervas,
Possidebunt res, quas servas,
Qui te mori cupiunt.

12. Ergo vere, cum mundana
Tam lubrica sint et vana
Sine boni pondere,
Amnis more si defluant,
Divitiae si affluant,
Nolite cor apponere.

Collect. ms. Henrici Schedel Nurenbergen. saec. 15. Clm. Monacen. 416. — 3, 6 eligit. — 4, 2 Dixit cather. — 5, 5 me fehlt.

334. De Hospitalitate.

1. Cum Deus in principio
Cuncta creaverat,
De caeli tandem solio
Verbum et miserat
Naturae praeiudicium
Fit natus de virgine
nascendo.

De causis saluberrimis
Deus incarnatur,
Omissis sed plurimis
Sola nunc dicatur,
Ut expiaret vitium
Factus est virtutes
docendo.

Quas sua sapientia
Singulariter
Factis decoravit,
Sed unam per insignia,
Dum Thetidem in Lyaeum
Nuptiis commutavit,

Et quando quinque milia
Monte praedicando
Cibavit quinque panibus
Plenam his copiam
ministrando.

2. Haec virtus hospitalitas
Dici promeretur,
Nil valet, si non caritas
Illi maritetur,
Ne fiat cum tristitia,
Ipsam vultus hilaritas
decoret.

Creator enim hilarem
Amat largitorem,
Servemus morem comparem
Hunc sequendo doctorem,
Donantes cum laetitia
Nec fraus vel subsannatio
laboret.

Hospitem decet hospites
Curialibus
Verbis pertractare,
Quolibet actu permites
Eosdem familiam
Condecet honorare;

Nam probi augent famuli
Decus hospitii,
Sed servi nequam denigrant,
Pleni sint iugiter hi
supplicii.

3. Nonnulli sunt in propriis
Per te manducantes,
Extraneis hospitiis
Laute convivantes,
Illorum hospes fieri
Non delectatur *Henricus*
Moralis.

Talium vita sepulcrum
Iuste iudicetur,
Quod foris est nimis pulchrum,
Sed intus videtur
Vermibus variis repleri,
Foetore multimodis-
que malis.

Sophistice forinsecus
Pavonina sunt
Cauda decorati,
Atque domus intrinsecus
Ardealibus anis
Sopitur depravati,

Quorum crebro familia
Nolens ieiunaret,
Si clavis eos saepius
Seris adulterina
non cibaret.

4. Medii Christus loculum
Semper diligebat,
Per illud nos signaculum
Omnes instruebat,
Virtutum vectus circulis
In medio quod staret
vitiorum.

Hospes, in te discretio
Decet motitari,
Ne dicta virtus vitio
[Possit] depravari,
Servetur dandi modulus
Eligendo medium
extremorum.

Largitorum tene stateram,
Prodigalitas
A te propulsetur,
Avari nec ama peram,
Qui nunquam ut hydropicus
Vel barathrum repletur.
Sic nostras res hospitibus
Rite largiamur,
Post mortem nos caelestibus
Ut epulis cum Christo
perfruamur.

Collect. ms. Stiriacense saec. 15. Cod. Stiriacen. L 26 [s. n.]. — 1, 24 Plena. — 2, 18 permitti. — 3, 16 sq. cauda sunt. — 4, 24 Ut fehlt. — Inhaltlich Lehrgedicht, der Form nach den Cantiones und den deutschen Meistersängen verwandt. Den Verfasser nennt 3, 6 sq. Henricus Moralis.

335. De VII Artibus Liberalibus.

1. Praevia grammatica
sedet in senatu,
Ipsa nutrix artium,
quodam principatu
Praeminens sororibus
atque maior natu,
Fido tamen obsequens
illis famulatu.

2. Artis haec textoriae
gerit instrumenta,
Texere sororibus
solet indumenta,
Nam librorum series,
quos haec est commenta,
Artibus dat vestium
quasi velamenta.

3. Post hanc dialectica
Vultu celsiore,
Gressu statim rapitur
expeditiore,
Vernat eius facies
vivido colore,
Perspicaci radiat
oculus vigore.

4. Quodam privilegio
vultus praesignita,
Nunc sorores instruit
omnium perita
Haecque pro sororibus
pugnat expedita,
Armis sibi commodis
commode munita.

5. Tertio rhetorica
residens sedili,
Sexu licet femina,
robore virili,
Apparatu vestium
radians non vili,
Quas colorum texuit
serie subtili.

6. Fulgurat prae ceteris
cultu laborata,
Variis coloribus
florum purpurata,
Quasi pugnans pectore
tota loricata,
Cuius caput laurea
surgit galeata.

7. Quattuor ex ordine
subeunt sorores,
Honoris frequentiae
non dedigniores,
Prior arithmetica
certo numero res
Claudens ad matheseos
introducit fores.

8. Haec quibusdam clausulis
ludere perita,
Calculando digitos
volvit expedita,
Novitate vestium
fulget inaudita,
Circumvolitantibus
numeris vestita.

9. Ordine subsequitur
ars geometrarum,
Colligit haec legibus
certis mensurarum,
Longos trahens aeris
circulos stellarum,
Maris altitudinem,
spatia terrarum.

10. Multa privilegia
profert sui iuris,
Vestem multiplicibus
pinxerat figuris,
Cuncta certis spatia
colligens mensuris,
Circulis, triangulis
sive quadraturis.

11. Post has vultum musica
profert luculentum,
Cantus quidem praevius
nuntiat adventum,
Nam cantandi multiplex
gerit instrumentum,
Dat, quas plectro temperat,
fidibus concentum.

12. Hilarat concilium
dulci sono lyrae,
Docta chordas habili
pollice ferire,
Cogit altas gravibus
voces convenire,
Quod ex multis una vox
creditur exire.

13. Ultima scientia
sequitur astrorum,
Illa liberalium
maxima sororum,
Caelum docta permeat
atque superorum
Motum notans colligit
causas futurorum.

Collect. ms. Campoliliense saec. 14. in.

14. Haec a lini nomine
pallio vestitur,
Tota quoque siderum
signis insignitur,
Suum diademate
caput operitur,
Sic ornatu fulgido
fulgens redimitur.

Cod. Campolilien. 137.

Nachträge und Berichtigungen.

S. 162, Zeile 17 v. o. lies Virga statt Virgo.
S. 113, „ 4 v. o. „ Quocum statt Quae cum.
S. 241, „ 4 v. u. „ Iuventutem statt Inventutem.
S. 271, „ 10 v. n. „ Laudet coetus statt Gaudet.
S. 284, „ 9 v. u. „ Landeline statt Landoline.
S. 298, Nr. 275 ist durch Irrtum in diesen, statt in Band XLVb geraten.

Inhaltsverzeichnis.

Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.